1 prima *N1 V A H* 2 intueri] inter *V A H* 4 quinta *A* 7 haec *om. H* 8 *Quamquam hoc loco titulus in MSS deest, novum capitulum hic initium capere primis verbis elucet. N1 V* 15 ratione] recte *V A H* 20 hanc *om. Gionta* 21 habeat *N2* 22 quoniam] quia *H* 24 partem *N1 N2 A*

6–7 Contra … eadem] Fundamentum falsum sensus. Deceptrix, quia non causas, Phaed. 59. Infirma: ergo non scientia. discordiae *N1 N2* haec quia fundamentum, etc. *A*

5 felix … potuit] Geo. 2.490 10 verae … repugnat] Phd. 99d–100a 13 hic … Mezentius] Aen. 10.900–908

nisi distinctis cognitionum et nominum partibus, non possunt. Tertio, divinum lumen non est humano imbecillius, non itaque hoc scientiam facit quam id non faciet. Quarto, habet principia unde conclusiones necessaria connexione trahit. Non igitur opinio, non fides sola est, sed etiam scientia. Quod vero dicitur in principio de principiis non notis, imo et illa notissima sunt et in natura, et iis qui fine potiti sunt, ubi principia per essentiam dignoscunt. Hinc Plato in Alcibiade secundo non solum hanc optime scientiam vocat, sed quicumque sine hac sciant male scire testatur, ut de Margete Homerus, qui, cum multa nosset, male norat omnia.

6. *Subalterna*

Moveri non oportet, quod principia huius scientiae nota sensu non sint, nam et inter scientias humanas hoc accidit, quod genus quoddam illarum est, quod per se sua principia non manifestat, sed a superiore scientia, tanquam a magistra et discit et accipit, ut Musica ab Arithmetica et Spectatrix a Geometria, quasi altera causam, altera quae fiunt complectatur. Ita haec scientia a divina scientia ut a causa gignitur quam sequitur, quam imitatur, cuius similitudo, impressio quaedam est atque imago. Musica sua principia non novit, sed superiori scientiae nota credit; ideo scientia est. Ita scientia haec principia non novit omnino, sed superiori scientiae nota esse intelligit; ideo scientia est, quam subalternam vocant. Non subiecto quod sit sub superioris subiecto, idem est enim utriusque subiectum, sed tantum ratione cognoscendi, quod enim illic perfecte, hic imperfecte cognoscitur. Plato haec in epistola docuit, cum ait non doctrina, sed consuetudine potius mentis cum re divina scientiam hanc quasi lumen erumpere. Verbis, inquit, ut aliae declarari non potest, sed diuturna circa id ipsum consuetudine fieri, et subito tanquam ab igne scintillante fulgere lumen in anima. Ab illo, igitur, imprimi in anima scientiam vult, cuius coniunctione scientia imprimatur. Quid? quod nullam

13 nam] non *N2* | accidit *om. A* 16–17 contemplatur *H* 17 gignitur ut a causa *V H* 18 cuius] eius *corr. in marg. N1* 20 haec scientia *tr. V H* 22 superiori *N2* 27 circa] esse *corr. in marg. N1* 28 fulgere] fulgur *corr. in marg. N1* | anima] animam *A*

7 Alcib. 2:22 *MSS* 24 Ep. 77 29 *MSS*

7–9 Plato … testatur] 2 Alc. 147b 9–10 de … omnia] Marg. 3 24–26 Plato … erumpere] Ep. 7 341d

scientiam vocat, nisi sciens intellectum hauserit, qui est principiorum cognitio. Atque haec ab ipsis in nos principiis manat. Epistola haec septima disseruit Plato.

7. *Sapientia*

Scientia causas inferiores vestigat, sapientia superiores. Haec igitur sapientia dici vult. Primo, quia causas altissimas scrutatur. Secundo, quoniam altissimo lumine divino, scilicet quod altius, rem pandit. Tertio, sola haec sapientia est, cum metaphysica, quae naturam sequitur, falsa de Deo praedicet. Hanc Plato ridet, quae causam ponat rerum, quam postea obliviscitur esse causam, quodque causas nosse arbitretur quas minime norit. Et in Timaeo eos sapientes appellat qui causas persequantur, non necessario moventes, quae instrumenta sunt, sed quae et libertate et voluntate, cum agere placet, agit. Quarto, simile gignit simile; sapientia itaque divina hanc in animam, ut sol lucem in lunam infundit. Quare cum sola haec fiant a sapientia, sola meretur sapientiae nomen. Quinto, haec divina sapientia altissima docet multo altiora quam aliae. Sola ergo et altissima est et sapientia. Ideo ait, "Ego ex ore Altissimi prodii," ubi et causa et altitudo significatur. Erit ergo scientia, si communi ratione scientiam sumas, erit et sapientia, si proprio vocabulo nominaveris.

8. *Subiectum*

Sapientiae huius subiectum alii dicunt Deum absolute; id enim subiectum scientiae esse decet a quo scientia denominatur. Aliis id non placet, confunduntur enim scientiae nisi formali ratione distinguantur, quare addunt principium instaurationis et beatitudinis. Sed nec hoc plerisque satisfacit, qui dicunt subiectum non esse, nisi de omnibus dicatur quae scientia docet. Nec in metaphysica subiectum est substantia, licet praecipuum principium in metaphysica sit. Volunt itaque esse ens divinum

---

1 principiorum] principaliter *N2* 2 atqui *N2* 5 investigat *A* 10 minime] materiae *V H* 12 libere *V A H* 14 anima *MSS* 15 nomen sapientiae *tr. H* 16 sapientia *om. N1 N2 A* 27 esse ens] esse *A*; ens esse *tr. H*

9 Phaedon 59, 61, 62 *MSS* 11 Tim. 3 *MSS*

9–10 Hanc … norit] Phd.89c–99 11–13 in … agit] Ti. 46de 17 Ego … prodii] Ecclus. 24.5

oraculis revelatum, vel per essentiam, vel per similitudinem et participationem, vel per unionem, vel per significationem. Secundae sunt quattuor Sententiarum libri. Possunt hae opiniones omnes defendi, si prima et secunda respondetur, quod non oportet dici de omnibus, sed sat est omnia ad id referre et omnia illius gratia adduci. Plato 7 Republica vult alia tantum in his adduci, ut mens, cognitione rerum, ad originem et causam assurgere adsuescat; sed praeterea imagines rerum abiiciendas, et in id ipsum tandem quiescendum, ubi docemur alia omnia illius gratia dici et id solum considerari quod vult postea solum nobis aspici.

9. *Una*

Cum de creatore ac creaturis hic disseratur, non vident quidam quomodo una haec scientia esse possit. Una tamen est ex formali ratione, quod est per oracula revelatum. Album enim et nigrum in ratione visibilis uniuntur, in ratione colorati, et luminis, licet in particularibus rationibus differant. Ita Creator creaturaque in revelabili unita sunt. Secundo, ex divinae scientiae excellentia, cui haec innititur cuiusque impressio est, et similitudo, atque imago; ideo illam imitatur. Illa autem licet omnia cognoscat, simplicissima tamen est et maxime una. Virtus enim superior magis unita est, ut sensus multis potentiis cognoscit, intellectus una tantum atque unite. Deus igitur, qui supra intellectus omnes est, ut Plato et Dionysius ait, omnem unionem excedit, atque ita haec scientia, quae est illi eadem, nisi quod subobscurior, maxime una est, et ut illa omnia impartiri providens, simplicissima perstans, ita haec una manens, omnia etiam particularia novit. Quod si non apparet, nostra obstat debilitas, non scientiae vis. De unitate autem scientiae illius, quae est idem cum essentia, Plato in Parmenide, quod solum illud quod est, est vere unum, quia nullam omnino partem habet, aliter multitudo quaedam esset. Itaque ut essentia, ita et scientia, quae est essentiae idem. Quod vero haec scientia sit ab illa

---

6 tantum *MSS*; omnia *Gionta* | in his] inicit *N1 A*; iniicit *N2* 7 praeterea] per ea *N1 V H* 11 ac] et *V H* 16 innitur *V H* 17 imago] imago est (est *eras.*) *N1* 20 quia *A* | supra … est] s[a] int[s] ōs est *N1*; simplicissimus inter omnes est (simplicissimus supra *corr. in mar.*) *V* 26 est … unum] et est vere unum *A*; vere est vere unum *ac. N1*

5 7. Reip. 27. *V A H* 26 Parm. 28 *MSS*

5–7 Plato … adsuescat] R. 7 514a–517c 26–27 Parmenide … esset] Prm. 143b 28–44.3 haec … contempletur] R. 6 508e–509a

6 Reipublicae idem dicit, quod boni idea dat menti veritatem atque intelligentiam, quare ab illa est, imagoque illius illam imitatur, una simplexque persistens, quamvis omnia latissime contempletur. Ideo hanc solam unam Plato vocat in Symposio, qui dicit per ascensum et gradus amoris eundum esse, qui ducit per corpora, per animam, per leges, per philosophiam, donec ad scientiam unam perducat, quae scilicet una est. Tum ex obiecto, ut in Parmenide, quod partes non habet, tum ex ipsa scientia, quae similitudines tandem omnes abiicit, ubi ad unum ad quod aspirat venerit.

10. *Praestantissima*

Regina princepsque scientiarum haec est, quod ex subiecto et certitudine sustineri potest. Subiecto enim eius nihil maius, qui Deus est, in quo dupliciter metaphysicam superat: Primo, quod vera de Deo praedicat; secundo, quod multo sublimiora quam metaphysica. Atque hanc subiecti praestantiam scientiae dedit Plato 6 Reipublicae cum ait ideam boni esse maximam disciplinam. Deinde ex certitudine, quae tripliciter haberi potest: ex obiecto, quod est manifestissimum in natura; secundo, ex lumine, quod divinum cum sit nullo modo falli potest, ideo omni certitudine certius; tertio, ex cognoscentibus, qui adeo certitudinem habent claram ut vitam exponant. Quod Socrates in Apologia testatus est, qui tanta certitudine Deo haerebat, quod etiam si saepe mori oporteret, libens fuerat mortem subiturus. Illum postea innumerabiles martyres secuti sunt in Veteri Lege, in Nova, et in Socrate, qui neutram novit, eandem videmus esse certitudinem confirmatam. Quare et in Phaedone, "certum habeo," inquit, "me ad deos esse profecturum," ubi certitudinem exprimit. Potest etiam praestantia ex aeternitate demonstrari, quod aliis scientiis falso tributum esse valde miror. Cum enim obeunt dispereunt omnia, sed haec divina contemplatio eo contendentibus perpetua est, nisi

---

7 subiecto *A* 12 subiecto … maius] nihil enim eius subiecto maius *tr. H* | eius *sl. V H* | nihil *corr. in marg. N1* 13 dupliciter] duobus *N2*; 2 *N1 A* 15 scientiae *om. A* 16 maximam esse *tr. A* 19 adeo] a Deo *N1 V A Gionta* 27 valde *om. A* | dispareunt: *H*

1 6º Reip. 38.39 *MSS* 4 Sympos. 51 *N1 N2 V H* 15 6. Reip. 81.2 *MSS* 20 Apolog. 24 *MSS* 24 Phedon. 8 *N1 N2 V A* 28 haec … est] Theologia manet in patria *notav. V H*

3–6 hanc … est] Smp. 211e 7–9 in … venerit] Prm. 145e 14–16 hanc … disciplinam] R. 6 505a 20–22 Socrates … subiturus] Ap. 40ac 24–25 in … profecturum] Phd. 63c

quod obscuritate abeunte, lux remanet. Sola est etiam, unde sexto, haec laudatur, quoniam Deus felicitatem habet beatissimam, non aliam tamen quam hanc sapientiam licet suo modo, quod de aliis nullis dici potest. Tanto ergo haec est prae aliis superior, quanto Deus est natura superior.

11. *Argumentis ne?*

Rationibus utitur, ubi necesse est, haec sapientia. Primo, quidem ad principia, quae demonstrare non potest, quod omnium est peculiare doctrinarum. Nulla enim sua principia demonstrat, sed potest rationibus probabilibus non minus ea probare, quam opposita adversari. Secundo, argumentis utitur a principiis et articulis fidei ad ea quae sequuntur necessariis argumentationibus. Tertio, ex concesso, ut si quis articulum unum dederit, per aliud poterit demonstrare. Quarto, rationes refellere et confutare potest, arguereque ac demonstrare omnia, quae adversus hanc tela mittantur, falsa atque futilia esse. Plato in Euthyphrone rationes huius scientiae firmiores esse vult, quam Daedali sapientia, qui contra naturam agit, dum caelum et divina rimari se posse per naturam et sensus arbitratur. Pennae enim animae innatae sunt, quae per sacrificia recuperantur, cum a Deo mens lumen resumit. Quod si ad sensus auxilia confugit, et in eo perstat, Daedalus est et Icarus pennas sibi admovens et alienas et minime naturales. Quare quae naturales scientiae dicuntur non propriae homini sunt, nec naturales. Tantum abest, ut Metaphysica dicatur divina quod ne naturalis quidem dici potest.

12. *Metaphoris*

Primo, ex obiecto, quod cum excellentia illa infinita comprehendi nisi per finita non potest. Secundo, essentia nonnisi in patria videatur; hic per ea quae videntur declarari oportet. Tertio, ex infinitate, cui similis

---

3 hanc *om. H* 9 quam] quae *corr. N1* | adversarius *N2* 17 sensum *N1 N2 A* 19 est] enim *corr. in marg. N1* 20 naturales scientiae] scientiae naturales scientiae *V H* 24–25 nisi … potest] nisi per finitam non potest *N1*; nisi per infinitum non potest *N2* 26 ex infinitate] et infinita *A*

14 Euthyphr. 22 *MSS* 17 sacrificia] Sacris initiati Phaedon.21.25 *N1 N2 A*: Phed. 21.25 *V H*

14–17 Plato … arbitratur] Euthphr. 11c ff

doctrina esse debet; unde metaphora multas recipit expositiones et multas sententias feta complectitur. Quarto, pro nostra imbecillitate, ut oculus senis per vitrum res aspicit. Quinto, cum fides sit universalis, sic scientia esse debet, unde omnes capiant. Sexto, adversus derisores, ne pateat. Et hoc Plato et Trismegistus. Septimo, ad memoriam firmandam, quae sensibus confirmatur. Octavo, quod est maxime huic scientiae proprium ad effectum movendum, quod rerum enarratio efficacissime facit, ut quae de filio prodigo recitatur. Sed nec Aristoteles abstinet, qui Deum alias invocat.

13. *Poetica*

Dionysius dicit hanc poetica uti, sed quomodo si vilissimam illam putant, et Plato a Republica pellit. Dividunt poesim vel voluptatis causa vel commodi; et commodi vel inhoneste vel honeste fingunt. Primum locum Catullus tenet, secundum Homerus ubi turpia deorum adulteria numerat. Tertium Homerus et alii ubi vel de demonibus vel de divinis poeticis operiunt velaminibus. Duos superiores omnes reprehendere est, duo posteriores accusari non debent. Et quoniam quartus proprie poeta dicitur, ut in Ione Plato testatur, ideo ille vel theologus et sapiens nominari vult, vel sapientiae proximus. Ait enim Dionysius divinum radium ad nos venire non posse nisi poeticis velaminibus circumductum. Aut ergo sapientia est, aut id est quod sapientiae est maxime necessarium.

---

1 debent *A* 2 foeta *V H*; foetu *N2* 3 res *sl. H* | universalis] visibilis *N2*. 6 huius *V H* 8 recitata *N1 N2 V H* 8–9 sed … invocat *in marg. N1 N2 A* 8 alias] al *abbr. N1 A*; animal *V H* 11 vilissimam] utilissimam *H Gionta* 12 pellitur *H* | dividunt] D *abbr. N1 N2 A* 13 fugiunt *corr. in marg. N1* 16 velaminibus] alias loquorum alias hominibus vel animalibus *add. in mar. A* | superiores] super *corr. in marg. N1* | omnes *om. N1 N2 V H* | duos *Gionta* 17 poeta proprie *tr. N2* 18 Iove *N1 V A H*

5 Ep. 2^{4}.8 *N1* Epist. 2.8 *V A H* Ep. *N2*

5 hoc Plato] Ep. 7 344c | Trismegistus] *e.g.*, Cor. Her. 1.29 11 Dionysius … putant] *cf.* Coel. hier. 7.4 212b 12 Plato … pellit] R. 3 398a 17–18 quartus … testatur] Ion 534a–535b 19–20 Dionysius … circumductum] Coel. hier. 1. 733b

14. *Poetica scientia*

Verum similitudinibus innixa, quomodo scientia dicetur. Illuminatio siquidem vel rapit mentem tantum ad divina, et tunc furor Bacchi, vel etiam ad futura vaticinia, et tunc Apollinis, vel ad elegantem divinorum futurorumque scribendorum rationem, et tunc poetica et Musae, vel ad corpus etiam in aera rapiendum, et tunc Veneris. Haec in Ione Plato. Quibus manifestum est poesim scientiam esse a Deo datam, ut supra de hac scientia dictum est.

15. *Practica an speculativa?*

Utrumque una existens complectitur, nam et opus quaerit et contemplationem, quorum hoc est spectatricis, id actricis finis ex secundo Metaphysices. Qua ergo ad agendum hortatur, activa, qua ad contemplandum perducit, contemplatrix est. Id primo ex divina scientia colligitur, quae simplex atque una divina humanaque cognoscit. Secundo ex una formali ratione qua actiones et contemplationes continentur. Nec fines duos esse quicquam prohibet et utrumque habere cum solam divinam omnino imitetur. Quod saepe a Platone observatum est, qui in scientia divina divinam semper tenuit rationem. Et quoniam praecipue est ad contemplandum ad quod actiones institutae sunt, ideo licet utrumque habeat, contemplatrix magis poterit appellari.

16. *Amor quasi formale et quasi finis*

Hae tamen appellationes illis scientiis accommodae sunt quae vel opus dumtaxat quaerunt vel contemplationem. Haec autem longe aliud amat quam istaec sint. Data est enim a Deo, ut, divina pulchritudine cognita, humana mens ad illam adamandam accendatur. Haec in Evangelio

---

4 tunc *in marg. N1* 4–5 futurorum divinorum *tr. H* 5 scribendorum *in marg. V*; scribendorumque *H* | poeticae *A*; poeticus *N1 N2* 6 corpus] corpus *pc. NV, 1*; cor *H* | Iove *V A H* 11 id] id quod *ac. N1* 13 producit *V H* 16 prohibet quicquam *tr. V H* 17 saepe] semper *N1 V H*

6 Haec … Plato] Ion 534c 10–12 Utrumque … Metaphysices] Metaph. 2.1 993b

dicuntur: "Hoc est praeceptum meum, ut diligatis." Id Apostolus in caritatis admirabili commendatione, id Plato in Symposio universo, id Salomon in Canticis intendebat. Cumque felicitas in voluntate sit, haecque sapientia felicitatem faciat, voluntatis actum praecipue intendit, qui est amor. Ideo Socrates se amatoria tantum nosse dicebat, hoc est sapientiam, qua movemur ut divinam et cognoscamus et amemus pulchritudinem. Probatur. Primo, summa scientia dat summum bonum idque praecipue intendit, cum non par sit summam desiderare, non summum. Sed essentia boni est per amorem, tum quia per illum definitur, tum quia per illum acquiritur cuius est obiectum. Ergo amorem plus optat quam contemplationem. Secundo, illi magis inhiatur, quod est fini ultimo immediatius et coniunctius, ut floribus quam frondibus et termino quam viae, portuique quam mari alto, victoriae quam praelio. Sed amor propior iunctiorque est summo bono, quam cognitio, cum sit actus protendens in bonum. Cognitio vero non per se in bonum, sed in verum. Amori igitur magis inhiatur. Tertio, haec doctrina optima dat nobis id quod est optimum, et Deum, non intelligendo, quia nec attingimus, ergo amando. Quarto, praestantissima dat modum coniunctionis cum optimo praestantissimum; sed optima coniunctio est amor, nam cognitio est etiam inimici, non igitur coniungit. Sed solus amor est vinculum nexusque amantis cum eo quod amatur. Quinto, effectus causae optimae debet esse optimus, sed optimum eorum quae fieri in nobis possunt est amor, ut Apostolus docet, quod alia nihil prosunt sine illo, ille solus sine aliis sufficit. Hunc igitur efficiat oportet haec divina sapientia quae optimum sibi locum vindicavit. Sexto, si bonum omnia appetunt, et magis bonum appetunt magis, cum motus amoris sit melior quia est ad rem non ad similitudinem, ergo contemplatio, quae est similitudinis, hic invia est amoris gratia, qui dat rem ipsam. Septimo, perfectio est inferioris coniunctio cum superiori, ut de elementis apparet. Locus enim et perfectio inferioris est superioris ultimum. Sed amor iungit Deo et amicos facit,

---

1 d] et *add. V H* 1–2 admirabili charitatis *tr. H* 4 praecipuum *V H* 7 probatur] propterea *V H* | summum dat *tr. V H* 8 non] enim *corr. in marg. N1* 13 portui (que *eras.*) *N2* | proprior *N1 A*; *V*(*corr. in marg.*) 15 amorem *V H* 18 praestantissimo *N2* 18–19 cum … praestantissimum] praestantissimum cum optimo *tr. V H* 19 sed] cum *H* 20 solum *A* 22 in nobis fieri *tr. V H.* 23 quia *H* 25 vendicavit *A H* | appetat *V H* 26 appetit *V H* | motus] mos *corr. in marg. N1* 27 invia] in via *N2 A* 29 et] est *corr. in marg. N1*; est et *ac. A* | perfectio] imperfectio *H*

1 Hoc … diligatis] Io. 15:12 1–2 d … commendatione] 1 Cor. 13 5 Socrates … dicebat] vid. Smp. 212b 22–24 optimum … sufficit] 1 Cor. 13

non cognitio. Ergo ab eo perfectio summa est; eum igitur imprimis desiderat haec scientia. Quae veritas Aristotelem coegit ut diceret, nescio quo pacto, in Ethicis, sapientes et felices Deo amicissimos esse, quasi eum finem rerum humanarum iudicaret. Regem enim nosse parum est, regi vero amicitia iungi maximum est. Quare et ipse qui contemplationem commendavit, amorem non admirari non potuit. Sed omnium apertissime et doctissime Plato in Symposio Diotimam divinam feminam introducit, quae, cum multa de amore altissima disseruisset, id denique praedicavit amorem esse optimum, qui Deo nos amicos efficiat, qua clausula libro finem fecit. Diximus de amore. Nunc de fruitione loquamur, cuius amor est actus. Communibus vocabulis artis utar, modo sensum ostendam.

1–2 desideret *A* 6 non] enim *corr. in marg. N1* 7 Diotimam] Dii optimam *A* 11 amorem *N1 N2* | vocabulis communibus *tr. A*

7 Symp. 55 *N1 V A H*

2–3 Quae … esse] EN 10.7 *passim* 6–10 omnium … fecit] Smp. 212ac

DISTINCTIO I

Prima quaestio: Principia an divinitus?

Contra, scientia habet principia, sententia secundo Posteriorum dicitur, ut duae potentiae, sensus et mens, ita duo genera cognoscendi et sciendi, cuius ortus a sensu, et non pendens a sensu. Et non prima in homine secunda in diis. Sed cum homo sit quodammodo omnia, utrumque participet oportet. Sed cum omnis scientia principia habeat, priora ab inferiori mens accipit et a sensu, secunda a superiori, ab idea, et Deo. Sed quoniam principia non demonstrantur, sed priora sensui credit mens, ideo et posteriora credit Deo. Quare non fidei articuli sed fides qua articulos intelligimus, principium huius sapientiae est; et utrorumque principiorum cognitio intellectus dicitur. Ideo quoniam hoc secundum a Deo est, ideo ait tam saepe orans David, "Da mihi intellectum." Sequitur ex iis eum qui fidem non habet, sive Christianus sit sive non sit, theologiam non habere, ut caecus de colore. Potest hic sententia 15 de modo acquirendi: an studio, quod non, sed semper enim "intellectum da mihi ut vivam" dicendo precibus et sacris, Plato, Virgilius, "neque ante dehiscent." Quaestiones hic duae de mediis acquirendi, utrum ex nobis, secundae potentiae dispositione, alterum ex dispositione obiecti. Prima, ex nobis: an puritas sit necessaria, sanctitas non morum sed conceptuum. Contra, Plato, Dionysius, Evangelium: "Beati mundo corde." Hinc ille et fluvio vivo abluitur. Haec est dispositio removens contrariam

---

2 divinitus] ideo *corr. in marg. N1* 3–4 ut dicitur secundo Posteriorum *tr. A* 5 et non] etenim *corr. in marg. N1* 6–7 participat *N1 N2*; participate *A* 8 ab] *in marg. V* 12 quoniam] quum *H* 13 ideo] propter hoc *A* 14 iis] his *H* 15 sententia ipsa *add. A* 17 dicendo] deo *corr. in marg. N1*; de deo *N2*; David *A* | neque enim *add..N2* 18 dehiscent etc. *add. N2* | mediis] metaphisicis *corr. in marg. N1* | utrum] u *abbr. N1 V* 19 secundae *om. A*; *N1 N2 V H* 20 sanctitas] *sl. N2*; sanctos *N1 V A H* 22 fluvio] flumine *N2*

17 Virg. *N1 V*

3–5 scientia … sensu] Apo. 99b 13 orans … intellectum] Ps. 118.34, 73, 125, 144, 169 (LXX) 16–17 intellectum … vivam] Ps. 118.144 (LXX) 17 Plato] Smp. 207c 17–18 Virgilius … dehiscent] Aen. 6.52 21 Plato] Smp. 212a | Dionysius] *e.g.*, Coel. hier. 7.2 208ab | Beati … corde] Mt. 5.8

dispositionem, tantum ut rubiginem. Secunda quaestio, dispositio ex obiecto, id est dispositio positiva faciens pro forma supernaturali recipienda. Videtur quod non, quia natura non deficit. Deinde sola mente agendum, dixit Trismegistus. Contra Plato: Sacris et precibus et votis, ubi sunt tria: intus, medio, extra. Virgilius, "cessas in vota precesque. Non ante dehiscent." Et duae hae dispositiones, duo praecepta: "Accipe quae peragenda prius," aurum caelo hauriendum, sed corde "da intellectum."

17. *Frui cuius actus?*

Omnis huius instituti cura atque studium est ad felicitatem et bonum summum. Bona enim bifariam secantur: quoddam est summum, quod cum assequimur beati sumus, et illo beati fruimur. Alia bona non summa sunt, quae summi gratia adamanda sunt, ut illis quasi gradibus ad summum vel inveniendum utamur, vel assequendum. Quaeri hic solet ab omnibus, cuius potestatis sit frui. Dicimus non intellectus esse sed voluntatis. Primo, quidem ex ipso actu, qui in beatitudine invenitur: beatitudo vero, etsi intellectu et cognitione, quasi in principio sita sit, in voluntate tamen perfectionem habet, ut homo in principio corpus tantum perfectum habet. In fine illo fatiscente virtuti mentis incumbit. Quae enim posteriora sunt praestantiora sunt, ut octavo de Physicorum auditu legere est. Quod si perfectio felicitatis est in ultimo et in voluntate, licet origo in intellectu sit, frui, qui est actus perfectissimus, voluntati ascribi vult. Secundo, ex obiecto, nam frui est actus perfectus animae, non circa quodcumque, sed circa finem. Hic vult esse optimum, secundus de Physicorum auditu. Sed optimum et bonum sunt voluntatis obiectum. Haec igitur est quae fruitur, non intellectus. Tertio, frui re aliqua nihil aliud est quam illo delectari, cum neminem adversis et ingratis frui dicamus. Non ergo nisi in voluntate locum invenit. Quarto, nota nominis et ety-

---

1 quaestio *sl.H* 2 dispositiva *H* 4 dixit] d. *abbr. N1 N2 V A*; de *H* 6 et] etiam *N1 N2* (*in marg.*) *V* 17 habet non *ac. praem. A* | corpus] cordis *corr. in marg. N1*; corporis *V H.* 18 mens: *N2* 19 sunt praestantiora *tr. A* | legere auditu *add. H* 22 animae *in marg. N1* | circa] esse *corr. in marg. N1* 23 circa] esse *corr. in marg. N1* | optimum] optimus: *N1 N2 V H*; primus *A* 25 quae] qui: *N1 N2* | re de *praem. H* 26 et] rebus *V H* 27 et *om. A*; est *corr. in marg. N1 N2*

3–4 sola … Trismegistus] *cf.* Cor. Her. 1.22 4 Plato] Smp. 211b 5–6 Virgilius … dehiscent] Aen. 6.52 6–7 Accipe … prius] Aen. 6.124 7 da intellectum] Ps. (LXX) 118:144 18–20 Quae … est] Ph. 8.7 261a 23–24 Hic … auditu] Ph. 1.2 185a

mologia, quae a fructu ducta est. Arbor enim oritur, seritur, alitur, augescit, inseritur, pubescit, florescit, ac denique cuius gratia seritur, fructus et poma parit. Frui itaque si a fructu sumptum est, id vero est in ultimo positum. Ergo in voluntate est frui, quae posterior sequens quasi in ultimis et perfectis penetralibus fixit sedem. Quinto, re absente querimur et ad illam animo movemur; praesente postea fruimur et quiescimus. Sed quies non intellectus est, ad quem finis terminusque motus animae non est, qui in voluntate quiescit. Bonum enim absens movet; quo praesente quiescimus. Sed motus ille est appetitus, actus voluntatis et amoris. Ergo eiusdem est quies abeunte motu. Hinc tria apparent quae in fruentium actione inveniuntur: voluptas, cognitio, quies. Quae tria apparent in definitione actus huius, quam passim omnes usurpant, quod fruimur cognitis, in quibus voluntas delectata conquiescit, ubi intellectus et cognitio est. Ubi mensa quae primo instruitur voluptas, nectar; quies, ambrosia, quae immotam significat aeternitatem. Hinc Plato deos omnes beatos esse dixit et amorem medium, quasi omnis beatitudinis vis atque perfectio in voluntate collocata sit, ubi amoris est regia. Et de voluntatis actibus ab antiquis dicitur quod diis, hoc est, beatis, apponitur nectar et ambrosia. Nectar inebrians voluptatem significat, ambrosia vero quietem et stabilem immotamque rei felicis, et felicitatis aeternitatem, et ut ita dicam, immortalitatem. Moriendi enim et amittendi metus felicitatem tollere videtur, ut Averroes arguit.

18. *Frui cuius virtutis?*

Quod si qui fruuntur beati sunt, vestigandum est accuratissime quaenam virtus quasi parens hunc actum pariat. Probo primo parentem illi necessariam esse, nam tres actus inveniuntur in his quae ratione vigent: esse, actio imperfecta, et perfecta. Hae tres proles parentes habent suos unde exoriuntur, scilicet essentiam, potentiam, habitum. Ut enim esse sine essentia, et actio sine potentia non pullulat, ita sine habitu actio perfecta

---

6 praesente] pro *praem*. *A* 10 tria] tertia *corr. in marg. N1* 11 quies] et *praem.A* 17 regina *A* 18 diis … est] Diishoem *V* 26 vigent] S *add*. *A* 27 perfecta et imperfecta *tr*. *V A H*

9–10 Sed … amoris] Symp. 37 *V H* Amor quies omnium. Symp. 37 *N1 N2 A* 15 Sympos. 44 *MSS* 18 apponitur] *asteriscus V* 22 3 de anima 36 *MSS*

15–16 Plato … medium] Smp. 195a 17–19 de … ambrosia *cf*. Phdr. 247e 21–22 Moriendi … arguit *cf*. Comm. de An. 1.66 ll. 54–55

et consummata non oritur. Lyram enim non docte pulsat qui habitum pulsando non contraxit. Oportet ergo parentem invenire, ut hanc inde prolem suscipiamus. Habitus vero vel sunt morales, ut iustitia, vel intellectuales ut prudentia, vel infusae mutabiles, ut fides et spes, vel immutabiles, ut amor (caritatem nostri appellant). Frui est beatitudinis actus. Non ergo in moralibus parentem habebit, quae imum habent locum. Nec etiam ex illis erit quae intellectum habitant, voluptas enim quam fruentes habent non intellectum sed voluntatem sortitur. Nec tertio mutabiles infusae hanc gignunt, tum quoniam coelum non ingrediuntur, tum quoniam felicitas est quae bonum ut bonum est complectitur, illae in bonum tendunt, non qua bonum est, sed qua verum et qua arduum. Reliquum est igitur, ut amor, quem optimum Plato nominabat, hanc prolem gignat solus; quae, cum felicitati coniuncta sit, iure dicebat Plato deos beatos esse et amorem esse medium, quippe qui fruendi actum pariat, qui esse sine felicitate non potest, vel primaria in patria vel in via secundaria. Quamobrem Plato in Symposio bona omnia ab amore proficisci docet, a quo frui est, unde beatitudinem summumque bonum tandem adipiscimur.

19. *Uti cuius potentiae?*

Post potentiam habitumque fruentium, potentia nunc utentium ostendenda est. Licet enim uti ordinem habeat ad quem ratio dirigit, est tamen et ipsum voluntatis. Primo, ex utente probatur. Eiusdem enim est uti, cuius est frui, quia eadem potestas finem amat et media eligit, illisque utitur ut fine potiatur. Ergo utrumque est voluntatis, licet in ordine ad rationem ostendentem. Secundo, ex eo quo utimur, quod cum pro medio ad finem appetatur bonum dici debet. Ad appetitum ergo et ad voluntatem pertinet. Tertio, ex prima divisione, quia bonum aliud summum, aliud non. Ergo cum non summum sit quo utamur, usus dabitur voluntati, cui bona incumbunt. Quarto, ex secunda divisione, quia bonum dividitur in voluptarium, honestum, et utile. Sed cuius potentiae est genus eiusdem et

---

2 pulsandi *A* | inde] in *N1 V A H* 7 erunt *H* 10 quae *in marg. N1* 22 est *om. N1 N2* | illisque] illis *A* 25 et ad] ad *om. N1 N2*; et *om. V H* 26 divisione] divinitate *corr. in marg. N1* 27 summum *in marg. V* 28 divisione] divinitate *corr. in marg. N1* 29 voluntarium *A* | est *sl. V*

16 Symp. 37 *MSS*

11–13 Reliquum … solus *e.g.*, Smp. 212c 13–14 dicebat … medium] Smp. 195a 16–17 Plato … adipiscimur] Smp. 212c

species. Bonum voluntatis est, ergo eiusdem est utile, sed illa utitur utili cuius est utile si rectus usus sit. Est igitur solius voluntatis. Quinto, ex vulgata definitione, quod uti est assumere in facultatem voluntatis, quare eadem summum bonum amat ut fruatur, et alia bona eligit ut utatur, per quae iam tandem fine potiatur, quod voluptatis. Plato in Hipparco: utile est quod iuvat quodque omnes appetunt.

20. *Uti est voluntatis: quomodo?*

Nam sunt in voluntate proles quinque: amor, voluntas, intentio, electio, usus, quae quidem etiamsi parente in eadem concipiuntur, distinctis tamen inter se differentiis seiunguntur. Voluntas enim quosdam actus elicit per se, ut amorem et velle; quosdam in ordine ad rationem, ut intendere, eligere, et uti. Et hos ipsa per se elicit, licet superiores, sola, inferiores in ordine ad rationem. Alios etiam elicit non per se sed per alias potentias, ut loqui et vesci, et alias actiones, quas per potestates alias ipsa imperat. Quae autem per se habet, nullo comite: unus est communissimus et omnium ut amor; alter est finis dumtaxat, ut voluntas. Aliae actiones tres, in quibus rationis ordo concurrit, ita se habent nam intentio scopon ac finem semper aspicit et suspirat. Alia duo in iis versantur, quae citra finem posita, organa sunt ad finem. Nam cum primo medium statuimus electio vocatur; cum postea electum medium exercemus et utimur, tunc usus nuncupatur. Amor itaque regnat ubique, ubi boni ratio micat, sive supremum sit id bonum sive citra supremum. Alia deinde quattuor ita sibi bonum partiuntur ut duo summum duo non summum quaerant. Bona vero illa vel prono animo optamus; vel deinde etiam studio industriaque contendimus et expetimus. Si primo finem optamus, voluntas est. Si primo medium, electio est. Si deinde in finem etiam studio ferimur, intentio. Si deinde in medium, usus nominatur. Fini incumbunt voluntas et intentio; mediis electio atque usus. Primos statuentis voluntatis motus faciunt voluntas et electio. Secundos qui cum studio et diligentia fiunt intentio atque usus. Iam sat patet qui actus sit usus, et quonam pacto ad voluntatem, ad rationem, et alios actus quasi ex eadem parente fratres

2 rectus] ratione *V H*; res *A* 6 quodque] quandoque *corr. in marg. N1* 18 iis] his *V H* 24 prono] pro *V A H*

5 Hipp. 6.7 *MSS*

5–6 Plato … appetunt] Hipparch. 227d

sese habeat. De usu Plato satis multa memoriae prodidit ac etiam de utili, de quo libellum primum edidit, qui in fronte Platonici voluminis est locatus quasi rem maxime necessariam, ut iturus ad divina potienda prius humana utenda suscipiat atque ea esse intelligat, quod illis potiti, si gradum sistimus, nec per illa ad divina proficiscimur, lucrum non facimus, sed illis similes sumus, qui ad convivium vocati, in cibo vel praetioso ac grato, in poculo aureo gemmis distincto, venenum et exitium bibunt. Haec in Hipparcho late disputantur, ac rursus in Menone nihil nobis bonum vel malum dici ex se debere, sed usum nostrum facere, ut illa bona vel mala esse videantur. Et in Euthydemo ait venatores uti nescire eos qui bene utantur esse beatos, ut moneat rebus humanis non frui oportere, sed quasi armis uti ad victoriam, et ad illa comparanda, quibus cum fruimur beatissimi sumus.

21. *Quonam fruamur?*

Obiectum iam tandem quaerendum relinquitur quo frui iam possumus. Et quoniam bonum finisque est quo fruimur, idcirco id bonum atque is finis est, quo est fruendum, quo nihil est melius, et qui finem non habet vel praestantiorem vel superiorem quo tendat. Solus autem Deus est, quo nihil est melius quique superiorem finem habet nullum. Quare solo Deo frui oportet in soloque eo cognito amatoque quiescere. Nam si alio frui liceret, cum id Deo non sit nec aequale nec superius, erit ergo Deo deterius atque ignobilius, non itaque in eo quiescere mens potest. Quia bonum appetunt omnia, et melius ardentius appetunt, ab illo igitur mens, ad bonum augustius aspirabit. Ergo in nullo alio nisi in uno Deo qui bonum est summum quies esse appetentis potest, in quo quidem quiescat mens oportet cum aliud expetibilius in quod feratur invenire non possit. Tertio, si alio frui posse si quis dicat, id, ut dictum est, citra summum erit. Utile ergo erit, quare utendum illo est, non fruendum, cum

---

6 illi *N1 N2 A* 7 ac] vel *H* 8 Menone] mentione *corr. in marg. N1* 13 beati *H* 15 quaerendum *om. A* 16 bonum] bonum finisque *ac. N2* 17 melius est *tr. V H* 19 est *om. N1 N2 A* | quidque *V* 22 atque] et *V H* 23 ardentius] ardentiusque *A* 26 quo *V H* 27 non] nam *N1* | si quis] se quis *N2*; sequis *N1* | dicat] dicatur *corr. A*

8 Menone] Men. 37 *MSS* 20 Nam] 2 *numerus N1*

8 Haec … disputantur] Hipparch. 230bc 8–10 in … videantur] Men. 78b–79c 10–13 in … sumus] Euthd. 290c

utile omne id dicatur, quod ad perfectius assequendum accommodatum est. Unde Plato in Cratylo utile et conferens et conducibile idem nominat quod ad aliquid comparandum confert et conducit. Sed id est quo frui solo oportet ut obiecto, quanquam post Deum solus amor intelligentia comite cum voluntate matre meruerint, ut frui eo possimus. Adeo Deo coniunctus est amor; non tamen ut obiecto iis fruimur, quae Dei solius est gloria, sed amore ut habitu aut actu, voluntate ut organo, frui licet illo velut forma quae et concipitur et perficit, hac ut illa quae concipit et perficitur, illo ut prole, hoc tanquam parente. Obiectum tamen solus Deus est solusque omnis beatitudinis origo; unde et amoris ortus et voluntatis perfectio, tanquam ex omnium bonorum fonte dimanat. Sunt quippe illic quattuor: est auctor et causa praecipua omnium ut in tabulis Apelles qui pingit. Est color et lineamenta quibus tabella imbuta ac picta est. Est denique vel pennicillus vel tabula quibus ut instrumentis est usus ad Venerem effingendam. Vera virtus in auctore est; haec alia illius vel opera vel organa nominantur. Deo igitur fruimur ut obiecto et tota beatitudinis causa. Quod si aliis fruimur, longe alia ratio est; habitibus actibusque ut formis, potentiis ut organis, quibus formae excipiuntur. Virtutes etiam per se amari solent. At cum frui sit alicui amore propter se haerere, videbitur forte quod etiam virtute fruamur. Id ita refellitur: nam per se diligere aliquid vel quod non gratia alterius, vel quod aliquid habet in se unde diligeretur etiamsi non esset gratia alterius. Fruimur ergo quae per se amantur priore modo, non posteriore, cum in fruente sit omnino quies, quae in eo, quod est alterius gratia nec potest inveniri. Finis enim quo fruimur nec alterius gratia est. Hanc divinam pulchritudinem tum in Symposio, tum sexto de Republica, tum praecipue in Phaedro adaperuit Plato. In Symposio enim omnem pulchritudinem mulierum, puerorum, camporum, arborum, florum, et aliorum quae pulchra existimantur, si materiam tollas, solumque pulchrum ipsum relinquas, id obiectum esse ostendit quo fruitur felix. In Phaedro vero felicem statuit animam in coelo fruentem non entibus, id est factis rebus, sed pura essentia,

---

1 utile] utibile *corr. in marg. V* 3 conducet *A* 5 adeo Deo] a deo deo *N1 V A* 7 amore] a more *V* 13–14 ac … tabula *om. H* 29 materiam] naturam *corr. in marg. N1* 31 factis] feminis *N1* (*in mar*) *N2* (*ac.*)

2 Crat. 60 *N1 V A* 24–25 Finis … est] Gor. 68 *MSS* 30 Phed. 28 *MSS*

2–3 Plato … conducit] Cra. 419a 25–26 Hanc … Symposio] Smp. 202–212 26 sexto … Republica] R. 6 505e 26–27 in … Plato] Phdr. 240–253 27–30 Symposio … felix] Smp. 211b 30–58.1 In … Dei] Phdr. 251–253

quae solius est Dei. Quare in Symposio venari docet e silva et materia pulchritudinem per se, sine ulla mixtione aut compositione existentem. In Phaedro postea ostendit eam in solo esse Deo, quo uno fruuntur, qui beatam in coelo vitam agunt. Sed quomodo Cicero ait cum Timaeo in astro esse animas, ubi sempiterno aevo fruantur. Aut intelligit non quod aevum sit, quo, sed in quo, ac per quod fruuntur, ut mensuram non obiectum posuerit. Aut certe id quod in fruente tertium ponebatur: stabilitas et quies aeterna, quae ut prius in ambrosia aeternitateque, ita nunc in aevo significata est. Et iam expositum est frui nos etiam actione vel habitu amoris ut forma, non ut obiecto; ita et cognitione et quiete, quae ab obiecto fluunt veluti a sole radius, lumen, calor.

22. *Personarum fruitio una*

Pater ac Filius distinctae re sunt personae, quo fit, ut credere quis possit, alio nos actu Patre, alio Filio frui. Sed non ita res se habet. Nam bonum est quod volunt omnia, et cum voluntate fruamur, non nisi qua bonum est fruimur. Scribit praeterea Plato sexto Reipublicae bonum ipsum gignere filium sibi per omnia et similem et aequalem. Non itaque Filius bonum est Patre minus, neque etiam maius si aequale; nec alia omnino bonitas Filii est quam Patris, quia alia esset essentia. Bonitas enim essentiam sequitur, atque ita non esset aequale, quia species sunt ut numeri, atque una essentia semper altera est, vel melior vel deterior. Neque est bonitas eadem essentia et numero altera, id enim imperfectorum est et eorum quae silvam et materiam habent. Nec uni tota essentiae perfectio inest, quae, cum Deo tribuere nefas sit (est enim ipsum bonum perfectum, ut Parmenides et Philebus docent), necesse est ipsum bonum et ipsam bonitatem in Patre ac Filio omnino esse et eandem et simplicissimam. Quare quatuor de eo bono Plato numerat in Symposio: sincerum, integrum, purum, simplex. Primum materiam, secundum divisionem naturae in singula, tertium omne accidens, quartum omnem partium sive generum

---

13 posset *N1 N2 A* 15 qua] quia *V* (*pc.*) *H* 18 minus patre *tr. H* | aequale *in marg. V* 20 atque] at que *A* | ut] sicut *V H* | numerus *ac. N1*

25 Parm. 88 *MSS* | Phil. 23 *MSS* 27 Symp. *N1 N2 V*: Symp. 55 *A H*

1–2 in … existentem] Smp. 211–212 3–4 In … agunt] Phdr. 252e 4 Cicero] Rep. 6.13 4–5 Timaeo … fruantur] Ti. 42b 16–17 Scribit … aequalem] R. 6 506e 24–25 est … Parmenides] Prm. 134cd 25 Philebus] Phlb. 60e 27–28 quatuor … simplex] Smp. 210b–211c

compositionem a bono ipso aufert. Unius itaque bonitatis ac simplicis in omnibus personis, una est fruendi actio omnino, nam actus per obiecta distinguitur. Obiectum beatorum finis est et bonum summum. Bonitas in illis omnino una est, ut essentia. Una itaque omnino fruentis voluptas atque actus ex omnibus personis excipietur.

23. *Utimur aliis omnibus*

Finem omnium actionum bonum esse dicit Plato in Gorgia. Atque id quidem quod ad aliud non referatur bonum, quin ipsius gratia alia sint omnia. Id autem Deus est, quo nihil est melius, ut ipse idem ait. Ex hac eius bonitate ostendimus uti nos omnibus aliis quae citra Deum sunt ut per ea tendamus in Deum, nam non minor est eius bonitas quam potestas. Sed nihil est quod ab eius bonitate non manat ut a principio. Nihil ergo est quod in eius bonitatem non tendat ut in finem. Aliis itaque utimur omnibus ut in finem omnium ducentibus. Secundo, ex nobis, qui sumus quodammodo omnia, ut tertio De anima libro scriptum est, per sensum sensibilia, per intellectum intelligibilia, omnia igitur vel sensu, vel intellectu percipimus. Quare illis omnibus sensu intellectuque uti possumus, cum viribus nostris omnibus tamquam regina imperet voluntas. Tertio, ex aliarum rerum essentia, quae ab uno pendent ut effectus vel ut pendentia ab eo; et cum effectus et dependens omne in causae notitiam ducant, ut lumen in solem, et fumus ignis, omnibus igitur utimur, ut quibus notis, ad ignotam causam vestigandam utimur, ut Plato ex ordine rerum Deum demonstrat. Quarto, ex bonitate earundem rerum monemur esse aliam longe maximam bonitatem; e quibus cum summam bonitatis rationem in arce naturae esse doceamur, ad illam summe amandam inflammamur. Et ita ex iis quattuor colligimus utendum esse aliis omnibus praeter unum Deum. Nec obstat quod in potestate nostra non sunt, quae enim in nostra potestate sunt iis utimur ut illa efficientes, aliis vero ut illa cognoscentes, et in primo assequendo, quantum fieri potest imitantes, ut de coelo Plato disputat, quod cum paritate corporis,

---

1 itaque] igitur *V H* 12 manet *H* 16 sensilia *N2*; senlia *N1* 25 naturae] necesse *corr. in marg. N1* 26 iis] his *V H* | quattuor] quantum *A* 27 unum Deum] Deum unum *tr. N2* 28–29 efficientes] offendentes *corr. in marg. N1* 29 primo] praemio *in marg. N2*

7 Gorg. 68 *N1 N2 V A* 30 Plato] Tim. 242 *MSS*

7 Finem … Gorgia] Grg. 468b 13–15 Aliis … est] de An. 3.4 429a

aequabilitate, atque aeternitate circuitus imitamur optimam vitam instituimus, ac Deo nos coniungimus. Quamobrem in Timaeo Plato "Deus," inquit, "mundum fecit quia bonus," tum ut principium esset omnium quod est boni proprium sese diffundere, tum ut esset omnium finis, facta enim omnia vel ratione utuntur vel ea carent. Quae ratione utuntur divinae bonitatis gratia sunt, ut illa fruantur ratione carentia (quoque illius bonitatis causa) sunt quibus utuntur illa superiora. Quae ideo his utuntur ut ad fruendam perveniant divinam bonitatem. Omnibus igitur aliis utimur cum referimus in finem ultimum actu aut habitu. Si actu, meremur, si habitu, non peccamus, si neutrum, sed in illis persistimus, tunc et rebus abutimur et peccamus.

24. *Deo an utamur?*

Si uti non aliud a scriptoribus esse dicitur quam aliquid assumere in facultatem voluntatis, cum Deum hoc modo ut finem voluntas assumat, Deo quoque uti posse videbimur. Deinde, cum voluntas potius assumat et quaerat quam finem, et illius gratia cetera, ergo maxime Deus esse putari poterit, quo utamur. Dicimus cum Platone usum quandoque sumi pro eo quod etiam fini convenit. Libro de Republica 10 ait usui ac fini unumquodque referri; atque inde mensurari, ut amicum vel bonum vel malum vel meliorem vel deteriorem nonnisi ex usu, quo eo uti possumus, pensamus. Hoc modo, unumquodque usus obiectum esse potest, atque ideo ait ex usu unumquodque pensamus. Sic Deo utimur ad felicitatem, ex eo enim felicitatis forma gignitur in mente felicium. Alio modo usus capitur cum aliquid voluntas assumit vel agendum vel imitandum vel considerandum cum ordine ad aliud tanquam ad obiectum finemque perfectum. Et haec est propria usitataque significatio usus, ut in Cratylo utile dicit appellari, quod conferat et conducat: ubi vocabuli notam et etymologiam perquirit. Atque eo pacto in tertio Legum libro, "Si quis igitur," inquit, "exercitu uti scivisset, felix fortasse fuisset," ubi usum non felicitati coniunxit, sed exercitui, qui finis triumphi et felicitatis gratia

5–6 divinitate *N1* 14 voluntas] potius *ac. N1 N2* 15 Deo … assumat *in marg. A* 17 summi *N1 A* 21 unumquodque] unumque *N1 V A H* 27 appellat *N1 V A H*

17 10 Reip. 9 *N1 V A H* 26 Crat. 60 *MSS* 28 3 Leg. 13 *N1 N2 V H*

2–3 in … bonus] Ti. 30 18–21 Libro … pensamus] R. 10 601d 26–27 haec … conducat] Cra. 390b 28–29 tertio … fuisset] Lg. 3 686e

comparatur. Si itaque loquamur communi et parum usitata loquendi ratione, fateri possumus Deo etiam ipso nos uti posse, si vero et usitata et propria, id omnino negandum est.

25. *Deus unus rationibus confirmatur*

Dii an sint plures, ut sensit antiquitas, ex eo dubitari potuit, quod ab uno simplici qua unum est, nonnisi unum dimanare potest. Cum vero multa bonitatis genera exoriantur, non unus omnino esse videri posset. Verum in hoc omnis philosophia tam Aristotelis, quam Platonis, quam etiam antiquorum sapientum, ut Homeri et aliorum cum religione concordat. Plato in Parmenide de uno secretissima mysteria aperit. Aristoteles duodecimo Sapientiae libro, unum esse omnino defendit, ad idque mira elegantia Homeri versiculum usurpavit οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη· εἷς κοίρανος ἔστω, εἷς βασιλεύς. Possunt ad id et rationes in medium adduci. Primo, quidem species sese habent velut numeri, ut uterque philosophus testatur. Ita enim ab uno manant, ut unitate addita iam numerus diversus evadat. Sed omnes numeri ita se habent, quod ab uno omnino individuo fluunt. Quare et rerum species ab una et causa et principio vel oriuntur vel pendent quod quidem omnino est unum atque individuum. Secundo, post mathematicam, naturalis est ratio, nam omnis essentia alicuius integri ac totius rei numquam in plura dividitur, nisi per corpus ut est videre in omnibus quae in eadem natura multa sunt. Sed Deus neque est corpus ut animal, neque corporis forma ut anima. Non itaque tribui pluribus potest natura divina. Tertio, multitudo singulorum in natura est, ob idque singula caduca atque mortalia, aeterna esse non possunt. Ideo providentia consuluit aeternitati fecitque ut quando unum non poterat aeternum esse, natura tamen multorum successione perseveraret. At Deus neque caducus neque mortalis cogitari potest. Non ergo in multa dividi cogitari debet. Quarto, nulla in corporibus praestantia statuenda est, quae iis quae sunt praestantiora corporibus tribuenda non sint. Sed quanquam corpora, quae inter elementa gignuntur, in eadem natura multa sint, quae tamen ex elementis non conflantur, singula in singulis naturis

---

2 sin *N1 V A H* 5 sint] sin *N1* | potest *ac. N2* 8 quam] quasi *ac. N1* 11 at *V H* 14 veluti *V H* 23 natura divina *add. A* 29 sit *N2*

10–11 … defendit] Metaph. 12.1076a 10–13 … βασιλεύς] Il. 2.204 f.

inveniuntur. Si itaque corporibus praestat Deus, in una tamen natura divina, unus dumtaxat esse potest Deus. Quinto, illa sunt tantum una in natura, quae nullam aliam naturam recipere possunt sed ex tota (ut aiunt) natura constant sua, ut luna, ut mercurius, ut sol. Atqui Deus non modo aliam materiam non recipit, immo nullam omnino admittit. Quamobrem unus erit dumtaxat. Sexto, ubi essentia individua fit, in uno tantum erit, ut homines licet plures sint, Cicero tamen ille, in quo iam essentia individua fit, non potest cogitari esse nisi unus. Verum divina essentia per se individua est, cum sit adeo simplex, quod non est aliud essentia, et aliud singulum quod per essentiam habet esse. Dividi ergo in plura non potest. Septimo, ex perfectione, Averroes namque quinto Metaphysice omnium in eo generum perfectiones sitas esse testatur. Tum si duo sint dii, differentia differunt aliqua vel nulla. Si nulla, unus est; si aliqua, vel illa perfectio quaedam est, vel privatio. Alter igitur superior erit, alter inferior. Quare hic Deus non erit, quia summus non erit cui aliquid deest, perfectus omnino non erit. Octavo, cum Platoni mundus sit unus et perfectus, in quo miro ordine multa constituta sunt, multitudoque ordinem recipere ex se absolutissimum non possit nisi ab uno, uti in exercitu, in navi, in regno, in quibus optima dispositio invenitur. Necesse est, ne mundus ordinem desideret, principem totius esse unum, a quo omnia in unum ordinem disponantur. Haec ex Aristotele et prius ex Platone. Nono, omnis multitudo in aliqua natura, quae prius et posterius, magisque et minus recipit, oportet ab uno fonte proficisci, quod totius sit mensura universitatis. Ut calor qui varius in rebus apparet unum tantum habet quod in caloris natura summum tenet locum, ut ignis. Ita boni entisque naturae, cum ita sparsim in rebus misceantur, unam habeat oportet summam primariamque naturamunde veluti e fonte atque origine universa pendeat natura. Ea Dei unius natura dicenda, ut terra campusque idem facit idem semper eodem semine, multis vero seminibus, herbas, frutices, arbores, tubera, et quasdam cum iis parit animantes. Quod si haec tellus elementorum sentina et faex, quid ille rerum auctor faciet in quo omnia divinissima continentur ratione. Cum dicitur, quod unum facit unum,

---

1–2 in … Deus *in marg. N1* 2 Deus esse potest *tr. V H*; potest esse Deus *tr. A* 5 materiam] naturam *N2 V* (*pc*) 8 cogitari] excogitari *V H* 9 adeo] a Deo *N1 V A H* 13 differunt *om. N2*; due *N1*; 17 multitudoque] multitudo quae *N1* (*pc*); multitudo quod *A* 31 elementorum] electorum *corr. in marg. N1* | author *N1*

16 Tim. *N1 N2 H*

11–12 Averroes … testatur] Comm. Metaph 5.1584

dicitur quod licet unum sit, habet tamen in se ideas et rationes multas per quas efficit multa. Facit ergo unum eadem idea in natura, sed multis multa. Hanc ultimam rationem pluresque alias innuit saepe Plato, cum ex varietate et mixtura rerum unam venatur ideam cum pluribus in libris tum praecipue in de Republica quinto. Cur 'deorum' inscripserit Cicero non facile videre est, nisi deos omnes coelestes mentes appellarit. Sed ne sic quidem recte, cum posteriorum naturae primae naturae similes non sint. Nec generum omnino diversorum nec nomen unum nec natura una dici debeat. Atqui De natura deorum librum inscribit, quasi de unius generis natura se scripturum profitetur, cum scientia sit unius generis, ut apud Aristotelem legitur. Sed quomodo Plato deos saepissime nominat. Vocantur in Timaeo dii deorum. Et in Legibus illis sacra decernit, in quo quidem volumine multas de diis leges passim tulit. Libro quidem septimo solem et lunam, et deos facit, et adorandos constituit. Octavo vero libro in duodecim vicis coli iubet, et deos duodecim. Decimo quoque libro sive dii sint stellarum animae, sive non sint docet tamen diis plena esse omnia. In Epinomide tandem de diis perplura. Nam cum plurima de illis et disseruisset et affirmasset, partiri etiam eos in quinque genera minime dubitavit. Testatur visos in aqua saepissime fuisse. Verum ille Plato idem, qui utinam pro Aristotele in nostrorum venisset manus, vidissent philosophiam sapientiae ac pietati non modo non inimicam sed aut comitem aut certe ancillam officiosissimam. Quod enim Peripatetica disciplina tollat e medio religionem, ea hominis est culpa, non philosophiae, quae probos et perturbatione vacuos nacta animos, ostendit eadem magna ex parte se sentire in iis quae ipsa assequi potest aut quae non potest, ab oraculis divinis se suscepturam ingenue fatetur. Loca Platonis tunc ostendemus cum agetur, quomodo Deus intelligatur. Ille, inquam, idem, Plato disputat in Civili, duos esse deos nulla omnino ratione posse, cum coeli rerumque ac mundi ordo exactissimus, ut optime sese habeat, nonnisi ab uno principe proficisci possit. Qui cum hic duos abstulisset in Timaeo,

---

9 inscripsit *V H* 14 adorandos] ad orandos *N1 A* 15 sive *in marg. V* 19 aquam *V* 20 utinam] uti *corr. N1* 26 fatetur ingenue *tr. V H* 27 agere *A* | idem inquam *tr.V H*

5 Cur] Dii non plures *N1 N2 A* 13 7 Leg. 35 *N1 N2 V H* 14 8 Leg. 25 *MSS* 15 10 Leg. 21 *MSS* 17 Epinomide *N1 V H* 28 Civ. 21 *MSS* 30 Tim. *MSS*

3–5 Hanc … quinto] R. 5 479–480 12 Vocantur … deorum] Ti. 41a 12–14 in … constituit] Lg. 7 821b 13–15 Libro … duodecim] Lg. 8 828c 14–16 Octavo … omnia] Lg. 10 902a ff. 17 In … perplura] Epin. 984b 27–30 Ille … possit] Plt. 270a

postea uni sceptrum dedit. Cur autem de diis aliis saepe loquatur in Cratylo dedit causam: quoniam de Deo quidem ipso nihil scimus, ideo de diis aliis loquamur. De natura essentiaque divina loquebatur, quae hic comprehendi nullo modo potest. Alii autem cum mentes sint et initium habentes et mensuram sicuti mens habet humana, ea propter, ea quae sunt post primum, cognosci humanae mentis similitudine potuerunt aut omnino aut magna ex parte. Quod ait in Timaeo, dii deorum, per ea ipse unum ostendit esse deum cui natura divina insit alios nomen non etiam naturam obtinere. Illam enim orationem deo tribuit, omnium auctori, qui illos doceat non esse deos sed natura quidem mortales, divina vero voluntate aeternos. Quae quomodo se habeant docendum est alibi. Nunc satis sit platonica ratione deos non esse plures, hoc est naturam illam divinam, cuius unitatem in Parmenide nescio diffusius an subtilius demonstraverit pluribus quam uni tribui omnino non posse. Nam illorum natura eadem illis esset vel non eadem. Si non eadem, cum quae natura differunt, differant etiam perfectione. Qui inferior erit Deus non erit, ordinem enim et mandata a superiore recipiet, non ipse ordinis auctor habendus erit. Sin natura eadem, naturae ordo quandoque subverteretur, tum quoniam quae plura sunt in eadem natura, nisi sint formae corporis (de totis enim loquimur, non de partibus) mortalia sunt, ut tertio De anima libro probat Averroes. Interituri ergo essent isti dii, quando etiam ordo collaboretur. Tum quoniam vel idem omnino sentirent, vel in aliquo administrandi consilio dissentirent. Si sentirent idem, alter frustra, ac supervacaneus esset si uterque ex se sufficeret. Si non sufficeret neuter Deus esset, multum enim deesset ei, ut Deus dici posset. Quod si diversa sentirent, diversa agerent oporteret. Esset mundus civitati similis quam seditionum capita discerpunt, tunc enim universus ordo corrueret. Recte itaque atque sapientissime ex hoc ordine Plato colligit non plures esse deos. De sole, et luna, et sideribus aliis, si deos vocat, sententias exponit aliorum. Nam in Apologia quid ipse sentiat Socrates manifestissime docet. "Solem," inquit, "et lunam ego deos non puto." Ubi testatam relinquere voluit sententiam suam, deos alios praeter unum putandum

---

2 ideo] immo *N2* 4 comprehendi] comprendi (he *sl.*)*N1* 6 post primum] prius primum *N2*; primum principium *V H* 18–19 solveretur *N1 N2 A* 22 ollaberetur *N2 V A H* | sentirent] idem *N1* (*ac.*) 25 multum] nullum *V H* 26 agere *A*

1–2 Crat. 30 *MSS* 16–17 Qui … recipiet] Apol. 17 *V* 20–21 tertio … anima] Com. 5 *V A H*: Nm.5 *N1* 30 Apol. 17 *N1 N2 A*

1–3 Cur … loquamur] Cra. 397c 18–21 Sin … Averroes] Comm. de An. 3.5, 121–126 30–31 in … puto] Ap. 26d

non esse. Quod si saepe deos appellat temporis sui rationem habet in loquendo, a vero tamen ratione disserendo non discedit. Plotinus denique Platonis mentem ostendit, quod saepe cum antiquis plures facit deos, non essentias plures, sed virtutes in essentia una plures, quam postea sentiam est Macrobius secutus.

26. *Plura sunt in Deo, quae Attributa vocant*

Si unus simplexque omnino Deus est, ut est late monstratum in Parmenide, in quo nulla prorsus inveniri possit multitudo, quomodo tantum complectitur numerum earum perfectionum quae attributa vocant? Sed probatur in eo perfectiones inveniri omnium, non solum quae sunt sed etiam esse possunt. Deinde quadam excellentiori ratione, ea in Deo esse demonstrabitur, quam in rebus aliis sint. Ratio quod ea in Deo sint, ex eo sumitur, quod causa est omnium rerum. Nam quaecumque praestantia aut perfectio in eo quod fit apparet, necesse est ut ea omnis in efficiente causa praeexistat vel eiusdem actutum naturae si agens sit eiusdem naturae, ut cum ab homine homo gignitur, vel si superius sit agens, ea perfectio erit in agente longe praestantiori ratione, ut quae a sole gignuntur, speciem et virtutem et vim omnem quam habent, sol multo excellentius habet. Quare cum omnium causa sit Deus, ut Plato autumavit in Timaeo, in eo tantus formarum et perfectionum numerus ponendus est, quot in natura res sunt aut esse possunt. Secundo, res antequam fiant alio modo in materia, alio in agente continentur, in quibus modo quodam et quadam parte se praecedit. In materia quidem violae antequam gignantur, modo quodam continentur deteriori atque imperfecto. Materia enim quidquid habet in potentia tantum habet, quippe quae ex se segnis atque iners mater, ut Plato vocat in Timaeo, sine implente et excitante patre non gignit. At agens et parens pater rem non potentia sed actu secum habet. Quare Deus rerum omnium principium actu in se habet omnia. Et quoniam causa est non rationis eiusdem cum eo quod fit, sed omnium eminentissima, idcirco omnia continet excellentissima quadam ratione.

---

5 est] postea *N1* (*ac.*) 12 demonstrantur *A* | Deo] eo *H* 15 actuum *V H* 17 praestantiori] perfectiori *H* 19 quare] quia *A* 21 quod *A* | secundo] ideo *add. N1* (*in marg.*) *A* 25 tantum *in marg. V* 28 actum *pc. N1* 30 continet omnia *tr. V H*

2–4 Plotinus … plures] *e.g.*, Enn. 6.9 19–20 Plato … Timaeo] Ti. 29a ff 24–27 Materia … gignit] Ti. 50d

Tertio, omne id quod agit mente atque intelligentia imagines secum habet eorum quae agit, ut pictor, sculptor, architectus, faber formas quas in materia gignunt mente prius praevident, multo et illustriores et augustiores quam postea gignunt. Tum quia in subiecto sunt illustriore, tum quoniam infinitam artis virtutem faciunt quae semper unde magis excoleret adinveniret. Habet itaque in sapientissima essentia Deus omnia, tanto tamen altius ac sublimius, quanto rebus altior ipse est atque sublimior. Nec obstat quod unus sit ipse atque simplex. Haec enim re inter se non differunt, sed tantum ratione, hoc est, animi cogitatione atque etiam definitione. Et hoc sibi vult fabula quod Saturnus liberos suos hoc est divinam naturam, omnia quae in se habet ita sibi unire et idem facere ut res eadem sit cum illis, et quasi devoraverit et absumpserit in seseque converterit non a se ipsa aliud esse sinat. Ita tamen essentiae divinae sunt idem ut distinctas inter se servent rationes. Ratio enim bonitatis non est sapientiae ratio, ac de aliis modo eodem.

27. *Sublimius ista in Deo sunt*

In Alcibiade primo dicitur cogniturum esse divina eum qui oraculo pareat seque ipsum cognoscat, ubi, cum mentem, cum sapientiam animadvertet, facile ad divina intelligenda consurgit. Sunt igitur in mente nostra tria: primo, quidem cum sit omnia facere omnium rerum similitudinem quae in rebus semper secum sint, mens in se simul amplectitur. Secundo, quod sine materia et contrario in se habet quod in rebus non est. Tertio, quod in mente in uno simplicique subiecto continentur. Quapropter quasi unum sunt omnia. Per primum habet ea omnia congregata simul, quae in nullo alio reperiuntur nisi divisa: aqua piscium, aer avium, terra herbarum, lapidum, metallorum, coelum solis, lunae astrorumque; formas possidet. Horum unumquodque sua sorte contentum, aliorum pulchritudine caret, at animus humanus illa simul omnia in se conspicit. Quare ex cumulo rerum omnium quem mens recipit, cognoscimus in Deo auctore et mentis et omnium haec simul unita esse, et in

4 angustiores *A* | illustriori *N2*; illustrior- *N1* 5 tum] tunc *A* 17 eum] cum *A* 18–19 animadvertet et *ac. add. N1* 21 semper] super *add. A*; super *corr. in marg. N1* | secum] cum *N2* 22 et subiecto *ac. add. N2* | in se] *om.V H* | habet] habeat *V H* 27 possidet] formidet *corr. in marg. N1*

10 hoc sibi vult fabula quod Saturnus] Plotinus *MSS*

17–19 In … consurgit] 1 Alc. 133c

divina illa mente multo plura fulgere. Per secundum fit ut purius sint in mente formae quam in subiectis naturae, ut forma ignis et aquae contrariae sunt in rebus et in materia qualitatibusque permixta; in mente vero nullam omnino pugnam reformidant, nihilque prorsus mali. At in Deo, quanto puriora illa sunt quae idem cum beatissima illa essentia sunt, non solum ignis contrarium malumve non habet, quod etiam est in mente hominis, sed sapientia ea est, cui nulla prorsus inscitia mixta est, et ita perfectiones formaeque omnes nihil habent in quo deficiant. Quod quidem neque in mentibus hominum neque coelestium intelligentiarum esse potest. Per tertium unitae illae quidem formae sunt tam in humana mente quam in divina, sed longe unio est in humana quidem et accidentia diversa inter se sunt et ab mentis natura seiunctae. At in Deo neque accidentia sunt, neque a divinae mentis natura distincta sunt. Quare in ea fulgentissima lux est; omnia lux sunt, ut quae ignis comprehenderit vertuntur in ignem. Quamobrem quae sunt inter se seiuncta ac separata in mente atque animo sunt coniuncta atque unita, sed in Deo non coniuncta atque unita modo, sed etiam sunt unum, nam idem cum essentia divina sunt. Quare sunt inter se idem atque unum, sola tamen distincta ratione. Est et quarta in illis formis in Deo constitutis, quod non solum formae sunt et perfectiones rerum sed etiam formas perfectionesque persimiles gignunt, cum sint mundi et rerum omnium causae, quod in aliis mentibus illae formae licet inveniantur, non tamen nisi significare res possunt, condere aut formare non possunt. Hoc autem et in mente nostra modo quodam reperitur in iis quae arte conficiuntur. Ars enim, ut patet, naturam imitatur, et ut formae artis in nobis causae sunt earum quae fiunt rerum, ita et in Deo sunt causae auctoresque naturae. Quare ex iis quattuor quae nostris in mentibus sentimus, divinam in iis perfectionibus contemplamur. Diximus in superiore sententia formas et attributa esse multa in Deo. Hic quatenus in eo sunt ratione quadam excellentiori sitae demonstravimus. Excellentia autem illa ex iis quattuor colligenda est: quod simul iunctae sunt omnes, quod contrarii malive expertes sunt, quod non solum unitae, verum etiam unum sunt, quod rerum omnium causae auctoresque sunt. Haec est ergo venatio Socratis quam in Pythagora divinam appellitabat, cum ex his quae in hac silva, et

3 materiae *N1 A* 6 non *sl. N1* 7 nulla] natura *corr. in marg. N1* 10 quidem illae *tr. N2 H* 18 quare] quia *A* 21 persimiles] similes *N2* 25 patet] potest *A* 27 quare] potest *corr. in marg. N1* | iis] his *V H* 29 tributa *A* 33 haec] ex *corr. in marg. N1*

33 Socratis] (*asteriscus*) *N2*

praecipue in Diana silvarum custode, hoc est humana anima, aspicimus divina venamur. Et quia Diana haec quattuor suo habet modo, multo divinius ratiocinamur in Dianae parente contineri, quod scilicet formae omnes primo cumulatae, secundo consummatae, tertio unum, quarto creatrices, cumulus in uno Deo infinitus, consummatio, cui nihil omnino deficit, unio absque ulla parte, vis creandi etiam ubi nullum subiectum habeatur. Hae sunt formarum laudes divinarum, in quibus summum et gloria et decus invenitur. Hic est apud Platonem intelligibilis mundus, quem qui non aspicit caecus est, creati mundi causas non videns; qui vero eum viderit, is summum adeptus bonum quatenus haberi hic potest, eatitudine fruitur. Unde Dominus, qui beatus erat, illius contemplatione dicebat, "Regnum meum non est de hoc mundo."

28. *Propriene in Deo?*

Dubitatum diu est inter multos an sapientia, bonitas, atque alia proprie et in Deo sint et de eo enuntientur. Duo hic disputantium agmina introducuntur: Alii, duce Avicenna et Rabbi Mose, dicunt multa, quae numerare hic satis conducit. Primo, quidem quod Deus est primum esse, quodque esse proprie Deo tribuitur, de eoque nonnisi proprie dicitur. Secundo, quod alia quae tribui Deo consuevere, ut intellectus et voluntas, ut sapientia, et alia, Deo non propria appellatione conveniunt, cum secum (nescio quid) claudant parum perfecti, quod Deo attribuere nefas est. Tertio, dari illa Deo consuevisse negandi potius quam affirmandi consilio, sicuti ad contrarium tollendum. Ideo enim nominatur sapiens, quod nulla in eum cadat inscitia nihilque eum latere plane possit. Quarto, etiam negandi rationem alteram esse, cum aliquid sequitur ex negatione. Quamobrem quod ex negatione colligitur, id dare Deo usitatissimum est; ut verum est Deum partibilem non esse, ex hac negatione unum esse Deum affirmamus. Et quoniam silva vacat, nec corpus est, nec materiam habet ullam, eapropter eum nunc intellectum, nunc intelligentem appellamus, quae quidem duae affirmationes non proprie sed negationis gratia conceduntur. Quinto, aliquid nonnumquam dari Deo, non quidem

---

7 haec *N1 V A H* 9 qui] quatuor *corr. in marg. N1* 14 est diu *add. V H* 18 proprie] proprium *praem. H* 24 nulla] natura *corr. in marg. N1* | plane *om. V* 29 intellectum nunc *tr. V H*

8–9 Hic … videns] R. 7 532b ff. 11–12 Dominus … mundo] Io. 19.33

quod id in Deo sit, sed quod illius causa Deus sit; neque aliam ob causam Deum dici bonum, nisi quod omnium causam sit bonorum. Sexto, appellari denique quibusdam appellationibus, non quod illae Deo conveniant, sed quod ita Deus modo quodam se habeat, sicuti ea quibus illae conveniunt; ut cum iratum nominamus Deum, non ita desipimus, ut Deum omnium rerum longe tranquillissimum atque ab omni agitatione alienissimum, vexari a perturbationibus arbitremur. Quam omnem abesse a natura divina doctissimus ostendit vates cum ait, Tantae ne animis coelestibus irae. Sed quod iniustum et iniuriam inferentem ulciscatur, quod iratorum omnium esse solet, quandoquidem ultio in irae definitione collocatur. Quamobrem ii homines defendunt, praeter esse, nihil Deo proprie posse tribui, sed si quid consuetudo obtinuerit, id omne negationis tantum et causae significandae gratia obtinuisse, ut cum fluviorum aquas dulces et camporum laetas segetes dicimus, quod illae salsae non sint, quod hae spectantes efficiant laetos. Ex iis illi septimum ponunt, ut questioni respondeant. Haec omnia si propria significatione capiantur, Deo non convenire, quod omnibus attributis verum esse volunt. Addunt quoque et octavum rationibus attributorum, divinam naturam non respondere, et nihil in se habere quod per illas significetur, ut vicinum fundamentum, sed tantum ut remotum vicinum autem illarum fundamentum esse ea quae sunt in nobis, unde illa translata sunt, ut ad negationem vel ad causam significandam. Denique, nonum faciunt omnia quae de Deo deque rebus aliis dicuntur, ne una quidem dici ratione, verum quaecunque ea sint ambigue nominari. Decimo his annectunt, nullam similitudinem in Deo et aliis statuendam esse, licet sapientes, licet boni, licet iusti Deus hominesque et sint et habeantur. Altera est Platonis et postea Dionysii sententia, quae Deo attribuuntur, ut perfectiones propriae, non translatae in Deo reperiuntur. Ratio autem apertissima posita est in superiori sententia, quod quae hic perfectiones sunt, non solum in Deo sunt, sed longe exactius atque excellentius in illo sunt: quod cumulatae omnes, quod consumatae, quod unum sunt, et quod creatrices. Quare Deo non solum proprie, verum etiam quam accommodatissime tribuuntur. Et hoc Averrois libro Metaphysices duodecimo, de vita et scientia. Quapropter

3 ille *N1* 4 ille *N1 V* 10 in irae] inire *A* 11 ii] hi *H* | nihil] nisi *N1 V A H* 23 deque] quodque *corr. in marg. N1* 31 et *sl. A*

8–9 divina … irae] Aen. 1.11 32–33 hoc … scientia] Comm. Metaph. 12

in Phaedro solus Deus sapiens appellatur, quod de eminentissima illa sapientia intelligitur, quae quattuor illa sibi vendicat quae supra numeravimus. Tantum itaque abest, ut haec in Deo non sint, ut, sicuti Platoni placet, nullibi proprie nisi in Deo sint. Sed tamen vult Plato, haec in nobis inveniri posteriore atque inferiore quadam ratione, ut de sapientia confitetur in Timaeo, quam quidem notitiam probabili persuasione sublimiorem diis tribuit, et deorum amicis, docturus nostra omnia ab illis, ut simulacra ab exemplari proficisci. Sed illi ea respiciunt quibus nomina data sunt, quae sunt nostratia, haec et concreta, et coagmentata. Plato vero et Dionysius id intuentur unde nomina sumpta sunt, id autem est forma atque perfectio. Quare utrique ita conciliantur, quod has appellationes illi capiant, ut humanis conveniunt rebus, hae vero ut a formis sumptae sunt. Libro enim octavo Metaphysices nomen totius esse dicitur, a forma tamen totius esse sumptum. Sed Averroes eo in loco, formam priusquam totum a nomine significari testatur. Quare longe melius Plato sentit quam Avicenna et Rabbi Moses, qui id sectatur, quod per se est, in nominis significatione, illi vero quod est per aliud, cum nomen coniuncta significet per formam. Forma vero in Deo longe perfectius invenitur. Ergo et formae nomen multo decentius Deo copulabitur. Quo fit ut in Timaeo Plato veras in mundo intelligibili res esse, hic vero nonnisi simulacra umbrasque asseveraverit. Lex Vetus id praedicat, quoniam in imagine pertransit, ut est in Psalmo. Idem et Evangelium praedicat cum ait, Illuminare his qui in tenebris et in umbra mortis sedent, intelligibilem Dei filium vocans.

29. *Numero perfectionum aliquid in Deo respondet*

Si et simplicissimus est Deus, et plane unus, quomodo tam multa et infinitus formarum atque perfectionum numerus ei attribuentur, in quo, ut Parmenides probat, nullus inveniri potest numerus et nulla multi-

---

1 eminentissima] sapientissima *corr. in marg. A* 2 vindicat *N2*; vendicet *A* 7 attribuit *A* 8 ea] eas *V H* 9 haec *om. V H* 11 quare] quarum *V H* | ita *om. N2 V H* 12 hae *ed.*; hi *MSS* 15 priusquam] plupr … *in mar. N2* 16 sensit *V H* 22 et idem *tr.A* 23 iis *A* 27 attribuuntur *A*

1 Phedr. 50 *MSS* 20 Timeo 130 *N1 V A H*: *N2*.

1 in … appellatur] Phdr. 278d 4–6 vult … Timaeo] Ti. 41 ff. 13–14 Libro … sumptum] Metaph. 8.6 1045a 20–21 in … asseveraverit] Ti. 52c 21–22 Lex … Psalmo] Ps. 104 22–24 Idem … vocans] Mt. 5.15 26–71.1 Si … multitudo] Prm. 128a

tudo. Dicenda tria sunt: primo, quid sit ratio, deinde, quid sit distingui ratione, tertio, haec ratione distingui. Quarto sequitur aliquid multitudini respondere, quod hic praecipue vestigandum est. De primo, Plato epistola septima numerat quinque: nomen, rationem, simulacrum, sententiam, intellectum, et haec in eo doctrinae ordine, quae non per se vestigando, sed a praeceptoribus docendo suscipitur. Primo, enim nomen rei proponitur qua de disserendum fuerit, ut cum dicitur 'circulus.' Deinde est eius ratio, quae aliud profecto non est, quam definitio, vel declaratio, vel similitudo, quam de eo nomine postea concipit intellectus, sive sit definitio rei, sive nominis, sive simplex animi de circulo cogitatio. Simulacrum vocat Plato circulum in auro vel in ligno aut qua vis in materia ductum. Scientiam sive opinionem quae de simulacro per propinquam habet causam. Intellectum vero eam cognitionem quae non amplius a simulacro materiali, sed ab immateriali forma, essentia, idea, in animam proficiscatur. Nec sat erit nosse, quid ratio sit, quam mentis cogitationem vocant Plato, Cicero, Damascenus. In Theaeteto enim cogitationem esse dicit, quam anima in seipsa volutat. Sequitur postea eam hoc dici nomine, qua anima definire res solet, atque omnia facere. Nisi enim simplicem habeat de re conceptionem, orationem postea non componeret. Et ne de qualibet cogitatione dictum arbitrareris. In Sophista id planius ostendit aitque esse animi orationem absque verbo. Haec quarto Metaphysice definitio dicitur, ait enim quod ratio quam nomen significat, definitio dicitur. Quod nomen definitionis communi quadam appellatione usurpavit pro simplici animae cogitatione. Septimo quoque Metaphysice, Qui non definit, inquit, nomen non imponit, cum nomina res significant nonnisi per mentis cogitationes. Secundo, ea ratione tantum seiunguntur, quae cum res una sit, ut duo ab anima comprehenduntur, ut idem est qui homo est, et qui disciplinarum capax est; haec tamen ut ratione diversa mens comprehendit: illud ut substantiam, hoc ut

---

2–3 multitudini] mihi *corr. in marg. N1* 5 sententiam] et *add. A* 7 de qua *tr. A* 10 nominis *in marg. V* 12–13 per propinquam] perpropinquam *N2*; propinquam (per *sl.*) *N1* 16 Damascius *N2*; Damas.c. *N1* | Theaeteto] Theet. eto *V H*; Theae *A* 20 dictum] deum *A* 21 orationes *A* 24 appellatione] usurpatione *corr. in marg. A* 27–28 comprehenduntur *in marg. V*; cognoscitur *ac. V*

4 7 Ep. 31 *MSS* 16 Theaet. 103 *N1 N2*; Thee. 1 *A* 20–21 Soph. 19 *V H*; Soph. 90 *N1 A*; Soph. 91 *N2*

4–5 Plato … intellectum] Ep. 7 342b ff. 16–17 In … volutat] Tht. 185c 20–21 In … verbo] Sph. 263e–264a 21–23 Haec … dicitur] Metaph. 4.2.14 1004a 24–26 Septimo … cogitationes] Metaph. 7.4.10 1030a

substantiam consequens. Aut, ut commodius dicam, in puncto id videre est. Quamquam enim unum id sit, habet se tamen ut duo in linea, sicut partis antecedentis finis, et sicut venientis initium: res una in se est, quia tamen animi cogitatio alia est, atque alia cum finem cogitat, ac cum facit initium. Idcirco haec duo ratione tantum et cogitatione seiunguntur. Cum ergo unum quasi duo ab anima cogitatur, tunc ea duo non re, sed ratione ac cogitatione seiunguntur. Platonis sententia est ea intelligentia distingui, in Parmenide. Tertio, dicendum est de iis quae in Deo sunt, sunt siquidem ea omnia unum, incredibili etiam unitate. Sed quoniam anima infinitam illam felicitatem omnia complectentis uno contuitu diiudicare non potest, idcirco ut solita in humanis est videre, quod alia est ratio sapientiae, alia potentiae, alia boni, alia veri. Idcirco inquam illa in se quidem ipsis unum esse videt, sed apud cogitantem rationemque vestigantem mentem diversa ratione distingui, quae 12 Metaphysices ab Averroe acutissime disputata sunt. Quarto, ex his colligo, huic nominum multitudini ingentique numero nonnihil respondere, cum in ea unitate quamquam impartibili, perfectiones tamen inveniuntur quae cogitari ab anima possunt diversa ratione, immo quae ita se habeant, quod ratio alterius alteri convenire non possit.

30. *Quid respondet? quod non synonyma, quod fundamentum propinquum*

Sed est adhuc quod quis dubitet, tum quod si multitudo est rerum in re vero nulla omnino multitudo est, ut in Parmenide Plato ait, quod aliquid respondeat multitudini non videtur. Praeterea si quid respondeat, id longe ac plane procul respondere videtur, quod vero proxime multitudinis apparet fundamentum, ut supra Avicenna atque Rabbi Moses dicebant, res erant humanae quas seiunctas re ipsa ratio adinvenit, e quibus postea laborat divina coniicere. Sed primo docebo esse in Deo quod his appellationibus respondeat. Nam cum id non est, trifariam esse potest, aut conceptio omnino est vana cum id fingit quod omnino non est, ut

4 alia *sl. N2* 8 Parmenide] Parmenide *N1 N2 V*; Parmenide *A H*, 43 11 diudicare *A*; divindicare *N1 V H* | ut *om. V H* | est *om. V H* 18 possint *A* | habeat *V H* 22 multitudo] similitudo *H*; *pc. V*; *pc. in marg. N1 A* | rerum] rationum *A* 23–24 aliquid] *sl. N1* 27 humanae erant *tr. V H* | seiuncta *A* | ipsa *om. V H*

6–8 Cum … Parmenide] Prm. 158 13–15 apud … sunt] Comm. Metaph. 12

fabula solet in Scylla, in Centauris, in Chimera, animal enim tale numquam est. Secundo, si falso aliqua enunciat, vel cum divisa iungit vel cum quae coniuncta sunt dividit, ut si dicat, "Sol est lapis," aut "Sol non lucet." Tertio, si nomina sunt synonyma. Sunt autem synonyma, ut Platoni in Menone placet, quae nullo modo diversa sunt, ut terminus ac finis, et in Philebo genitum ac factum, ubi factum pro producto accepit. Primo quidem modo negari non potest aliquid respondere rationibus illis cum divina essentia quam maxime sit. Neque secundo cum ea tribuantur quae Deo insunt, ac proprie insunt, ut supra dictum est. Nec denique modo tertio, nam synonyma sunt quae habent et rem eandem et conceptionem mentis eandem, quod quidem hic non invenies. Et haec Averroes 12 Metaphysices ostendit synonyma non esse, et causa facile id demonstrat. Nam nomina prius animi conceptiones et cogitationes, ac per eas postea res significant. Quia itaque multitudo non est in significantibus solum nominibus, sed etiam in significatis rationibus animi, ideo appellationes non sunt synonymae. Quas ob res colligimus necessaria demonstratione illis appellationibus multis aliquid in Deo respondere, quae licet in se multa non sint, sat habet, si in se habet, unde multae rationes concipi ac cogitari merito possint. Secundo, de fundamento triplex ratio est: vel in re proximum est, ut in homine, in caelo, in elemento; vel in re non proximum est, sed remotum. Proximum autem in concipiente anima reperitur ut secundae intentiones, genus, et species, et mathematicae abstractiones, quae falsae tamen non sunt, cum veritas ab esse exoriatur; vel nullum omnino fundamentum existit nec proximum nec remotum, ut in chimerae figmento. Rationes ergo in anima quidem sunt, ut in subiecto, in re vero, uti in fundamento vel propinquo tamen vel remoto. Tertio, multitudini illi attributorum respondet aliquid in Deo, sicut proximum fundamentum, secundum sententiam Platonis et Dionysii, ut supra recitavimus, si formam spectemus unde nomen impositum est. Octavo enim Metaphysice licet nomen coagmentato imponatur et composito, a forma tamen est sumptum. Et Plato in Timaeo docet ignis nomen formae

---

1 in … Chimera] in chaemera in centauris *tr. N2* 6 Phaedo *A* 10 sunt] non *ac. V* 14 quid *A* | significantibus] significationibus *pc. H* 15 significatis] significantibus *A* 19 possit *N1 V A H* 20 in elemento] *in marg. V* 21 non *sl.V* 30 Metaphysice] Mathematice *A* 31 docet] dicit *V H*; d *abbr.*

6 Phil. 39 *N1 N2 V H*; Phed. 39 *A* 11 Comment. 39 *MSS*

4–5 Sunt … placet] Men. 75a 6 in … accepit] Phlb. 27 29–31 Octavo … sumptum] Metaph. 8.6 1045a 31–74.1 Plato … permixtione] Ti. 49b ff.

convenire, quae vere ignis est nulla alterius rei permixtione. Sed ignis hic concretus et mixtus, cum mixtam naturam habeat. Et totus et omni ex parte ignis sit purus, ignitum potius quam ignis dici potest. Itaque pura sapientia, quae pura bonitas erit, nulla contrarii contagione labefactata, verius ac magis proprie dici potest, et sapientia et bonitas, et ita propinquum attributorum illorum fundamentum in Deo est, nec alibi est quam in infinito illo perfectionum pelago requirendum. Et quoniam perfectiones humanae imbecillissimae sunt, divinae vero perfectissimae, ideo deorum multitudinem confixit antiquitas, ut Plotinus ait et Macrobius.

31. *Multitudinis illius causa quae?*

Quod vero ingentis illius numeri divinitas causa sit ex eo credi potest quod formae nonnisi in Deo sunt, quas numerosa illa nomina significant. Contra quod nonnisi ab intellectu proveniat, cum quidquid in essentia illa sit, nonnisi unum sit. Nostra igitur vel mens vel imbecillitas universum pondus non sustinent et secat in frusta et in partes numerosissimas partitum. Considerari numerositas illa potest, vel ex cognito, vel ex cognoscente, vel ex causa. Ex cognito obiecto illa quidem fit, quoniam illae formae, quae significantur, non solum in Deo sunt, sed prestantius longe sunt. Cur ergo nomina non habeant, si verissime in ea essentia sita sunt. Ex cognoscente potentia etiam fit, in mente enim nostra cogitationum et rationum illarum iacet numerus, uti in lecto atque receptaculo. Sed si causam quaeramus, utrumque respondebimus. Immensa namque divinitas, multo maior quam ut possit a nostra cognosci ratione, simplici intelligentia. Illa itaque immensitas, quae una non potest actione comprehendi, causa est, ut actionum multarum numero perquiratur. Ipsa etiam mentis infirmitas ita a radiorum copia vincitur, ut sphera, quam uno aspectu intueri non valet, pluribus oportet aspectibus contempletur. Rei vero totius ratio hinc vestigari potest, nam cum anima vincta hic ligataque sit et quasi somno sopita, atque in corporis sepulcro conclusa

---

2 naturam] materiam *V H* 9 Plot. *V*; Plato *H* 15 non *iter. N1* | frustra *V* 19 cur ergo] cum *V*; ero *A* | habeat *N1 A* 20 potentia] postea *V H*; poa *N1* 21 ut *A* 24 actione] ratione *corr. in marg. A*; pactione *V H*; patione (c *sl.*) *N1* 27–28 contempletur *in ras. V*; contemplari *A* 29 conclusa] seclusa *corr. in marg. A*

13 Contra] Contra *verbum repetitum in marg. N2*

9 Plotinus ait] Enn. 5.1 | Macrobius] Som.Scip. 2.17.21

unde duarum portarum exitu expergiscitur et ad lucem cognitam aut coniectandam, aut suspiciendam prodit. Porta altera cornea est, cornu enim a luce penetratur. Qua porta exit anima, cum, corpore posito, ad Deum contemplandum se confert, cuius luce tota et impletur et penetratur, tuncque unam illam immensam lucem uno simplicique aspectu contuebitur, ut Zacharias ait, In die illa erit Dominus unus et nomen eius unum, id est unica et conceptio et cogitatio animi, qua ille simplicissime cognoscetur. Alia porta eburnea est, quam lux non penetrat in substantiam, sed tantum in superficie nitet, quae est cognitio per sensum, ac per ea quae illo posteriora sunt. Cum ergo mens divinam in se lucem non attingat, per ea vestigandam suspicit quae ab illa, sicut a fonte, manarunt. Atqui quae ab illa luce manarunt formas habent inter se diversas perfectionesque diversas. In his itaque diversae sunt res, diversae conceptiones, et nomina sunt diversa. In Deo, ubi res et formae sunt omnino unum, remanet diversitas et conceptionum et nominum. Quare cum mens per alia gradiatur, in quibus variis formis varias iunxit et rationes et nomina, ideo cum haec animae sit cognoscendi ratio formas in Deo fulgentes licet unum illae sint. Non tamen capere potest, nisi diversis et conceptionibus et nominibus, ut hastam quamvis videns uno obtutu videat longa ne sit an brevis, caecus autem qui non oculis sed manibus metietur metiri uno contactu non poterit sed et multis attractationibus attingat oportebit, cuius sane rei causa erit, et hastae longitudo et metientis hominis vitium. Quod si dicas rem simplicissimam nullam sustinere multitudinem, etiam cum Parmenide Platonis dicimus multitudinem illam habere firmitatem alteram ut sit, quae in mente est, alteram veritatis quae cogitationibus respondet. Et haec in Deo ideo est, quia in Deo est quicquid illae significant. Nec obstat quod Averroes multitudinem in solo intellectu posuisse, atque a Deo omnino sustulisse. Ita enim sustulit quod Deus ipse in multa divisus non sit, sed id non abstulit, quin iuncta in se habeat quaecunque a multis illis nominibus significantur.

1 cognitam aut *om. V H*; cognatam aut *N2*; cogatam aut (a *sl.*) *N1* 2 suscipiendam *corr. in marg. N1* 5 tuncque] tanquam *V H* 12 habet *A* 17 ideo] immo *corr. in marg. N2* | fulgentia *corr. N1 N2* 19 hastam] astam (h *sl.*) *A* 26 haec *in marg. N1*

1–2 duarum … prodit] Od. 19.562 ff., *cf.* Aen. 6.893 ff. 6–7 Zacharias … unum] Zach. 14.9 23–26 Quod … respondet] Prm. 128b–129c

32. *Essentia, una numero, in pluribus potest esse*

Nihil difficilius unquam ingenia invenerunt, quam ut plures vel hypostases, vel personas, vel supposita (res enim ardua, non invenit nomen) in eadem omnino essentia collocarent. Nam etsi Platonis et Aristotelis eadem est essentia speciei, singulo tamen singula est essentia personae, ac singulum esse, sed quod alicui Platonis insit essentia et Platonis esse, isque Plato non sit, animus non capit humanus. Adde quod philosophia, quae omnia vestigat atque examinat, omnem a Deo numerum multitudinemque abesse diiudicavit, ut Plato, ut discipulus Aristoteles. Quid? quod in iis, quae materia vacant, singulum suppositum singulam habet speciem, cumque numerus ex materia oriatur, nam quae materiam non habent, a pluribus participari non possunt, quomodo ubi nulla materiae suspicio, et plura, quae per se existant, erunt, et iis natura prorsus una erit. Dicunt in hoc loco auctores fere omnes posteriores, qui sacra attigerunt, hanc rem nullis unquam philosophis notam fuisse, nullam philosophiam olfecisse, neminem naturae vestigatorem quicquam tanta de re unquam scripsisse. Quae omnia an vere modesteque dici potuerint, iis qui nostra legerint iudicium relinquemus. Illud non omittemus antiquos religionis principes non ita sensisse, quippe qui putaverint, hanc rem nonnisi a Deo exacte manifestatam, ab opinatissimis tamen philosophis et disputatam et certissimis rationibus confirmatam fuisse. Affero itaque tria e Platonis philosophia, quae rei nostrae non consonant modo, sed plane adstipulantur. Primum, quidem est in Parmenide, aliud esse essentiam, atque ipsum cuius essentia est. Quod postea accepit Aristoteles. Hoc autem de iis dicebat, quae post unum sunt, et ab uno originem trahunt. Nam, ut est in humanis manifestum, essentia orientium cum aeterna sit vel Idea, ut Platoni, vel natura, ut Aristoteli placet, et erat antequam singulum

---

11 quod] quid *H* 13 potest *corr. in marg. N1* 14 existunt *V H* 15 in *om. N1 N2 V H*

25 Quod … Aristoteles] tertio de anima *MSS*

24–25 Primum … est] Prm. 142b 25 Quod … Aristoteles] de An. 3.4 429a

oriretur, et superest postquam illud esse desierit. Est igitur et res et rei essentia longe aliud. Secundo, ut eodem libro scriptum reliquit, id per quod res essentiam participat, est esse, per quod quidem demonstratur non rem, sed etiam eius esse, ab essentia rei esse distinctum. Nam cum oriente Caesare, Caesaris esse incipit; idem cum desinente iam desierit. At essentia participari quidem incipit, ut Platoni placet eodem in libro, esse vero non incipit. Praeterea illa quidem potentia quaedam est, hic vero actus, et ut anima quamquam aeterna est, non tamen semper eidem contemplationi coniungitur; sed stante anima, semper animae contemplatio variatur; modo eodem essentia, ut potestas quaedam, semper est, sed tunc actum assequitur, cum per aliud atque aliud esse participatur. Tertio, essentia rerum aliarum ex se esse non habet, quin potius illud in rerum singularum productione nanciscitur. Quarto, cum essentia ab esse differens multis communicatur, per aliud atque aliud esse communicetur, oportet, ut aqua, quae liquida cum sit, terminum ex se nec habet. Quare necesse est alieno illam termino circumscribi, et ut varia in vasa infundetur, ita eius terminus erit diversus et varius. Eodem modo essentia rerum, citra Deum, et ex se esse non habet. Caesari inest per esse Caesari proprium; ergo in Pompeo pro esse Pompei. Quinto, essentia pluribus rebus secundum idem esse, non inesse potest. Nam si esse Camilli est Camillo proprium, soli Camillo inerit; alteri advenire non poterit. Quare essentia in singulis rebus singulum esse habeat necesse est. Sexto, essentia singularis in diversis diversa est. Quamvis enim essentia universalis communisque sit eadem in omnibus hominibus, singularis tamen Romuli essentia alia est a Remi essentia singulari. Nam unitas rei ab esse sumitur. Atqui esse est diversum in multis; ergo unitas et particularis essentia, quae ab esse diverso nascitur, ut diversa in multis hominibus sit oportet. Septimo, si qua essentia haberet ex se esse, atque ipsa cum esse suo esset idem, nihil tale pati cogeretur, sed in quibus reciperetur essentia secundum idem esse reciperetur. Semper igitur staret idem esse, quod idem cum essentia est atque ab essentia non distinguitur. Octavo, cum essentia singula ab esse ducatur sitque unum in singulis, una erit et singularis essentia. Atque hoc est quod maxime quaerebamus. Quo accepto, aut Trinitas demon-

3 participat essentiam *tr. V H* 11 atque] aut *A* 19 quarto *N1 N2 V A* (*corr. in marg*) *H* 20 esse] essentia *pc. N1* 22 quinto *N1 N2 V H* 23 universalis] utilis *corr. in marg. N1* 25 atque *N1 V A* 27 sexto *N1 N2 V H* 31 septimo *N1 N2 V H*

2 ut eodem libro scriptum reliquit] Parm. 69 *MSS*

2–4 eodem … distinctum] Prm. 142b 6–7 essentia … incipit] Prm. 151e

strata est, aut quidquid in eam comminiscuntur adversarii facile et reiicitur et confutatur. Videre illud est, si superius exemplum revocemus. Aqua enim liquida, quia terminum ex se non habet, in vario vase varium terminum semper consequetur. At si aqua eadem, hiberno Borea flante, in gelu coierit, quia terminum secum habet, quocumque in vase integra stiria locabitur eandem semper figuram, atque eundem terminum conservabit. Ita et essentia, si nativum esse sortita fuerit quod cum ea sit idem, stabit semper etiam in multis esse idem, et particularis in omnibus essentia erit eadem. Nono, divina essentia esse a se ipsa nulla ratione distinctum obtinuit, sed utrumque una eademque res est. Tum quoniam unum est, in quo nulla multitudo inveniri potest, ut in Parmenide demonstravit Plato; tum quoniam simplicissima est omnem respuens prorsus concretionem, ut est in Symposio et secundo de Republica libro disseritur; tum quoniam perfecta est, ut in Symposio legimus, ubi nulla potentia ab actu distincta est. Quare ea essentia ab esse non distinguitur, nam ex imperfecto perfectoque constaret, ut alia omnia quae natura sunt. Quod si ex iis constaret multiplex, coagmentatus, imperfectus habendus esset Deus. Quippe qui ex pluribus rebus constitueretur, quarum una manca, feminea, et imperfecta esset. Decimo, si divina essentia in pluribus personis inveniatur, non per diversum esse invenietur. Nam si esse essentiaque sunt idem atque omnino unum, ubi essentia divina reperietur et esse idem reperietur, quod quidem ab illa nec seiungi potest nec distingui, una est essentia. Unum igitur tantum erit esse. Undecimo, si esse in pluribus non variatur sed idem unumque semper ubique perseverat, particularis essentia, quae ab esse sumitur, nonnisi una atque eadem in omnibus permanebit. Quas ob res aut portum tenemus, aut certe illum non de longinquo respicimus, ac iam quasi gradus decem ascendimus, vicinique atque idonei facti ascendendo sumus, ut Platonis speluncam exeamus. Solvuntur ea quae difficultatem faciebant facile. Nam si essentia humana per idem esse quod ipsa esset in Platone atque Aristotele reciperetur, esset utriusque idem esse et essentia eadem particularis. Sed in

---

1–2 reiicitur] resolvitur *A*; reluitur *N1 N2 V* (*in ras.*) 3 se] secum *N2* 9 octavo *N1 N2 V H* 10 una … est] unum est in quo invenitur ut Plato, tum quoniam bonum ipsum *add. tum eras. N1 N2* 14 nulla] natura *V H* 16 natura] nostra (natura *sl.*) *N2* | sunt] constat *ac. N1* 19 nono *N1 N2 V H* 23 decimo *N1 N2 V H* 24 semper *om. N1 N2 A* 30 ipsa] idem *N2*

13 secundo … libro] 2 Reip. 64 *MSS* 14 ut … legimus] Symp. 47 *MSS*

13 in Symposio] Smp. 187a | secundo … libro] R. 2 380d 14–15 in … est] Smp. 204

corporeis, ut iis quibus esse ab essentia est distinctum, hoc esse non potest, ut personae sint duae, essentia atque esse unum. Quod addebatur, multitudinem in Deo non ponendam esse, non rerum, quae imperfectionem dicant, ut actus et potestas, ut essentia atque esse diversum, quod nostram ad rem potius facit; nec rerum re distinctarum, quae ad se sint (numerus illic statuendus sit); sed ea, quae ad aliquid sunt, plura in Deo esse non modo decens est, sed etiam necessarium. Nec obstat quod materia vacantia unum tantum in specie sit, nam id quidem verum est de iis, quae multitudinem in se habent, essentiae et esse, generis et differentiae, quae imperfecta cum sint, gignere sibi simile non possunt, ut in animantibus; neque pueri, neque senes; neque illi prolem gignunt, quibus gignendi virtus laesa sit. At quoniam Averroes tertio De anima libro scriptum reliquit, omnia praeter primum aliquid materiae habere, idcirco nihil praeter illud id habet, quod est perfectissimum, et plane divinissimum. Nam ut in animantibus Averroes inquit in Metaphisicis perfectam gignendi facultatem nonnisi perfectis esse datam. Nam quae ex putredine oriantur, ut ranae, ut vermes, ea aut non gignere omnino, aut eorum genituram non perseverare defendit. Ita in iis, quae materia vacant, aut omnino non gignunt, aut imperfecta ratione gignunt, cum id in se gignant, quod simile in specie non est, sed actus, et quaedam mentis intelligentis proles. Si quid vero in his fuerit quod omni perfectione sit praeditum, cum gignere perfectorum sit tantum, non ab re erit in ea essentia et gignere et producere reperiri.

33. *Personae plures sunt, et Trinitas; idque fide sciendum*

Vidimus quod si plura sint in divinis, quod idem habebunt et esse et essentiam, sed plura sint, hoc defendere, hoc probare ratio humana non audet, quae quamquam innumerabilia per plerosque ad id demonstrandum conquirit. Sisyphium tamen saxum volvit et cum gigantibus conspirat in coelum, nullasque argumentorum machinas molitur, queis ineffabilis arcem veritatis expugnet, Plato cum de diis et divinis dissereret

8 sint *N2* 9 quae] qui *V H* 10 sit *A* 12 at] vero *add. A* 14 id *sl. A* 20 actus] accidens *V H* 28 Sisyphium] si siphium *N1 V H* 29 queis] quae *N1 V A H*

12–15 Averroes … divinissimum] Comm. de An. 3.4, 74–80 15–16 in … datam] Comm. Metaph. 1457 ff. 28–81.1 Sisyphium … docet] Ti. 34b

in Timaeo tria docet. Primo, quidem dixerat libro Legum decimo, difficile esse res divinas ratione demonstrare, quasi innuat probabiles quidem argumentationes haberi posse, necessarias haberi non posse. Secundo, in Timaeo monet de divinis rebus credendum esse tantum. Quare ita sensit eas res nonnisi fidei luce intelligendas esse. Tertio, non cuivis pro voluntate fingenti, sed maioribus adhibendam fidem, ubi nos cautos facit, ut solis credamus illis, quibus iure credendum esse videatur. Sed quinam illi sint, postea docet. Quarto, ait credendum esse maioribus verum non omnibus, sed illis dumtaxat qui se deorum esse filios affirmabant. Quinto, non iis omnibus, nam in Apologia se deos non credere eos, quos civitas Athenarum crederet, apertissime confitetur. Quare si nonnisi divinae proli credendum est, ut Timaeus ait, et non illi divina sunt proles, quos Graecia adorabat, ergo alibi gentium quaerenda illa est, quae vera Dei soboles sit, ut Sybilla vaticinabatur, quique magister esset hominum futurus omnia tam humana, quam divina docturus. Hunc non in eo numero, quem Graecia adorabat, collocavit, putavitque suo tempore Plato nondum venisse, sed omnino venturum. Et hoc in Alcibiade secundo Plato posteritati mandavit; nam cum adventu loqueretur, Oportet, inquit, ut nubes ab oculis per Minervam ut Diomedi amoveatur, tuncque deum ab homine discernas; ubi per prolem Dei Minervam nubem inscitiae auferendam, et lucem intelligentiae per eandem Dei prolem praebendam esse mortalibus, qua Deus quave homo cognosceretur. Quas ob res sextum ponimus Dei proli credendum esse, sed quae Platonis tempore, et nonagesima centesimaque Olympiade nondum venerat, sed ventura erat. Tuncque Minerva, id est, vera Dei proles, quam intelligentia sola genuisset, esset mortalibus sapientiam et humanarum divinarumque rerum traditura. Septimo, Minervam et veram Dei prolem esse in divinis, quam Deus genuerit sibi simillimam, ut sexto de Republica dicitur. Octavo, quia miraculis et prophetis demonstratum est, prolem illam numquam

---

2 innuet *A* 5–6 voluntante *V* 20 insitiae *ac. N1* 26 humanarum] que *add. V*

1–2 dixerat … demonstrare] 10 Leg. 10 *MSS* 6 fingenti] 53 *numerus V* 10–11 Apologia … crederet] Apol. 17 *MSS* 17 in Alcibiade secundo] 2 Alcib. 30 *N1 N2*; Alcib. 30 *V A H*

1–2 dixerat … demonstrare] Lg. 10 885b ff. 3–4 in … tantum] Ti. 29c 10–11 in … confitetur] Ap. 26d 11–12 nonnisi … ait] Ti. 42e 17–20 in … discernas] 2 Alc. 150 d, citing Il. 5.127 27–28 Minervam … dicitur] R. 6 506e

nisi in Christo fuisse. Ideo illi credendum tantum esse, ab illoque divinorum cognitionem requirendam. Quippe cum et divina sit proles vera, et hominem a Deo dignoscere et fide ad divina pervenire, humanum genus instituit. Colligo itaque duas huius sententiae partes; alteram, quod haec et divina sint fide et divinae sobolis oraculo tenenda. Altera, quod illa divina soboles nemo veterum deorum fuit. Illi enim omnes Platonem praecesserant; sed Christus fuit, qui, post Platonem ortus, solus se Dei prolem esse et docuit et probavit. Quod si illi credendum esse persuadet Plato de divinis rebus. Ita prophetae omnes, ita utraque Lex, et omnium sanctorum hominum testimonia. Hic vero tres in divinis personas collocatas ostendit. Quare fide et divini oraculi testimonio haec credere oportet. Ratio ita ostendi potest. Quaecumque discutienda suscipiuntur, docendi modum subiecto materiaeque idoneum et cognatum desiderant. Ex primo Ethicorum Aristotelis, qui docet non omnia aeque demonstranda esse, sed imbecillam atque infirmam institutionem de moribus, non exactam demonstrationem postulare. Quod si subiecto similis esse debet disserendi ratio, hoc autem subiectum omnem rationem excedit. Ut enim res ad esse se habet, ita se habet ad cognitionem. At sexto de Republica Dei filium solem non esse essentiam dicit Plato, sed supra essentiam, cum essentia sit illa quae per esse participatur. Ita et cognoscendi modus esse debet supra rationem qua aliae essentiae cognoscuntur. Quod si ratio rationem superanti rei non par est, ad lumen solius illius confugiendum est, quod cum a sole egrediatur. Solem filium, et patrem solis bonum ipsum ostendit. Lumen autem id infusa est fides. Fide itaque haec divina cognosci volunt. Quam quidem sententiam de sole solisque cognitione, et generatione filii a patre, quod Bonum vocant ut totius boni originem, in libro eodem de Republica sexto Plato quam latissime disseruit.

---

1 illi … esse] illi tantum credendum esse *tr. H*; tantum illi credendum esse *tr. V* | esse] esset *A* 2 cum *om. A*; enim *sl. N1*; qui *V H* 3 a Deo *om. V H* 4 hoc *N1 V A H* 8 probavit] demonstravit *corr. in marg. A* 10 hominum] omnium *corr. in marg. A* 23 confugendum *N1 V* | et] ut *A* 25 quam] qui *N1 V A H* | sententia *H* 26 et] ex *V H*

14–16 Ex … postulare] Eth. 1 *N1 V A*

14–16 Ex … postulare] EN 5.6 1140a 18–20 sexto … participatur] R. 6 509a, *cf.* 7 532b 26–28 Bonum … disseruit] R. 6 504e–509d

34. *Ratione etiam confirmatur*

Scribit in Phaedone Plato humanam imbecillitatem rationi acquiescere non posse, quod id plerumque in humanis evenit rebus quae animum illas perscrutantem ratio non implet. Quanto id in divinis potius rebus patiemur, quod quacumque ratione confirmentur, illis nos ut imbecillis minime commovemur. Quo fit ut Socrates ille sapientissimus ab oraculo iudicatus, ubi inferior ratio hallucinaretur nutaretque, ad superiorem confugeret, quae omnia ex Deo requirenda esse persuadeat. Quae quidem sententia superiori sententiae astipulatur, quod divinorum arcanorum intelligentia in humanas animas nonnisi ab illustrante proficisci Deo. Et ideo morte se mulctari Socrates dicebat, quod in superiorem rationem inferiorem converteret, ut saepe repetit in Apologia. Ac proinde libro Legum decimo cogendos esse homines, ut credant cum ratione demonstrari sit difficile. Sed tamen in Phaedone, et ratione nitendum esse docet, quatenus fieri possit ab homine. Quando enim ratio cum fide conspirat, sapientum animis ingentissimas parit voluptates. Rem vero hanc, quamquam omnium longe difficilimam, ratione non solum confirmari posse, verum etiam a Platonicis efficacissime probatam testantur sacrae sapientiae scriptores gravissimi. Nos itaque paucis id adgrediemur. Platonis sententia in Philebo est, duos esse fines, hunc in se manentem, alterum alio tendentem. Quae quidem partitio, et sumi potest secundum ordinem, et secundum esse. Secundum ordinem quidem, cum alter est ultimus, alter non ultimus, sed ultimi gratia, ut Helleborum ad medicinam: haec ad purgationem, haec ad sanitatem. Sanitas est finis in se, id est, sui gratia. Purgatio non in se, hoc est, non sui sed melioris gratia rei. Potest etiam sumi secundum esse, quod agens finem querit vel in se manentem, ut philosophus, cuius finis contemplatio est, quam in se manentem possidet; vel in aliud abeuntem, ut sculptor Phidias, qui artis munus effingit in marmore. Artifex hic posterior pulchrum a se in

---

4 id *om. V H* 14 demonstrare *V H* 17 difficillimam longe *tr. N2* 18 probatum *A* 19 sapientiae] scripturae *corr. in marg. A* 26 etiam] est *corr. in marg. N1*

2–3 Phaedone … posse] Phed. 72 *MSS* 12 ut … Apologia] Apol. 2. 3. 12. 13. *MSS* 13–14 libro … difficile] 10 Leg. 10 *MSS* 14–15 Phaedone … homine] Phed. 73 *MSS* 19–21 Platonis … tendentem] Phil.100 *N1 N2 V H*

2–3 Scribit … posse] Phd. 96b–99c 11–12 morte … Apologia] *e.g.*, Ap. 40e 13–14 libro … difficile] Lg. 10 884a 14–15 in … homine] Phd. 79d 19–21 Platonis … tendentem] Phlb. 39d

extrariam materiam traducit. Contra, contemplator rerum pulchritudinem in se pingit. Artifex aliena excolit; contemplator se ipsum. Actio namque omnis vel in auctore manet, vel in rem alteram tendit. Deinde actionem omnem ex fine diiudicari, ut prior Alcibiades docet, ut via eadem ascensus descensusque, si montem, vel si vallem aspicias. Ita homicidium si pro iustitia, laudi, si pro libidine, vituperio dandum est. Quod si actio omnis a fine nomen speciemque sortitur, oportebit itaque actio omnis ut finem habeat: si secus, neque erit actio, neque nominabitur. Sed age ex hac silva atque ex iis, quae in anima humana reperiuntur, quasi retibus et laqueis; rerum quae omni silva vacant abditam intelligentiam vestigemus. Hos namque cervos Ulixi atque Aeneae patriam antiquam hoc est patris visendi locum petentibus, utriusque linguae vates obiecerunt. Est in anima humana utraque actio, externa atque interna, atque utraque finem, quaeque suum sortitur. Ars statuae excudendae formam quae in anima praecesserat excudit in saxo. Studium veritatis cognoscendae saxi rerumque formas, quae in saxo rebusque concreverant, comportat in animam. Gignit formatque utraque actio, sed altera internam, altera externam formam producit. Haec quidem in silva, aut in silvicolae animae regione reperimus. At supra docuimus formas perfectionesque silvarum omnes, hoc est, materiae et rerum genitarum, in Deo ut in gignente artifice reperiri. Neutra itaque actionum deest Deo. Atqui, ne frustra illas habeat, utraque aliquid producat oportebit. Externa quidem mundum creatione, interna sui ipsius imaginem cognitione. Nam si duarum actionum animae altera praestantior, quae intus, altera deterior, quae extra quicquam gignit, si deteriorem habet Deus ut creet, quis illi potiorem abstulerit ut intelligat. Coepimus iamdudum in hac venatione utramque actionem necessario tribuendam esse Deo, atque utraque, ne in cassum fuerint, aliquid produci (usitatis apud Theologos verbis libenter uti soleo). Sed instandum est, ut quod ulterius latet in divinitatis abditissima latebra tandem eruamus in lucemque ducamus. Relinquamus externam actionem, in qua mirum est, quanto nos antecellit Deus; alteram indagine circumdemus, quae intus in Dei ipsius penetralibus latet.

---

1 extraneam *V H*; exteriorem *A* 14 quaeque *om. V H* 15 formas *N1 V A H* 17 comportat] et *praem. N1 (ac.) A*; ut *praem. V H* 19 reperiuntur *V H* 30 latebra *in marg. V*

3 Deinde] 2 propositio *MSS* 4 actionem … docet] Alcib. 1. 27 *MSS* 7 tertia *MSS* 11–13 Hos … obiecerunt] Virg. Hom. *N1 N2 V H* 19 4 *N1 N2 V*

4–5 prior … aspicias] 1 Alc. 107c 11 Hos … Ulixi] Od. 6.132

Aliud retis genus tendendum est, quando superiora non capiunt quod interna actio numinis non alia esse potest, nisi duorum principiorum intelligentiae, atque voluntatis. Ita enim in anima invenitur. Est itaque actio omnis interna duplex, altera qua intelligit, altera qua vult: memoria enim non gignit aliquid, sed quasi promptuarium est, unde intelligentia eruat quod intelligat, ut intelligentia voluntati quod illa velit enunciat. Intelligentia itaque et voluntas actionibus suis aliquem finem habet, et ad aliquid completur terminaturque, ne actiones imperfectae sint et nostris deteriores. At quicquid producitur, in Deo ipso subsidet. Actiones enim hae in auctore manent, ut ante demonstratum est; atque in eodem est et actio et actionis finis. Quo fit, ut etiam quicquid per eas prodit in lucem, in Deo ipso sit. Denique cum quicquid in Deo sit, idem cum Deo divinaque natura sit, necessario colligitur, alterum intelligentia, alterum voluntate produci, quorum utrumque verus Deus erit. Illae actiones vel sunt in Deo perfectae, vel non sunt. Non hoc affirmaverit quispiam, quod ante confutavimus. Alterum itaque sentiendum est. Si perfectae producunt; si non producerent, nec perfectae, neque actiones nominandae essent, cum a fine nomen speciemque sortiantur. Sit igitur producens, sint duo producta: vel re distincta differunt, vel ratione, ut alia quae in Deo sunt. Non ratione tantum, quia re essent idem, atque idem existendi modus. Sed hoc esse non potest; nam nulla ratione fieri potest, ut gignens genitumque idem re sit, idem enim seipsum gigneret, atque idem praecederet et sequeretur, genitum et ingenitum esset idem, atque alia incommoda efficerentur, quae nemo unquam daret. Quare et est producens ingenitum, cum duobus, quae duabus actionibus producuntur; et tria illa, non ratione tantum, verum etiam re ipsa distinguntur, non tanquam tres res, hoc est tres essentiae, ut prius docui, sed tres res, quarum esse est ad aliquid, et in divina natura tres re distinctae, subsistentesque personae. Secundo, cum aliqua sunt, quorum unum de altero dici non potest, cum unum non sit alterum, illa multo magis quam ratione distinguuntur. Sed Pater Filius non est, neque de Filio dicitur. Non ratione itaque sola distincta, immo etiam re ipsa dici volunt. Tertio, ea quae ad aliquid

---

1 tenendum *V H* 2 nominis *A*; numerus *corr. in marg. N1* 3 enim *sl. V* | anima] enim *ac. V* 7 aliquem] aliquandum *corr. in marg. N1* 8 contemplantur *corr. in marg. N1* 9 At] ad *corr. in marg. N1* 10 hae] haec *ac. N1* 17 nec] neque *ac. N2* 22 sint *A* 24 produces *N1* 27 sed *sl. N1* 28 res *ac. H* | subsistensque (te *sl.*) *V* 29 sint *A* | unum *sl. N1*

1 5 *N1 N2 V* 9 6 *N1 N2 V* 12 7 Ratio 1 *N1 V*: *N2* 29 secunda Ratio *N1 N2 V A* 32 tertia *N1 N2 V A*

sunt, atque in Deo sunt, sunt ut res subsistentes in natura divina (quod alio loco late disputabitur). Sed plura sunt in Deo ad aliquid, quae inter se referuntur. Sunt igitur et per se subsistentia plura in divina natura, quare erit unum non productum, alterum quod intelligentia, tertium quod amore producetur. Hinc sexto de Republica Plato et genitorem, et patrem, et denique ponit filium, quem nunc solem extra fulgentem, nunc Minervam intus latissime sapientem vocat. Tertiam vero personam Symposium amplissime commendat, ac nunc Venerem illam, nunc Amorem vocat. Atque haec est veterum sapientum fabula, quod Saturnus omnem prolem voraverit, praeter Iovem et Iunonem. Nam multitudinem formarum, quae in Deo sunt, ideo voratae dicuntur, quod ita in naturam atque essentiam divinam vertuntur, ut neque etiam inter se differant, nisi ratione et cogitatione dumtaxat. At personae ita in naturam divinam transeunt, ut inter se tamen re distincta remaneant, tum ob id quod ad aliquid sunt, ac per se subsistentes, tum quod altera ab altera originem ducit, quod in formis aliis non est. Rationes itaque prima ex actionibus duabus, secunda ex perfectione, tertia ex productione, quarta ex rationibus.

35. *Re distinctae, contra Sabellium*

Tres quidem esse personas, cum a Senatu Patribusque receptum esset, atque in arcanis haberetur, nonnulli surrexere, qui gloriae comparandae cupidi rem male interpetrati sunt. Alii a Senatus sententia aliquid detraxere, ut Sabellius, qui ad multitudinem omnem tollendam, ratione distinguit sola, re vero distincta esse omnino negat. Alii, ut Averroes et male opinantium plerique patrum sententiam audiunt, ut decernentem tres personas non modo re sed etiam natura distinctas, quasi illi cum tres personas dixerint, tres essentias, tres naturas, tres deos dixerint. Sed hi id egerunt, quod errantes agunt. Id namque, quod in medio tutum erat, relinquentes in diversa sese atque extrema rapuere. Seiungi siquidem aliqua contingit triplici distinctione, vel ratione sola, quae minima seiunctio est; vel ratione et re, quae est secunda seiunctio; vel denique etiam

---

6 nunc] non *N1* 10 praeter *in marg. N1* | Nam] prae *praem. ac. H* | multitudinem] multitudines *ac. N2* 15 per] pro *ac. N1* | altera] altero *A* 17 relationibus *A* 18 Sabellicum *N1 V A H* 22 Sabellicus *N1 V A H* 23 negant *A* 24 decernentium *N2* 27 arguunt *A* 30 vel] vel *H* | et] vel *ac. N1*

5–7 sexto … vocat] R. 6 501b 7–8 Tertiam … vocat] Smp. 203b

essentia et natura, quae est in hoc numero maxima. Sententia itaque vera est, personas non sola ratione, non natura, sed re distinctas esse. Quod ita ex humanis vestigemus. Cum Plato in Parmenide unum ponat in quo nulla sit multitudo, de essentia loquitur, quae prorsus una est numerumque essentiarum non patitur. Quin alia omnia quae in Deo sunt, cum ad essentiam comparantur, unum re sunt, atque ab essentia re non distinguntur. Quare personarum seiunctio non ab essentia ducitur, quae personis communis est tribus. Ducitur itaque distinctionis ratio ex iis quae sunt ad aliquid, quae, nisi in Deo essent, quae re distingui possent, in Deo non essent. Verum de iis, quae sunt ad aliquid Plato in Parmenide ait, Quidquid sunt, alterius sunt, ut servitus imperii, imperium servitutis. Ex quo fit, quod cuicumque comparetur quod est ad aliud, nihil est nisi ad id referatur ad quod est. Quare in Symposio patrem fratremque refert alicuius esse. Nam frater neque patris neque filii, nec matris, sed solius fratris vel sororis est frater. Pater vero nullius alterius nisi prolis. Capio deinde quod Plato sexto de Republica ait, in Deo esse ad aliquid, cum filium a bono genitum dicit. Quod si ad aliquid reperitur in Deo, atque ad aliquid est, cuius esse est ad aliud, sequitur, quod oppositio eorum, quae sunt ad aliquid, sit in Deo. Sed ea quae sunt ad aliquid in Deo non alia ad aliquid sunt unde personae subsistunt, nisi quae ad aliquid originis appellantur. Nam Plato in Sexto non fratrem, non sororem, non duplum, non dimidium nominat, sed ea, quorum unum alterum gignit, ut patrem ac prolem. Deest, ut tota undique silva claudatur, ne soli Platoni preda tribuatur, ut aliquid petatur ex Aristotelis quinto Metaphysices libro. Quae sunt ad aliquid originis non modo ratione, sed etiam re habere esse docet, quod si ad aliquid originis non ratione sola, sed re etiam est in Deo. Oppositio ergo erit non sola ratione concepta, sed re ipsa inventa. Quamobrem et aliquid erit quod opponitur, et aliquid cui opponitur. Et quoniam oppositio illa ex Aristotele rei est, non rationis tantum, necessario colligitur, et patrem et prolem non sola ratione, verum etiam reipsa distingui. Atque hoc sibi voluere figmenta

---

3 Parmenide] 28 *add. N2* 4–5 numerusque *corr. in marg. N1* 5 Quin] Quae *H* 10 Parmenide] 20 *add. N2* 19 sit *pc. A* 27 erit *iter. ac. N1*

3 propositio prima *MSS* 3–4 Parmenide … multitudo] Parm. 28 *V A H* 8 secunda *MSS* 10 tertia *N1 N2 V H* 10–11 de … ait] Parmen. *N1 N2 V A* 16 quarta *MSS* 19 quinta *N1 N2 V H* 23 sexta *N1 N2 V H* 31 reipsa] *asteriscus N2*

3–5 Cum … essentiarum] Prm. 129b 10–12 Verum … servitutis] Prm. 133d 13–14 in … esse] Smp. 209d 16–17 Plato … dicit] R. 6 508c 21–23 Plato … prolem] R. 6 502d 29–31 oppositio … distingui] Metaph. 5.11.3 1018b

maiorum, cum a Saturno universam prolem, nisi Iovem et Iunonem, fuisse devoratam, hoc est, alia omnia in substantiam naturamque transire, ut nonnisi ratione distincta remaneant. Quae autem ita se habent, quod unum dimanat ab altero, ea licet divinam essentiam habeant, et ab illa nonnisi ratione disiungantur, hoc tamen obtinuere vi originis, quod inter se non ratione dumtaxat, sed etiam re ipsa distincta sunt, atque personae subsistentes evadunt.

36. *Deus penitus cognosci nisi a se non potest*

Audet mirum in modum Peripateticus, qui in Metaphysicis ita de Deo loquitur, quasi per ea exacte intelligendus sit. Accedit quod longe omnium audacissimus Averroes id etiam ratione probare non dubitavit, quod ens atque intelligibile aequalia sint; quare si Deus ens est, intelligibilis sit necesse est. Quod nisi sit, frustra ac nequicquam esset ea potestas in eo, ut intelligi posset. Quare putat et exacte, et per veram definitionem cognitum Deum, quam ex iis, quae in duodecimo Metaphysices libro dicta sunt, conflari opinatur. Sed dissensionis huius fons est, quod non inter omnes constat, quid per hoc nomen, Deus, significetur. Nam si ita res se haberet, ut illi autumant, fortasse posset ea sententia non culpari. Putant enim Deum esse, finitam quandam essentiam, primam tamen, quae ita necessitate agat, quaecumque agit, ut nec unquam secus se habere potuerit, nec secus umquam se habere possit, quin ita agat. Sed haec de Deo dicere nihil est aliud, quam Deum et capite damnare et de medio tollere. Cum Deum corporum natura legibusque circumveniunt, hi sunt gigantes quos in Deum conspirasse finxit Antiquitas, quibus Plato in Sophista tantum corporea curae esse docet, non quod omnia velint esse corpora, sed omnia corporum legibus conditionibusque teneri arbitrantur. Quod faciunt, quia sensum secuti a terra corporibusque non recedunt. Quare per terrae auxilia et sensus cognitionem assequi se divina posse sperant, veram oraculorum intelligentiam respuentes, “et coniurati caelum rescindere fratres.” Dicemus

2 substantiamque et naturam *tr. V H* 9 Metaphysicis] mathematicis *A* 12 ens] omnes *corr. in marg. N1* 16 opinatur *om. V H* | fons *in marg. N1* 23 de] quum *ac. N2* 25 finxit] praelato *corr. in marg. N1* | corporea *om. A*

23 corporum] *asteriscus N2* 25–27 Plato … arbitrantur] Sophista 62. 64. 66 *MSS*

15–16 quae … sunt] Metaph. 12.7 1072b 23–26 tollere … legibus] Sph. 246a 30 … caelum *cf.* Geo. 1.280

itaque cognosci quidem exacte atque omnino Deum, quod cognitionis genus comprehensionem appellant, quae est qua quid exacte, prorsusque cognoscitur, ut nihil rei cognitae lateat cognoscentem. Quod vero ita se Deus intelligit, demonstrari copiosissime posset. Primo, quidem ex ratione, quae supra tacta est. Nam si a se non cognosceretur Deus, a nullo cognosci posset. Quod enim maxima virtus non potest, nulla aliarum id potest. Quare nequicquam ea potestas esset, ut intelligeretur, si a nullo prorsus intelligeretur. Deinde Dei cognitio per essentiam fit, et cum nihil Dei sit, quod in essentia atque essentia sit, ideo fieri non potest, ut se lateat. Ad haec omnis virtus obiectum habet aliquod peculiare ac proprium, ut visus lucem vel colorem, et auditus sonum. Sed facta obiecta divinae mentis esse non possunt, ut duodecimo Metaphysices demonstratum est. Essentiam itaque divinam divina mens exacte intelligit, cum circa obiectum peculiare ac proprium virtus neque falli neque decipi possit. Quid? quod felix cognitione est. Et quoniam quae felicitatis sunt perfecta esse debent, quippe quae vitam facit, cui nihil desit. Quod si ea felicitas in cognitione sita est, quae manca sit, aliquidque in ea desideretur, non erit appellanda felicitas. Denique, qui summo bono fruuntur, suavissimo vitae genere quiescunt, quibus aliquid deest; aliquidque desideratur, non quiescunt. Bonum enim appetunt omnia. Qui quod cupit, non obtinet, vel miser est, vel certe non beatus. Quare sese omnino et novit et comprehendit Deus. Verum quod superest adversus hostes nostros quod eo modo nulli omnino alteri possit innotescere, late a nostris disputatum est. Potestas enim ac virtus omnis, quae ab aliquo movetur excitaturque, ita movetur, uti in potestate est; id vero quod movet, ita movet, quatenus actu est; ut color numquam oculum videntem facit, nisi cum luce actu factus est. Sed Deus actu infinitus est, ut testis est Plato et in Parmenide et in Epinomide. Sed infinitum a nullo nisi ab infinito capi potest; a nullo itaque alio comprehendi potest. Deinde omnis potestas, quae obiectum exacte susceptura sit, vires habeat necesse est obiecto accommodatas ac commensuratas. Sed nihil rerum est aliarum quod mensura non claudat. Deum mensura nulla claudit. Non itaque mensura capiet, quod nulla usquam mensura occludi potest. Mensuram vero a Deo aufert omnem

---

11 lucem *om. N2* 17 quae] aliquid *V H* 18 erit] deinde *corr. in marg. A* 20 enim *sl. N1* 25 movetur] parte *V H*; pte *N1 A* 32 nulla] nullas *corr. in marg. N1*

33–90.1 Mensuram … Parmenide] Parm. 38 *MSS*

11–13 facta … est] Metaph. 12.8 1073a 27 ut … Parmenide] Prm. 155d 28 in … Epinomide] Epin. 977b 33–90.1 … Parmenide] Prm. 140d

in Parmenide Plato. Est praeterea rei vera cognitio cum mens id quod contemplatur intelligendo aequat, sed ut Homerus ait, Deo aequiparari nemo potest. Deum ergo hoc modo nosse et nemo potest. Adde quod plus Deus mentes, quam corpus corpora superat. Sed sol ab oculis comprehendi non potest, quem ex adverso sustinere non potest. Multo itaque minus mens ulla Solem illum sustinebit, qui mente multo sublimior est, quam sit oculis animalium sol vulgaris. Nec omittam, omnem potentiam, si in obiectum tendat excellentius, ab illo exstingui aut certe superari consuevisse. Mens, quae extingui non potest, superetur ab ea luce necesse est, eamque non omni ex parte assequatur. Denique, mentes nostras Aristoteles oculis comparat vespertilionis. Quare fieri non potest, ut Deum intelligamus, ut videre non potest vespertilio solem; vel si Averroi concedamus id difficultatem significare, id tamen concedat ipse nobis oportebit, ut avicula illa solem exacte intueri non potest, ita penitus assequi nos non posse divinam lucem. Haec itaque Platonis in Phaedro sententia est, qua solum Deum sapientem esse testatur, non ob aliud certe, nisi quod solus ipse se exacte novit, qui mundi rerumque summa causa est. Quod vero Averroes nos urget, cognosci a nobis divinam naturam ne in cassum cognoscibilis dicatur, nihil omnino dicit. In cassum enim esset si a nullo cognosci posset, sed iam constat et intelligi illam et adamussim intelligi, sed a se ipsa tantum, quae sola rem cognitam aequare intelligentia potest. Quod si de exacta cognitione, quae comprehensio dicitur, loquamur, Deo uni relinquenda est. Ita Plato dicit Deum nec cognosci nec nominari, ut late in Parmenide legimus.

37. *Deus cognoscitur a nobis, et non omnino*

Plato ait non cognosci Deum in Parmenide, quod si est, nec exacte, nec non exacte. Item Socrates Deum nihil sciri. Si igitur sensibilia non sciuntur, quae sensu capiuntur, multo minus quae in sensum non cadunt, ac minime, quod inter ea est. Difficillimum de cognitione comprehensio-

---

13 nobis ipse *tr. V H* 15 est sententia *tr. A* 27 Item] intus *N1 V A*; idque *H* | Deus *MSS* | sensilia *N1 N2* 28 quae] quam *V*; -que *H*

2–3 Homerus … potest] Odyss. δ *MSS* 15–16 Platonis … testatur] Phaed. 50 *MSS* 23–24 Deum … legimus] Parm. 40 *MSS*

2–3 Homerus … potest] Od. 4.78; *cf.* Thom. Aq. Sent. Comm. D. 1 q. 1 a. 5 s. c. 7 10–11 Denique … Aristoteles] Metaph. 2.1 993b 15–17 Haec … est] Phdr. 247d 23–24 Ita … legimus] Prm. 134c 26 Plato … Parmenide] Prm. 134c

nis, qua res cognoscitur omnino sicut est apta cognosci. Diximus Deum cognosci non posse. Sed de cognitione, qua modo aliquo attingitur, non tamen omnino, quae apprehensio dicitur, cognoscitur Deus a nobis. Nam omnia quae aguntur, finis gratia aguntur, tuncque perfectio rerum est cum fine potiuntur; ac, contra, quae finem nullo modo assequntur frustra sunt. Atqui speciem aliquam, ac inter alias praestantissimam, frustra esse omnino dici non potest. Humanum autem genus finem habet intelligentiam divinorum, ut etiam Aristoteles in Ethicis fatetur. Quare si necesse finem aliquo pacto assequi, itaque Deum aliquo pacto intelligere est necesse. Deinde, obiectum maius plus movet potentiam obiecto minori, sed alia vera inferiora mentem movent. Deus igitur, qui summum est verum, maxime movet. Quare et maxime intelligitur, quanquam secundum imbecillum rationis modum, qui et mancus est et imperfectus. Atque idcirco Plato ait secundo de Republica libro, quod imaginem ipse in nobis format et facit, hoc est, vel per ea quae cognoscimus ducit mentes ad formam et imaginem suam, vel quandoque non formam ex aliis trahit, sed ipse absque alio medio creat et imprimit speciem, qua eum cognoscamus. Adde quod cognoscendi modus est duplex, aut enim per essentiam aut similitudinem. Illa itaque prorsus cognoscuntur, quorum essentia cognoscitur. Quae tantum similitudine intelliguntur, quanquam non enucleatissime cognoscuntur, cognoscuntur tamen. Atque imaginem Dei in nobis nostraque in mente reperimus, ut Alcibiades docet. Quare, et Deum, nobis intellectis, intelligimus. Denique, per essentiam quoque videtur Deus ab animo ubi fuerit a corpore membrisque seiunctus. Quod sane spectaculum summa cum admiratione comendat Plato et in Symposio et in Phaedro. Quo fit ut si non comprehensione atque omnino exacte intelligatur, modo tamen aliquo intelligatur. Duo haec intelligendi genera in Timaeo innuit Plato, cum ait, parentem eorum, quae facta sunt, invenire quidem difficile, fari autem impossibile. Invenire quippe Deum est aliqua eum nosse ratione, fari autem et nominare nonnisi definiendo fit, ut octavo Metaphysices libro dictum est. Sed quoniam essentia non

---

2 potest *corr. in marg. N1* 13 imbecillum *om. A* 14 secundo libro de Republica *tr.A* 15 format] formare (*in marg.*) *N1 N2 A* | facere (*in marg.*) *N1 N2 A* 22 in] *sl. H* 23 intelligitur *N1 V A H* 24 a corpore] ab Animo *corr. in marg. A* 27 modo … intelligatur] *n marg. N1*

21–22 imaginem … Alcibiades] Alcib. 1.7 *MSS*

14–17 Atque … speciem] R. 2 383a 21–22 Atque … reperimus] 1 Alc. 133c 25–26 comendat … Symposio] Smp. 209 26 et … Phaedro] Phdr. 245e 28 in … Plato] Ti. 28c 31 octavo … est] Metaph. 8.6.20 1045a

prorsus nisi a Deo comprehendi potest, ideo nominari a nobis pro dignitate nec potest. Hoc modo argumentum Parmenidis procedit. Ratio Socratis docet cognosci Deum atque divina, quod firma atque constantia extra rerum fluxum sese continent. Nam quae fluitant, quod firmitatem non habeant, scientia non attingi, docuit in Philebo. Quamobrem id quod est in natura firmissimum, tantum abest ut sciri negetur a Socrate, ut nihil fere aliud sciri quam illud, et quae post illud corpore vacant, contendere atque existimare videatur.

38. *Deum esse est per se notum, quod male negant quidam*

Deum non solum intelligi posse, sed esse etiam ex se notum, visum postea est quam plurimis. Nam cum mundi huius pulchritudo atque ordo videtur, statim occurrit esse totius, vel mundi vel certe ordinis auctorem, qui parens rerum sit, aut rector administratorque naturae. Contra, aliis non modo ex se notum id esse non placuit, sed ne notum quidem esse visum est, ea ratione, quod si quid latere nos potest, id imprimis latere putandum est, quod est ab humana ratione remotissimum; atqui multa nos latent. Quare colligunt id maxime nos fugere, quod a nobis per immensum abest intervallum. Tres hic sententiae sunt. Primam in hac sententia dicemus, quae Deum per se notum esse, non admittit. Nam quae ex se nota sunt, omnium consensu recipiuntur negarique non possunt. At Deum esse plerique dubitarunt, plerique etiam obstinatissime negaverunt, ut Protagoras, ut Diagoras, ut Diodorus, qui, teste Cicerone, non solum per se notum esse negarunt esse deos, sed ne notum quidem ulla ratione putaverunt. Deinde, si ita omnibus notus esset Deus, ab omnibus etiam coleretur. Sed magna hominum pars est, quae sceleribus dedita impiam ducit vitam, quod numquam auderent si gubernatorem Deum esse crederent. Ait enim Lucilius, si Lupus aut Carbo putasset esse deos, profecto tam periturus non fuisset. Praeterea, ea ex se nota existimantur, quibus assentimur, cum primum quid nomina significent, intelligimus, ut haec: Omne totum est parte maius; ac, quodlibet aut est aut

---

3 atque] atqui *N2* 5 in] *om. A* 8 videatur] beatum *A* 13 rector] auctor *eras. A* 17 latens (s *eras.*) *N1*; latens *A*. 29 quid *om. N1 V A H* 30 parte maius] maius sua parte *V H.* | ac] *A*; ad *H*

18 Ratio prima *MSS* 24 Ratio secunda *MSS* 28 Ratio tertia *MSS*

2–4 argumentum … continent] Prm. 134c 4–5 Nam … attingi] Phlb. 62b

non est. Quibus orationibus assentimur statim, cum quid nomina dictionesque significent intelligimus, absque alia extraria ratione. Sed quid significet hoc vocabulum, Deus, nemo intelligit. Ergo nulli notum est. Neminem autem id intelligere ex eo constat, quod quid natura Deus sit, ut ante ostendimus, ratio non attingit. Ad haec, qui non definit, non imponit nomen, ex octavo Metaphysices Dei tam definitio ignota est, quam eiusdem essentia. Quare nec nominari, ut Parmenides docet, nec quid nomine significetur, intelligi potest. Quid? quod demonstratione ostenditur Deum esse. Non itaque ex se notum dicendum est si argumentatione fit notum. Denique, si ex se nota esset haec enunciatio, Deus est, id ideo esse dicunt huius sententiae auctores, quod esse quod de Deo enunciatur est de ratione subiecti, quod cum est quod praedicatum in subiecti ratione intelligatur, tunc dicunt orationem esse per se notam. Sed id calumniam patitur quam numerosissimam, sicuti in his orationibus natura est: Totum est parte maius; nix est candida; homo est Deus vel non Deus; si qua sunt aequalia alicui sunt inter se aequalia; si aequalibus addantur aequalia, aequale et totum erit, et in aliis permultis. Platonis sententia est Deum esse passim esse notissimum, nec quempiam reperiri posse mortalium cuius animus secum non sentiat esse Deum. Adeo ubique patet ac sese spectandam aperit lux divina. Nam si solem negare potest qui oculos habet et visum, ita qui mentis et rationis est particeps Deum, mentium principem, negare fortasse poterit. Probat hoc Plato decimo Legum libro omnium mortalium consensu, a quo postea Cicero accepit, nullam adeo feram esse gentem, quae non Deorum opinione tangatur. Paulo etiam post neminem inventum esse ait qui usque ad mortem non senserit esse Deum, sed si qui id dicere visi sunt, non de Deo, omnes enim primam quandam essentiam esse statuerunt, sed de providentia, de gubernatione, de cura mortalium rerum dubitaverunt, in quo impii plerique inventi sunt. Quod dicere is volebat, qui dicebat in Theaeteto, Sintne dii, necne, non dico, quasi diceret, Scio deos esse, sed an mortalia curent in ancipiti atque ambiguo est. Ad ea, quae ab ita opinantibus

---

1 statim assentimur *tr. A* 4 id *sl. N2* 11 cuius *A* 12 praedicatum] positum *V H* 20 Adeo] a Deo *N1 A* 31 in *in marg. N1*

5 Ratio quarta *MSS* 7–8 Quare … potest] Parm. 40 *MSS* 10 Ratio sexta *N1 N2 V A* 22–23 Probat … Legum] 10 Leg. 3 *MSS* 25 Paulo etiam post] 10 Leg. 6 *N1 V A H* 29–31 Theaeteto … est] Theaeteto 37 *N2*; Threteto *N1 V A H*

5–6 qui … est] Metaph. 8 1043a 7–8 nec … potest] Prm. 134c 22–23 Probat … libro] Lg. 10 884c 24–25 Cicero … tangatur] N.D. 1.23.62, 2.5.13, 3.3.7 25–29 255164 … inventi] N.D. 2.55.164, 3.3.7 29–30 qui … necne] Tht. 202e

obiiciuntur respondendum iam est; quae brevi confutabuntur in hac sententia, quippe quae in duabus sequentibus planius innotescent. Ad primum, vel dicimus cum Platone non Deum, sed providentiam sustulisse illos; vel dicimus, ore non animo negasse Deos esse. Non tamen idcirco hoc per se notum non est, ut quarto Metaphysices dicitur, quosdam etiam notissimum negasse principium; non tamen quia ab illis negatum est idcirco per se notissimum non est. Ad secundum eadem dicenda sunt, quamquam etiam qui de providentia non dubitant errare vincente consuetudine possunt. Ad tertium, quid sit quod nomen indicat intelligimus, cum cogitationem habemus, quae ita id significat, quod alia significare non potest. Hoc vero nemo est qui non habeat. Quod quarto additur eodem pacto refellitur. Nam omnes Deum definimus hac communi ac facillima definitione, quae nominis non rei nominatur, cum rationem cogitationemque concipimus, qua id quod in rebus est primum cogitamus. Nec obstat quod demonstratione illum vestigemus. Nam ut Plato docuit, de providentia, non de Deo, dubitari potest. Cumque id quaeratur ac demonstretur quod prius dubitatum est, ideo non esse, sed aliud ab esse demonstratur, utpote esse primum, esse motorem, esse intelligentem, esse incorporeum atque impartibile, aliaque huiusmodi. Ratio quare ita sit posterius dicetur. Quae ultimo adducebantur, cavilli sunt et calumniae, non firmae constantesque rationes. Nam cum esse de nulla creatarum rerum sit per se notum, cum id ex se non habeant, ideo nec motum nec naturam esse est ex se cognitum. Sed ideo id dicebat Averroes, quoniam demonstrationem non desiderant, cum sensu atque experientia cognoscantur. Illa vero, totum est parte maius, per se nota non est, cum per descriptionem subiecti demonstrari possit, quae est continere partes et constitui ex partibus. Quae minora atque inferiora sunt ad id quod est, esse maius parte. At illa, homo est Deus vel non Deus, est superioris affectio. Nam esse vel non esse ens ipsum consequitur. Quare ut ens de ratione omnium est, ita et entis affectio. Ultimae propositiones non simplices, sed duplices sunt, quas logicus appellat hypotheticas. Quod si ad categoricas redigantur, descriptiones quaedam pro definitionibus praedicabuntur. Quare et per se erunt orationes et etiam per se notae. Et haec de prima opinione in per se cognitis satis sint.

---

9 indicat *om. V H* 18 utpote] ut puta *V H* 19 esse] omne *corr. in marg. N1*

2–3 Solutio primi *N1 V A H* 7 Solutio secundi *MSS* 9 Solutio tertii *MSS* 11 Solutio quarti *MSS* 15 Solutio quinti *MSS* 20 Solutio sexti *MSS*

5 ut … dicitur] Metaph. 4.3.30 1005b

39. *Non est per se notum in se tantum*

Contendebat superior opinio Deum esse notum ex se non esse. Nunc illa confutata altera sese offert, quae per se quidem notum esse ait; non tamen nobis, sed secundum naturam. Nam enunciatio 'ex se nota' ea est, cuius praedicatum est de ratione subiecti, ratio vero praedicati ac subiecti quandoque nota est omnibus, quandoque quibusdam praecipue sapientibus. Superior est per se nota omnibus, ut quodlibet est vel non est. Posterior non nota est nisi rationem scientibus subiecti ac praedicati, atque ideo nota per se dicitur non omnibus, sed solis sapientibus, ut incorporea in loco non esse, per se nota est sapientibus, ut Boethio placet, vulgo autem nihil nisi corpora cogitanti, et alas coelestibus mentibus tribuenti, nota haec non est. Quare duorum generum propositionum quae ex se cognoscuntur, illud est alterum, quod non omnibus, sed iis dumtaxat est notum, qui definitionem tenent vocabulorum, ex quibus oratio per se nota conflata est. Atqui esse est in Dei ratione, cum in solo eo esse sit cum essentia idem. Quare si ratio essentiam ostendit, etiam eius esse complectetur, quod nullo modo a natura seiungitur. Quo fit, ut Deum esse sit per se notum, quod nulli alii rei evenire potest cum nulla citra Deum natura sit quae sit idem cum esse, quaeque rei secum esse complectatur. Est itaque per se notum Deum esse, sed non nobis quidem at illis dumtaxat, quibus ratio subiecti nota est, sed illa solis Dei essentiam videntibus manifesta est. Quare solis illis ea est enunciatio per se nota, secundi generis per se cognitorum, quae quidem non omnibus, sed illis dumtaxat manifesta sunt, quibus subiecti ratio manifesta est, ut de stellae cereique luce dici potest. Licet enim stellae lux sit clarior in se ipsa, cerei tamen splendor nobis est clarior. Legimus enim minutissimas litteras ad cerei lumen, ad stellae, ne librum quidem videmus. Idem de fixa aliqua stella ac de luna affirmari potest, quod illa in se ipsa, haec nobis clarior luminosiorque videatur. Nihil autem refert perfectione an spatio res a nobis distet. Procul enim a nobis stella spatio loci; Deus remotione perfectionis abest, quare illic oculorum, hic mentis acies hallucinatur. Quare absurdum non fuerit si Deum esse per se notum in se dicatur, nobis autem notum idem esse negetur. Quod si instes ea per se nota vocari, quae ab omnibus probentur audita, hanc non omnes probant. Quare non per se nota videbitur. Respondebunt opinionis huius auctores, hoc de per se

---

5 ac] et *V H* 7 est *sl. N1* 33 instes] hinc stes *A*

7–10 Posterior … placet] de Cons. 4M1

noto prioris generis, non autem posterioris esse verum, quod illi tantum probant, qui subiecti intelligant rationem. Atque hoc genus per se notum dicitur, non quidem nobis sed in se ipso, cum id habeat, quod propositio per se nota desiderat, ut sit de subiecti ratione praedicatum. Ideo cum nobis per se nota non sit, demonstrari solet non quidem per priora, sed per posteriora ac per effecta. Sed quamquam opinio haec eruditissimi hominis fuerit dignaque videatur tum ex auctore, tum ex se ipsa, cui adhereamus, nos tamen cum Romano nostro et cum Platone tenemus, non in se tantum sed etiam nobis illam esse notam. Si enim haec opinio vera esset, nulla esset oratio prioris generis, quae per se omnibus esset manifesta. Nam ut per se nota intelligatur, alicui ratio subiecti cognoscenda est. Quaero ex opinionis defensoribus an definitio quid nominis, an quid rei haberi oporteat. Si quid rei, ut volunt, cum nulla sit definitio quid rei, quam omnes intelligant, philosophi enim solius est definire et scientiam habentis, sequitur quod nulla enunciatio sit quam omnes probant quaeve omnibus per se nota dicenda sit, quod praeter id quod est absurdum, etiam opinionis partitionem interimit. Quare dicendum est definitionem nominis tantum satis esse ad per se notam. Cumque ea de Deo nota sit nobis, necesse ut ea etiam enunciatio, quae enunciat esse Deum, non solis iis qui beatam agunt vitam, sed iis etiam qui miserrimam, nota sit. Adde, si Boethio credas, duo genera sunt illarum. Alteram vulgi, alteram sapientum, utramque mortali homini notam existimavit; ac proinde per se notam nominavit. Ista autem, quae mortali nota non est, ut ipse ait, non igitur per se notam Boethius iudicavit. Praeterea, duo tantum genera Boethius fecit. Hic addit et tertium, quod non vulgo nec sapientibus, de quibus Boethius loquebatur, sed beatis est clarum. Quare aut Boethius hallucinatus est, qui duo tantum posuit, cum essent tria, aut hic opinionis auctor, qui tria fingit, quae duo sunt tantum. Deinde, et in Posterioribus et in Metaphysicis, ea per se nota dicuntur, quae sunt principia prima in demonstrationibus, in quibus a notioribus ad obscuriora discurritur. Quod si beati principia illa habent, vel nobis sunt usui,

---

1 notis *N2* 2 notum esse *add. A* 23 per … notam] notam per se *tr. V H* 24 iudicabit *N1 N2 V H* 25 non] enim *corr. in marg. N1*

8 cum … tenemus] 10 Leg. 6.3 *N1 N2*; 10 Leg. 69 *V H*; 10 Leg. 3.6 *A* 9 Ratio prima *MSS* 21 Ratio secunda *MSS* 24 Ratio tertia *MSS* 28 Ratio quarta *MSS*

21 si … illarum] de Cons. 4P2 29 in … Posterioribus] APo. 1.9 76a | in … Metaphysicis] Metaph. 13.9.5 1086d

vel beatis. Non nobis, quibus nota non sunt, nec illis, quibus nullus est demonstrandi discurrendive usus. Quare nec principia illa, nec ex se nota idcirco vocanda sunt. Quid? quod ut philosophi dicunt, ea sunt ex se nota, quae solo agentis intellectus luce ac duce natura, sine ullo extrario, cognoscuntur. At quae beatis beata luce monstrantur non ita cognoscuntur, cum lux illa non nostrae mentis, sed divini solis sit. Ergo per se nota non erunt, quae per lumen alienum nota sunt. Per se enim mens nostra ea novit, quae absque ullo extrario, quod illius non sit pars, quod per se novit. Denique, si quid sit res intelligendum est, ut per se nota enunciatio sit, iam nec beatis erit per se nota ea, de qua nunc loquimur. Nam, ut supra ostendimus, quid essentia divina sit, solus Deus intelligit. Qua enim infinita est, a finito non capitur. Quare nec beatis erit ex se nota. Denique, ut eodem in loco Socraticam sententiam citavimus, solus Deus dici sapiens potest, qui se ipsum omnium causas continentem solus intelligit. At per se nota secundi generis solis sapientibus nota sunt. Si igitur de beatis solis intelligas, soli nota esse possunt Deo, qui sapientibus mortalibus solus visus est sapiens. Si dicant non oportere exactius intueri sed sat est essentiam cernere, ut esse cum divina essentia idem esse intelligatur. Sed nihil est istud quidem. Nam essentia infiniti infinita est, vel eam beatus apprehendit infinita ratione, vel finita non infinita, quae finitum non capit, remanet ut finita, quae infinitam non aequat. Quare si quid rei et essentia cognoscenda est ad per se notum, nemo beatorum intelligit per se notum. Quas ob res sat est nosse quid nomen significet, ut Aristoteles docet, ut etiam Plato sentit, qui Prodicum citans, addiscenti, inquit, nomen nosse sat est, et quoniam principia habent addiscentes, quae, cum sint prima, neminem fugiunt. Idcirco principia non modo sunt per se nota habenti essentiam, sed etiam ei, qui solum nomen intelligat. Haec de secunda opinione. Nunc ad tertiam nostramque contendamus.

---

3 philosophi ut *tr*. *V* 4 sola *V H* 5 At quae] atque *V A H* 7 erant *A* 13 citavimus] recitavimus *A* 16 solis *om. N1 N2 A* | soli] sola *pc. V* 20 quae] quam *MSS* | finitum] infinitum *pc. N1*

3 Ratio quinta *MSS* 9 Ratio sexta *MSS* 24–25 ut … est] Euth. 10, Charm. 20, Lach. 20 *N2*: Eutid. 10, Carmid. 20, Laches 20 *N1*: Eutid. 10, Carmid. 20, Laches 27 *V*; Eutid. 10. Carm 70. Laches 27 *A*

24–26 Plato … fugiunt] Euthd. 277e, 305c, Charm. 163d, La. 197d

40. *Non solis sapientibus notum est, Deum esse*

Itaque etsi superior opinio non absurda est sed insignis et clara, aliis tamen longe secus placet. Nam cum ex Aristotele cognoverint, eam esse ex se notam, quae ex ipsis terminis vocabulisque cognoscitur; non quid res sit, sed quid nomen vocabulumque significet, nosse oportet. Hoc vero cum nos non lateat, Deum esse non modo hominibus beatis, sed et adhuc mortalibus manifestum erit. Nam tria sunt, quae oratio per se nota postulat, ut praedicatum sit de subiecti ratione, quod nemo recte negare eam possit, ut quarto Metaphysices, ut quisque auditam probet; quae cum in ea oratione sint omnia, nam esse maxime convenit Deo divinaeque naturae, nec recte quis negaverit si nomen intelligit, statimque probet necesse est quicumque eam audiat, modo non eum nominis significatio fugiat. Quod si quis auditam aut non probarit, aut etiam negarit, id ideo evenit, quoniam negantem nominis significatio latuit. Verum haec tertia opinio quamquam plus ad Platonis sententiam accedit, qui neminem esse sentit, qui non animo Deum esse consentiat, angustius tamen arctiusque rem claudit, quam senserit Plato. Nam si sufficit nosse quid nominis, hoc non modo sapientes, verum etiam et media plebs intelligit. Nam, ut experimento videmus, Hispanus Lusitanusque Rex, quorum alter in occiduum, alter in orientem solem navigaverunt, inter tot gentes, tot nationes, tot populos, nullas omnino terras invenerunt, quae non Dei opinione atque religione moveantur. Nisi Dei nomen intelligerent, non verendum colendumve susciperent. Quo fit, ut apertissimum sit omnium gentium consensu, esse Deum, id intus animis commonstrante natura. Nam quod sapientes de Deo speculantur; id licet naturam divinam omnino non aperiat (quae patere mortalibus omnino non potest), ea tamen pandit, quae pertinent ad naturam, atque ad rem ipsam divinam (quantum fas est) vestigandam spectandam, perquirendam. Quare cum hoc rem, non nomen aspiciat, hoc non erit ad per se notum necessarium. Sibi etiam repugnare opinio videtur, quae adversus secundam opinionem nomen nosse satis esse putat. Postea a sapientibus tantum petendum dicit, cum id, quod tantum norunt sapientes, non nomen tantum attin-

---

2 est] sit *V H* 5 rei *A* 7 oratio] omnino *corr. in marg. N1* 8 praedicamentum *A* 10 Deo *in ras. A* 12 audiat] auditam *corr. in marg. N1* 15 sententiam Platonis *tr. A* 22 moveatur *N1 V H* 23 apertissimu *N1*; apertissimo *A* | sit] *om. cum lacuna A* 25–26 divinam naturam *tr. V H* 27 naturam] nostram *corr. in marg. N1*

17 Ratio prima *MSS* 25 Ratio secunda *MSS* 31 Ratio tertia *MSS*

gat, sed naturam, quamquam illam quidem, uti ostendimus, non exacte neque prorsus assequatur. Sed neque amari neque coli quid potest, nisi cognitum. Semper enim amorem ac voluntatis motus motus intelligentiae antecedit. Colit autem vulgus Deum apud omnes nationes, ut docuimus. Quare et novit vulgus Deum, sed nulla cognoscendorum simplicium ratio est, nisi rei vel nominis. Cumque res illos lateat, qui sapientes non sunt, impossibile est igitur eos nominis rationem latere. Quare et nomen notum est illis. Et proinde ex sua ratione sequitur, Deum esse notum esse non modo sapientibus, sed etiam ignavissimo vulgo. Praeterea principia prima sunt quae nemo ignorat, ut ianuae domorum, ut quodlibet est ens vel non ens, quod non aliam ob causam contingit, nisi quoniam omnibus haec nomina nota sunt, licet entis natura non omnibus nota, atque inter ipsos sapientes adhuc in ambiguo sit, quotidieque quaeratur an unam an plures contineat rationes. Licet tamen id de re ipsa a sapientibus adhuc non plane constet, quid tamen nomine significetur etiam vulgo constat; hoc est, cum ens audiunt, omnes cogitationem habent ita huic nomini convenientem, quod alteri non convenit. At vero itidem est de Deo, ac causa eadem, quia omnes quoddam omnium rerum primum Dei nomine cogitant. Quam ob rem non sapientibus tantum, sed etiam rudibus erit manifestum. Quod si incorporea locum non occupare solis sapientibus patet, hoc est, quoniam sensu non capiuntur, quem vulgus sequitur semper. At in omni genere esse quoddam et summum et primum. Hoc omnes fere sensus et experiuntur et sentiunt, ut in calidis ignem, in corporibus coelum, in lucentibus solem, in animantibus hominem, in familia patremfamilias, in regno regem, in rebus denique universis Deum. Qui quidem quidnam sit etsi sensu non capiant, quod tamen sit duce natura norunt. Praeterea, primorum principiorum intelligentia omnibus peculiaris est mortalibus. Sed omnium principiorum principium Deus est; immo alia omnia non proprie principia vel causae nominandae sunt, cum potius primi principii organa atque instrumenta dicenda sint. Quare si alia omnibus nota sunt, hoc omnium longe notissimum esse debet, ita ut nemo non capiat quod sit Deus, quamvis quid Deus sit nemo fortasse capiat. Quid? quod non minus apparent effectus

---

7 impossibile] ipsos *corr. in marg. N1 A* 8–9 Et … esse *om. A* 16 ens] omnes *corr. in marg. N1* 20 non] *om. cum lacuna N1* 22 quaedam *corr. in marg. N1* 26 quidnam] quid n⁻a *N1 A*; quid natura *V H* 27 duce *om. A* 28 peculiaris est omnibus *tr. V H* 33 quod] quid *H*

2 Ratio quarta *MSS* 9–10 Ratio quinta *MSS* 20 Ratio sexta *N1 N2 V A* 27 Ratio septima *MSS* 33 Ratio octava *MSS*

rectoris mundi magni, quam rectoris mundi minoris, quae est anima. Sed nemo scit quid animae nomen significet, quin idem intelligat esse animam, quamvis quidnam sit anima non intelligat. Quare si sensu omnes animam esse sciunt, omnis sensus omnisque nostrae agitationis originem, Deum multo latius esse colligunt motuum, actionum universique principium. Quare non solis se sapientibus aperit Deus, immo neminem esse vult, qui eum esse non norit, aut certe illi etiam norunt qui sapientes non sunt.

41. *Deum esse, per se notum est omnibus*

Vidimus Deum esse, ex se esse notum, adversus primam opinionem; vidimus non solum beatis esse manifestum, adversus secundam; vidimus denique non solis sapientibus, adversus tertiam. Superest, ut quibusnam notum id sit, investigemus. Visi sumus superius defendere, notum id esse omnibus, quod dubium plerisque videtur. Primo, quidem cum multi sint, qui non modo Dei sed nullius fere rei intelligentiam habere videantur, ut infantes, ut mente capti, ut denique qui sensu non vigent. Idem, de aperte negantibus dici potest, quos Plato Ciceroque commemorat. Deinde, nihil eorum quae per se nota sunt demonstratione vestigantur. Sed Deum esse ratione vestigatur, et a Platone, et a Stoicis, et ab aliis. Quare ex se ipso non cognoscitur. Adhuc, cum supra demonstraretur, hoc ex se notum esse, dicebatur id ex motu effectisque colligi. Hoc autem est aliunde discurrere, non Deum esse per se, hoc est, absque alio intelligere. Quas ob res non ita id se habere videri poterit, uti constituimus. Iam vero satis superiori sententia defensum esse arbitramur. Quid in hac quaestione Plato, quid veritas ipsa sentiendum suadeat. Nam in eo libro quem ante citavimus scriptum reliquit Plato non modo sapientes intelligere esse Deum, sed neminem ferme esse, qui quidem non illud animo menteque complectatur. Quod si id omnes intelligunt, non autem sapientes omnes sunt, ut in Odyssea testatur Homerus, constat iam non sapientibus solis, sed etiam iis qui sapientes non sunt, id natura esse notissimum.

---

3 quidnam] qui non *A* 5 laxius *A* 6 immo] sed etiam *corr. in marg. A* 10 notum esse ex se *tr. A* 12 quibusnam] quibus *A* 18 vestigatur *N2* 22 se] sese *N2* 24 sententiae *A* 26 modo] solum *A* 27 non *sl. N2*

14 Ratio prima *MSS* 17 Ratio secunda *MSS* 18 Ratio tertia *MSS* 20 Ratio quarta *N1 N2 V H* 25–26 in … citavimus] 10 Leg. 3.6 *MSS* 26 Ratio prima *MSS*

Nam in quibus alterum oppositorum refugit, alterum semper necessario expetit sequiturque natura. Id quod de rebus, quas non naturales medici vocant, confirmat Hippocrates, quod quos nimium, vel cibi, vel agitationis offenderit, ii ieiunio coquentes atque ocio feriati curantur. Quodque in utroque solstitio experimur, semper enim natura compellit, ut libenter moram trahamus "ante focum, si frigus erit; si messis in umbra." At vero in omni ordine, mentis acies infinitum refugit, quod nosse atque amplecti natura non potest. In omni itaque ordine, id menti est a natura tributum, ut, cum ordinem percurrit, non abeat infinitum, sed in fine, natura duce, quiescat. Quam ob rem tamdiu latere quempiam potest esse deum, quamdiu quid nomen Dei significet, non acceperit. Hoc vero non cognitu difficile est, quod quidem infantes ipsi cum lacte nutricis accipiunt Deum esse quoddam summum, optimum, maximum in universa natura. Praeterea, cum bonum sit quod appetunt omnia, quod itaque maxime bonum, id maxime appetunt. Sed ut quodque appetitur, ita natura fit, ut prius cognoscatur quod maxime appetit Deus. Ergo idem esse oportet quod maxime intelligitur. Deinde, libro de Coelo 2 scribit Averroes quod actio appetitionem appetitio notitiam sequatur, et ut quisque clarius meliusque novit bonum, ita vehementius appetit et illius gratia studiosius atque ardentius agit. Sed Dei summique boni gratia ardentius agunt omnia aniculae ac rudissimae quaeque muliercularum. Amant igitur illum vehementius, igitur et melius et diludicius norunt. Quod ne cui absurdum videatur, quod Deum rudi, quam erudito melius cognosci, Plato (ut supra exposuimus) causam in epistolis scriptam reliquit, quod divina cognitio non studio, sed consuetudine fit in anima. Quod quidem non de prima cognitione (nam ea et a natura, et statim fit), sed de perfecta intelligit ut ingrediendi et ambulandi vis natura inest homini, initio quidem exilis atque infirma, tempore postea atque consuetudine et constans et firma. Idem de corpore, idem de animae viribus, idem de voce, idem modo quodam et de oratione dicitur, quam etsi natura sola homini tribuit, ita tamen tribuit, ut primo voces quasdam indistinctas infans blacteret, quibus et aliquid desiderare, ut potest, indicat. Postea paulatim consuetudine audiendo loquendoque assuescit, ut omnia quam distinctissime dicat. Quare non mirum, si aniculae Deum norunt magis,

---

12 cognito *A* 16 appetitur *A* 28 exilis] exilis //lis// *A* 30 quoddam *V H* 34–102.1 magis magisque] magis quae *V H*; magisque *om. N1*; magis *om. A*

14 Ratio secunda *MSS* 25 quod … anima] Epistola 7 *MSS*

6 ante … umbra] Ecl. 5.70

magisque circa ipsum diuturniore cogitatione atque affectu ardentiore ac quadam vitae cognatione versatae sunt quam qui sola ratione attingunt illum, diverso affectu ac diversissima vita. Scribit sane Averroes libro de Physicorum auditu octavo ea esse notiora, quae pluribus sensibus, quasi pluribus confirmantibus testibus capiuntur. Sed aniculae, et quicumque religionis studiosissimus est, pluribus Deum capit, quam naturae vestigator. Melius itaque clariusque animo suspicit Deum, quasi pluribus oculis, quam qui uno solo rationis oculo intuetur. Cyclopes in obscuris antris habitare finxit Homerus, idque tertio Legum libro commemorat Plato, quod haud aliud sibi vult nisi quod naturae indagatores, magni quidem sunt et aliis mortalibus multo maiores, in rerum generibus, speciebus differentiisque perquirendis, in rebus partiendis, definiendis, demonstrandis per syllogismos atque argumentationes longe lateque examinandis. Sed haec rerum et laborum moles in obscuro habitat et a sole procul, qui, cum sola ratione videri non possit, nunquam in Cyclopum antris micat. Unum magni gigantis oculum parvus Ulyxes eruit, cui oculus non unus tantum erat. Quae occultissimam sapientiam continent indicantque magnos philosophos, qui solo sensu nisi omnia perquirunt in latebris esse, nec solem intueri, ut sexto ac septimo de Republica late Plato docet, ingentemque eorum cognitionem in divinorum luce pervidenda ab exiguae cognitionis mentibus superari. Quod quidem animae, cum in caverna corporis clausae sunt, haud liquido sentiunt, cum vero cavernam exierint, tunc errorem animadvertunt, tunc fatentur vaticiniis accepisse Ulixem venturum et Cyclopem in antro excaecaturum, sed ideo eum non cognovisse, quod magnum aliquem expectassent; numquam sibi persuadere potuisse, gigantem et magnum et fortem ab homuncione et parvo et imbecillo superatum iri. Non mirabitur Aristoteles ubi de somniis agit, Deum ineruditis quibusdam futura manifestare, si multo illis iunctior est, qui eum cogitatione, affectu, animi munditia, vitae cognatione, et morum actionumque omnium imitatione sectantur, quam qui sola sensus (nihil enim in mente esse aiunt in sensu quod non fuerit prius) investigatione contemplantur. Ad haec, quoties aliquid necessarium esse con-

1 circa] esse *corr. in marg. N1* 6–7 vestigatur *A* 7 cariusque *A* 9 habere *MSS* 17 Quae] quam *corr. in marg. A* 21 cum] dum *V H* 31 sensu *om. A*

3 Ratio tertia *N1 N2 V* 9 idque … Plato] 3 Leg. 5 *N1 V*, A, *H* 32 Quarta Ratio *N1 N2 V A*

8–9 Cyclopes … Homerus] Od. 9.105–542 9 habitare *cf.* Od.9.113 | tertio … Plato] Lg. 3 680–681 28 Deum … manifestere] Div.Somn. 1 463b

stat, illa etiam necessaria sunt, sine quibus illud esse non potest, ut si dies illuxerit, solem illuxisse necesse est. At voluntas finem ultimum bonorum bonumque summum necessario vult, licet alia illius gratia velit et etiam nolle possit; cognitio vero voluntatem necessario praeit, nec velle aut amare quicquam potest, nisi prius amanda res cognita fuerit. Quam ob rem si voluntas id necessario amat, mens necessario novit, nec id nosse non potest quamdiu ratione uti potest. Dices signum scientis, ut scribitur in Posterioribus, est posse docere. At docere id philosophus potest, anus non potest. Ille itaque scit, illa ignorat. Praeterea, multa a philosopho de Deo enunciantur et verissima et altissima, quae anus ne somniare quidem potest. Quonam igitur pacto illa nosse, hic ignorare videatur? Sed neque Deum necessario amant homines, cum plerique voluptatibus flagitiisque sint dediti. Quare nec bene colligatur, eum necessario cognosci. His itaque refellemus. Docemus illa alios disserendo, quae alius disserendo nos docuit, de qua sola doctrina loquitur Cyclops, quam scilicet unam uno oculo novit obscura luce humanae rationis. At bona anus, cuius, ut David inquit, gloria omnis ab intus, divinos intus radios hausit, dum se vitae puritate Deo propius fecit. Nec illa omnino non docet bonas nacta mentes; nam constat Monicam, Augustini simplicem atque ineruditam parentem, filium omni disciplinarum genere praeditum et saepe divina docuisse, et tandem ad illa intelligenda amplexandaque votis, precibus, lacrimis compulisse. Quid deinde multa disputat Philosophus de Deo, qui nihilo quid dicat intelligit magis, quam cum de odoribus vel coloribus is disputat, qui vel olfaciendi vel videndi sensu captus est? Omnia enim melius iudicabit expertus, licet alius aptius loquatur et copiosius. Tactu enim divini radii divina cognoscuntur, ut Platoni placet, non strepitu verborum et disputationum. Scelestos vero eadem docet Epistola idcirco Deum non nosse, quod purum ab impuro attingi fas non est. Et quamquam Deum non norunt familiaritate consuetudinis, norunt tamen cognitione naturae, ut aeger vini suavitatem non ignorat, quam tamen aegritudinis vitio non modo non amat, sed refugit et abhorret. Qui quidem locus saepissime a Platone tractatus est, sicut in Theaeteto et in

---

1 necessaria] esse constat *add. N2* | sine] sint *A* 9 illa] illo *A* | a philosopho multa *tr. V H* 24 omni *A* 25 copiosius] tacto *A* 32 Threcteto *N1 V H*; Trechteto *A*

26 Tactu … placet] Ep. 7 *MSS* 31–32 Qui … Theaeteto] Th. 41 *N1 N2*; Trec. 46 *V A*

16–18 bona … fecit] Ps. 44.14 26 Tactu … placet] Ep. 7 341e 32 saepissime … Theaeteto] Tht. 184b 32–104.1 in … Phaedone] Phd. 65b

Phaedone. Ad ea etiam, quae initio adducebantur, respondemus. Nam omnibus notum esse id dicitur ratione uti potentibus, et quibus nomen notum est; infantibus et insanis, quibus ratio integra absolutaque non est, neque de huius nominis significatione, neque de aliis integrum iudicium esse potest. Quae autem sunt per se nota, illis nota dicuntur, qui de nominis significatione integra inoffensaque ratione valeant iudicare. De Diagora vero et aliis aperte Deum negantibus Plato in libro Legum decimo non Deum illos negare, sed providentiam, et circa impietatem omnem fuisse versatam. Quidquid praeterea illi negaverint ad rem non pertinere, cum nomen boni Deique omnino nescierint, atque id quod natura inseruerat, studio et consuetudine falsae opinionis everterint, labefactaverint, depravaverint. Quod demonstretur esse Deum, ipse sibi respondet qui hoc obiicit. Ait enim nulla demonstratione Deum esse demonstrari posse. Nam idem de se ipso demonstraretur. Esse enim est cum divina essentia idem. Sed eam demonstrationes omnes aliquid de Deo demonstrare, ut quod primum est moventium, aut quod impartibilis primus motor, et alia huius generis. Denique, quod Deum esse ipsi ex motu coeli rerumque vestigaverimus, dicimus eam demonstrationem non esse, sed declarationem descriptionemque nominis, quam facile mens per se capit, quod in omni ordine primum ponendum est, et ita in universo est primum statuendum. Quae statim pinguique modo animadvertens animus huius nominis accipit significationem. Atque haec est et Platonis sententia et Epicuri. Ait enim hic, teste Cicerone, cognosci esse Deum idque innatum esse omnibus, et etiam antiquorum theologorum. Nam Damascenus ait, quod Deus existat, unicuique natura insertum esse. Quod quidem cum posteriores interpretari nituntur et corrumpunt et evertunt.

42. *Per effecta ac posteriora cognosci Deum*

Per ea quae facta sunt Deum ac divina cognosci, docet et Apostolus et philosophia. Nam et in Posterioribus docemur, et in philosophis experimur per demonstrationes a posterioribus notioribusque priora atque

---

8 circa] esse *corr. in marg. N1* 9 non *sl. N1* 10 atqui *N1* 14 idem] ipse *add. A* | divi *N1 N2 A* 17 generis] id genus *N1 N2 A* 20–21 primo *A* 30 demonstrationem *V H*

1 Solutio Rationis primae *MSS* 6 Solutio secundae *MSS* 6–8 De … providentiam] 12 Solutio tertiae *MSS* 17 Solutio quartae *N1 N2 V A*

6–7 De … decimo] Lg. 10 885b

occultiora a venantibus mentibus inveniri. Sed id non satis esse existimari potest. Nam effecta atque posteriora si causam indicatura vere sint, oportet habeant rationem proportionemque cum causa. Sed effecta atque posteriora Deo comparari non possunt, ut de hominibus scribit Homerus. Quare nec per illa vere investigabitur Deus. Quattuor quaeri solent, cum scire aliquid aggredimur, teste Aristotele libro Posteriorum secundo: an res de qua agitur sit, quid sit, qualis sit, quare talis sit, ut an phoenix sit, quid sit, quod una sit, quam ob rem una sit. Quid sit autem res duplex est, alterum vulgare et nominis, alterum exactum et rei. Atque ita erunt quinque: quid nomen, an sit, quid rei, qualis et quare. Eadem prius a Platone posita erant Academiae et sparsim et simul. Sparsim quidem prius, nam in Philebo cum de voluptatibus ageret, oportere ait quaerere de speciebus voluptatum primo, quidem an sint, deinde quot, et quales illae sint. Ubi cum posuisset primam omnium quaestionem, an res sit (nam quod non est sciri non potest, ut libro de Republica quinto scribitur, et idem Aristoteles usurpavit), posuit postea scientiae definitionem, quod est quae subiectum considerat et partes et passiones. Et ideo ait quot sunt ac quales sunt voluptatis species vestigandum esse. Deinde post primam quaestionem, an est, ponit quid est, et quale est, in Menone, et earum quaestionum ordinem, cum ait, nondum quidnam sit scimus, et quale sit iam quaeris? Quale sit eam Plato vocat quaestionem, quam tertiam Aristoteles quia est appellat, quae est ad effectionem aliquam non tamen per propinquam causam ostendendum. Est et quarta quaestio in Phaedro ubi ait, quid est esse principium eorum, de quibus agitur, hoc est, ad aliquid de subiecto demonstrandum. Quod qui non habent substantiam rei nesciunt, absque qua quod sequitur non habetur. Hoc est, passiones atque affectiones quae rei substantiam sequuntur demonstrari de subiecto non possunt, nisi quid sit habeatur. Per quae Plato ostendit id quod sequitur accidentia propria atque affectiones per quid est haberi et demonstrari, in qua quarta quaestione, cur est, sita est. Idem enim est quid est, cum solum et per se quaeritur, et est proprie quid est cum pro

---

2 posset *N1 V A H* | vera *V H* 3 sunt *A* 4 comperari *N1 N2*; comparare *A.* | ut *om. A* 7 qua de *tr. N1 N2* | sit *om. A* 9 res autem *tr. A* 13 primum *A* | quot] quod *A* 19 prima *N1* 30 qua *sl. N1* | quarta] quanta *N1 V A H* 31 proprie] propter *V H*

12–13 Philebo … primo] Phil. 20 *MSS* 15 quod … quinto] 5 Reip. 50 *MSS* 24 Phaedro … agitur] Phaed. 13 *MSS*

3–5 effecta … Homerus] Od. 4.78 5–7 Quattuor … secundo] APo. 2.1.1 89b 12–14 in … sint] Phlb. 19b 19–20 in … scimus] Men. 87b 23–25 in … demonstrandum] Phdr.271b

quaesitae rei causa ponitur. Simul etiam haec in Epistola septima aliis nominibus commemorata sunt, sed inter quid nominis et quid rei distinguens quinque numerat: nomen, rationem, simulacrum, scientiam, intellectum. Nomen et ratio definitiones sunt, altera nominis, altera essentiae ac rei. Deinde simulacrum quod omne factum, et est quaestio an id, cuius nomen novimus, esse habeat cum essentia iunctum, quod omne non exemplar est, sed ab exemplo ductum, cum exemplar sola essentia sit esse habens nullo modo a seipsa seiunctum. Scientiam nominat id, quod vel per effecta, vel per inferiores scitur causas. Sine causa opinionem, cum causa scientiam vocat. Intellectum postea ponit cognitionem per causam supremam et primam, ubi quies ultima quaerentium ac vere philosophantium est. Nam, ut in Timaeo dixerat, quid id sit nosse dulce victoriae praemium est. Id enim est quid est res et causa cur omnia insint rebus. Nunc quod ad quaestionem attinet, an Deus per posteriora vestigari possit, nomen, simulacrum, et scientia habentur. Ratio autem essentiae non habetur. Nominis definitio ac cogitatio facile habetur, ut ante monstravimus. Simulacrum non habetur, quia non habet esse ab exemplari, sed habet esse superius simulacro. Et hoc est per se notum, ut ostendi, non quid sit, sed quod sit. Intellectus autem duplex est. Alter essentiam, alter posteriora significat. Secundus habetur; prior non nisi post mortem expectatur. Dividuntur haec omnia in secundo. Nam aut quid est, aut quia est quaestio petit. Hoc per facta haberi potest; id non potest. Et hoc Plato in Timaeo cum ait, invenire difficile, fari impossibile. Hoc est, per posteriora ostendere quae Deo conveniunt difficile est ob obiecti potentiam et medii differentias. Invenimus tamen; sed quaerenti quid inventum sit fari et definire non possumus. Modi autem, quibus ad eum pertingimus, tres numerari solent a nostris: causa, remotione, excellentia. Nam cum effecta sint, fieri non potest ut causa non sit, et ita per posteriora multa quae in causa sunt diiudicantur. Carneades per commoda, per poenas, per motum, ac etiam per oracula ad Deum ostendendum ducebat. Alii per ordinem, atque alii modis aliis ad eum

---

1 etiam *om. H* 5 simulacrum] -crum *in marg. N2* 7 exemplar] [[exp]] exemplar *A* 12 nosse] [[id]] *add. N1* 21 secundo] duo *V H* 26 inventus *ac. N1* | et *om. A* 26–27 quibus] quo *N1 N2 V H* 28 cum] quid *N2* | sunt *N1 V A H* 29 diiundicantur *ac. N1* 30 penas *N1 V*; pennas *A*

1–2 etiam … sunt] Ep. 7.31–32 *MSS* 12–13 Timaeo … est] Tim. 138 *MSS* 23–24 Timaeo … impossibile] Tim. *N1 V A*

1–5 Epistola … rei] Ep. 7 342b 12–14 ut … rebus] Ti. 90c 23–24 Plato … impossibile] Ti. 28c

sternunt vias, quibus id constat, per haec, quae posteriora cernuntur, divinam cognosci naturam. Non quidem quod quid sit habeamus aut fari possimus, sed quia est cognoscimus, ad multaque perdiscenda, quae illi conveniunt, quasi per quasdam adumbratas similitudines pervenimus. Et quoniam similitudines obscurissimae ac dissimillimae sunt, hinc septimo de Republica spelunca diffusissime statuitur, in qua non veras formas, sed adumbrata obscuraque simulacra conspiciuntur. Ad id, quod nos initio vexabat, quod haec effecta comparari non possunt Deo, cum longe deficiant a praestantia causae, respondeo sequi ex hoc non quod non invenire, sed quod non fari possimus, quodque quia est scimus, quid vero sit, scire hic non possumus.

43. *Per Aristotelis philosophiam inveniri Trinitatem non posse*

Philosophia Aristotelis, quam omnium philosophorum scriptis atque opinionibus anteponunt, possit ne ad Trinitatem demonstrandam attingere, quaeri solet. Quaedam ab eo scripta leguntur, quae rebus divinis ternarium miscent numerum, ut primo De coelo libro, ubi Deum ternario attollendum esse, eoque numero sacrificia uti consuevisse legitur. Huic sententiae etiam ratio accedit. Nam qui imaginem rei alicuius intelligit, potest per illam etiam exemplar intelligere. Sed animam novit ea philosophia, estque anima ac mens divina imago. Quare et ad Deum divinamque Trinitatem, cuius imago in mente est, ea philosophia pertinget, aut nihil prohibet quin pertingere posse videatur. At vero Dei ipsius oraculum dixit: Filium nemo novit nisi Pater, neque Patrem quispiam novit nisi Filius, aut cui voluerit Filius revelare. Quo fit, ut ea philosophia, quae oracula non admittit solaque humana ratione contenta est, neque parentem neque prolem intelligat, ac proinde occultam Trinitatis rationem ne suspicari quidem vel de longinquo possit. Veritas ita se habet, quod cum ut Plato in Parmenide et in Sophista quaedam doctrinae et scientiae principia statuat, ponit idem et diversum, quae qui habet, scientiam habet. Haec sunt genus et differentia, vel commune et proprium, id

---

2 Non] nam *A* 3 multaque] quae *add. N1* 10 quia] via *V H* 12 *Partes huius capituli una cum cap. 44 D. Gionta recognovit* 28 cum ut *tr. N1 V A*

5–7 septimo … conspiciuntur] 7 Reip. *N1 V A* 27 Supp[ositum] primum *MSS* 28–29 Sophista … statuat] Soph. 79 *MSS*

22–24 Dei … revelare] Mt. 11.25–27

in quo conveniant, et ea quibus differant; quae in disputationem adducuntur, ut in animalibus Aristoteles, in planetis Ptolemaeus exponunt, communia prius generatim disserentes, ac deinde affectiones et differentias proprias, quibus illa invicem seiunguntur. Ex quo fit deinde, quod si quis dicat idem ac commune, diversum non docens, is haud recte docet, cum id tantum adducat, quod multis est commune. Communia autem fere omnia confusa sunt, quare legitimam scientiam numquam gignunt. Trinitas itaque utroque modo intelligi potest, aut per idem, hoc est, per communia personis tribus, aut etiam per diversum, hoc est, per ea quibus illae inter se distinguuntur. Per communia cognoscuntur, cum quaedam, quae essentiae ac proinde personis tribus conveniunt, considerantur non quidem ut communia sed ut modo quodam quasi propria singulis personis accommodantur, ut potestas, sapientia, bonitas; id Patri, illud Proli. Hoc denique Sancto Spiritui attribui solent, quamquam illa omnia essentiae sint et cum essentia in omnibus personis reperiantur. Ratio altera cognoscendi est per diversum, hoc est, per ea quae personis singulis propria sunt, quibusque personae invicem distinguuntur. Contemplatio per idem tantum ac per ea communia, quamquam modo quodam propriis similia videantur, Trinitatem haud plane ostendit. Nam etiam si Trinitas nulla sit in Deo, inerunt tamen nihilominus illa tria. Quare non haec Trinitatem probabunt, sed ubi Trinitatem inveneris, illa singulis personis non inconcinna ratione accommodantur. At vero ea quae per diversum est contemplatio et per propria, quibus illa diversa distinctaque inter se sunt, ea, inquam, exacta absolutaque est, neque animus, dum mortali corpore clausus iacet, Trinitatem potest exactius contemplari, cum ea duo de Trinitate novit, idem scilicet ac diversum, quae quidem absolutae scientiae ratio desiderare solet. Hanc vero intelligentiae lucem Aristotelis philosophia non suspicit, quae quasi infirmus oculus, densa circum caligine obductus, vicina quaedam quae circumstant, cernit, caelum, astra, solem, et quae supra caliginem sunt, non cernit, at "nubes et caligo in circuitu eius." Quare latentem lucem acies non penetrabit humana. Quam quidem sententiam haud obscure confirmare possumus. Nam in Hippar-

---

1 conveniunt *A* | disputationem] -em *in ras. V* 2 exponunt] respondet *A* 14 solet *N2* 20 nihilominus *sl. A* 26 novit] nonius *A*

4 secundum *N1 N2 V H* 8 tertium *MSS* 17 quartum *MSS* 22 quintum *N1 N2 V A* 27 sextum *MSS* 31 septimum *MSS* 32–109.1 Hipparcho … meminit] Hipp. tertio *N1 V A H*

30–31 nubes … eius] Ps. 96.3 32–109.1 in … meminit] Hipparch. 226d

cho Plato singulas artes, singula instrumenta desiderare meminit. Utitur enim navigatio navibus, citharaedus cithara, aratro arator, ferro atque armis miles, quibus si careat artifex, artis munera implere non potest. Verum enim vero nulla potestas, quae instrumentis eget, ea agere poterit, quibus sua instrumenta non congruunt, ut Amphion et Orpheus lyra citharaque nec arabunt, nec suent, nec colonus aratro edificabit, nec gravibus armis navigabit miles. Atqui Aristotelis philosophia principiis quasi organis utitur ad demonstrandum, ut Averroes testis est libro De anima tertio; principia nonnisi sensu in mentem veniunt, ut secundo Posteriorum libro cognoscitur. Quare ea omnis philosophia nihil assequi potest, ad quod principia, quae sensus peperit, non attingant. Fieri autem non potest, ut sensus ratio Trinitatis diversum cernat, hoc est, propria, quibus personae distinctae inter se sunt. Nam ea ratio ab iis quae sentiuntur ad ea quae intelliguntur, atque ab iis, quae fiunt, ad causas unde fiunt, pergit semper. Haec vero progressio ad divinam tantum nos ducit essentiam, quae omnium quae fuerint causa est. Quare necessaria ratio convincit Aristotelis philosophiam nihil, nisi essentiam in Deo posse animadvertere, propria vero personarum, quibus distinctae illae inter se sunt, quae ad aliquid sunt, non res humanas respicientia, sed seorsum ab externo obtutu invicem se spectantia, ne suspicari quidem potest illud philosophiae genus, quod tametsi alas habet intelligentiae, tam in ea divinae lucis arcana potest surgere, quam exiguis pinnulis e mari, in caelum aquilam volando sequi aut tunnus aut balena potest. Quod autem ex Aristotele citatur, quod Trinitatem honoraverit, id scribit de honore sacrificiorum, non de distinctione personarum. Animae vero imago perexigua est, et tantae rei confirmandae parum idonea. Multo enim longius abest a divinis humana natura, quam ut per eam cerni et pervideri possint res divinae. Atque haec causa est cur apud Homerum impius sit Cyclops appellatus, quod deos et divina contemneret, quia instrumentum divinorum cernendorum non habebat, uno dumtaxat oculo contentus, qui lucem aliam non haberet, nisi quae de solo sensu originem duceret.

3 arti *A* 14 fiunt] fuerit *corr. in marg. N1* 15 nos tantum *tr. A* 16 fuerint] fuerit *N1*; fiunt *add. N2* 21 habet alas *tr. V H*; alas *hab*ent *N2* 27 et] aut *A* 29 quod] qui *H* | Deus *Gionta* 30 habitat *Gionta*

1–3 Utitur … potest] Hipp. tertio *N1 V A H* 4 octavum *MSS* 7 nonum *V* 11 decimum *V H*

44. *Ab Academia multa de divinis personis scripta esse*

Tempus iam est, ut quod Augustinus aliique de Platone atque Academia dixerunt, quandoque prodat in lucem. Nam et divinum Platonem appellavere nonnulli, et plurima de divinis tradidisse. De ipsa etiam Trinitate multa sensisse, multaque posteritati commendasse testati sunt. Sed quae ille quidem, illis de rebus scripserit, quove loco aut quo libro disputata reliquerit, minime docuerunt. Quare bona theologorum pars id vel non credidit, vel si quid inveniatur, parum ad rem nostram pertinere arbitrati sunt. Difficile enim credit quod quisque non novit, ac facile putamus ignota esse aliis, quae nobis ignota sunt. Plerique de Trismegisto dicunt, cum is scripserit Monadem a Monade esse genitam, de mundo, non de Verbo illud scripsisse, atque omnia, quae de divina generatione scripta ab antiquis dicerentur, eius esse generis, quae cum alia mente scripserint auctores, longe secus nostri sibi faventes interpetrari, et ad res divinas usurpari conati sunt. De Platone etiam dicunt, quae de Patre dixerit, non sensisse nobiscum, sed de divina mente rerum mundique ideam concipiente, intellexisse, quem ille mundum appellarit Archetypum. Sed iam Platonem ipsum audiamus, qui non ambages, sed rem sole clarius apertam facit. Id quamvis in plerisque libris, quasi obscurius scripserit, duobus tamen in locis ita aperte rem pandit, ut Evangelistam existimes, non philosophum. Locus alter in Cratylo est, qui liber de nominum interpretatione impositioneque disserit. Maxima autem libri pars in divinis nominibus interpretandis occupatur, unde Areopagita Dionysius, ut de divinis nominibus scriberet, excitatus est, facturus id de nominibus, quae in Sacris Libris inveniuntur, quod in iis Plato fecerat, quae apud Homerum, Hesiodum, Orpheum, aliosque antiquae theologiae assertores invenerat. Cum itaque ad Iovis nomen Plato venisset, idque ex duobus constare docuisset nova quadam atque inusitata ratione, in recto enim Ζεύς, in obliquo Διός dicitur, quae quidem dictiones, praeter omnium consuetudinem nominum, nihil habent commune. Sed ingens arcanum clauserunt veteres, in dictionibus illis duabus eodem in nomine copulandis. Nam priore quidem loco rectus vitam, deinde causam obliquus signifi-

---

1 scripta *in ras. V* | scripta esse *in marg. V* 14 sibi nostri *tr. A* 17 appellavit *A* 32 deinde causam] deinde causas *N2*; demum causam *V H*; demum causas *A*

10–11 Trismegisto … genitam] Trismeg. *N1 V A* 21–22 Cratylo … disserit] Cratil. 21 *MSS*

10–11 de … genitam] Cor. Her. 4.10

cat, vitam causamque Deum esse cognosceremus geminumque mundum animadverteremus, quorum alter in Deo totus vita est, alter a Deo et a creante causa factus est, utque omnia Deo tribuerentur, idcirco utrumque in divino nomine Graeca initio ratio copulavit. De Iove tandem ait, magnae cuiusdam intelligentiae prolem esse, ubi gignendi ratio per intelligentiam manifesta est, manifestum gignens, manifestum genitum. Cumque nihil a seipso gignatur, atque oppositionem gignentis ac geniti inter ea inveniri, quae re distincta sint, ante monstraverim, iam constat, duo illa ita se habere Platonis testimonio, ut alterum gignat alterum, ac proinde rationem procedere, ut re alterum distinguatur ab altero. Sed longe apertius sexto Republica libro non modo divinam aperuit generationem, verum etiam ut eiusdem naturae esse gignens genitumque constaret, propriisque nominibus personas nominaret, non per communia, sed per propria de tanta re dissereret, per idem ac diversum scientiam plenissimam traderet, Patrem Filiumque nominavit. Nam dixerat virtutes a Deo precibus sacrificiisque comparari, qui eas assecuti sint in Boni naturam suspicere. Hoc enim nomine libenter Deum nominat, quod is sit, quem omnia appetant, cupiant, imitentur, quantum eorum natura ferre potest. Deinde rem grandem diciturus ait, sine Bono quicquam boni esse non posse, viresque vereor rem tantam locuturus. Denique sublimis theologiae culmen aggressus ita ait, Boni naturam nunc omittamus, ac Filium dicamus. In Bono Patrem intelligit, omnium bonorum originem longe principem. Omittendum ideo dicit, quod solum cognosci per se non possit, sed cum eo, cum quo intelligi potest. Quae enim ad aliquid sunt, sciri sine eo, in quod prospiciunt, nullo modo possunt. Ideo sequitur, Filium dicamus, quam simillimum, Patrem postea intelliges. Quae docent, et Filium esse aequalem Patri, quod simillimus dicitur, et Patrem per Filium cognosci, ut eorum omnium, quae ad aliquid sunt, ratio postulat. Sequitur, vellem non solum Boni partum, sed et ipsum Bonum intelligeretis. Sed cavete, ne vanam accipiatis de Filio rationem. Monstrat iis verbis et altam gignendi rationem ad Filii divinitatem, omnipotentiam, aequalitatem, et quod Deus erat Verbum. Si enim secus esset, vana gignendi ratio dici posset, cum perfecta gignendi ratio sit simile

---

2 et a *om. V H* 5 esse *in marg. V* 15 dixerint *A* 29 et] etiam (iam *eras.*) *V* 30 de filio accipietis *tr. A*.

11–12 sexto … generationem] 6 Reip. 35 *MSS* 19 34 *MSS* 25 35 *MSS*

11–15 apertius … traderet] R. 6 507a

in specie edere in luce ex natura substantiaque gignentis. Rem postea ita disserit manifeste clareque, ut nihil in Evangelio legatur expressius. Boni, inquit, est Filius, quem ille generavit sibi similem, ita in intelligibili generatione se habentem, uti sol in visibili. His duobus locis (si penitus scrutari vacaverit) Ioannis Evangelium scriptum invenietur; parumque abfuit, mutatis verbis quin dixerit, In principio erat Verbum. Et alia quae subduntur similia quoque in aliis libris permulta. Sed haec hactenus, suis enim locis alia citabuntur. Quod nunc ad rem attinet, iam liquido constat non communia et idem tantum, sed diversum ac propria de Trinitatis personis duabus a Platone esse tractata, tertiam vero quamquam in Symposio obscurius invenire, per duas tamen superiores demonstrare possumus, ut suo dicetur loco. Ecce Academiae vires; ecce cur Plato divinus appelletur: quod eius philosophia a sensu terraque se recipiens abditum ac penitissimum divinitatis sinum penetraverit. At dices, Fides est substantia sperandarum rerum; quomodo itaque per philosophiam? Sed alii articuli fidei, nonnulli etiam a philosophis comprobantur, ut Deus esse unum. Nec omnem philosophiam accusat aut explodit Apostolus, sed, ut eius utar verbis, eam damnat, quae nos decipit per elementa mundi, hoc est, ex iis, quae sensu percipiuntur, non de philosophia quam Dei optimi oracula confirmarint. Sed Patrem nemo novit nisi Filius, et cui voluerit Filius revelare. Atqui id Paulus interpretatur et ait, de Graecis philosophis loquens, quod Deus illis revelaverit. Quare a vero non aberat, quod etiam philosophis revelarit Deus, iis praecipue quorum philosophia oraculorum scientiae non repugnet. Quo secumque tamen res modo habeatur, Trinitas, quae in Aristotelis doctrina apparet nulla, ita in Platonis Academia fulget, ut ad eam in terris cognoscendam nihil fere desiderari possit. Sed quoniam loca omnia numerare longum esset, ubi Plato de iis disserit, idcirco ad praesens iis, quae memorata sunt, contenti erimus.

---

3 Filius est *ac. tr. N2* 4 generatione] genere *V H*; gre *N1 A* | in visibili] invisibili *N1* | si] sibi *A* 7 permulta] per multa *N1 A* 17 Apostolus] Paulus *add. V H* 18 quae] quam *ac. V*; quod *H* 19 percipitur *pc. N1* 21 atque *A* 22 revelaverit *N1 N2 V A*; revelaret *Gionta* (1986) 23 revelarit] revelavit *Gionta* 24 repugnet] refugiet *corr. A* 25 habeat *N2* | Aristotelis] est *ac. add. V*

14–15 Fides … rerum] Hbr. 11.1 17–18 Nec … mundi] Coloss. 2. 8 20–21 Patrem … revelare] Mt. 11.27 21–22 Paulus … revelaverit] Rom. 1.19–20

Naturaliter divinae personae intelligi possunt

At vero dubitare quis merito poterit, cognosci ne Trinitas natura duce possit. Nam cum e tot veterum scholis sectisque duplex nostra aetate supersit philosophia, Aristotelis videlicet et Platonis, altera divinam generationem non cernat, altera et cernat et doceat. Utrumque probabile verisimileque videbitur, et quod natura duce cognoscatur ea generatio, quia alicuius philosophi disciplina illam demonstret, et contra quod natura duce cognosci non possit, quando Peripateticus, qui naturam sequitur, illam non attingit, quodque etiam tanta intelligentia tribui naturae non possit, multis posset defendi rationibus. Nam si qui a natura non discedunt, a principiis, quae sensu comprehenduntur, non discedunt. At ista contemplatio longe a sensu abest, nec sensibus ministris exoritur. Quare non erit tribuenda naturae. Nec Plato naturae rationem sequi dicitur, quippe qui idcirco divinus habeatur, quod sensum reliquens disputet de divinis. Sacra etiam Mosis volumina vidisse in Aegypto putatus est, quod statuere non oportuisset, si nosse divina ostendente natura potuisset. Sunt praeterea omnes huic sententiae adversarii, tam philosophi, quam sacrarum disciplinarum auctores. Illi enim nihil natura duce cognosci volunt, quod sensus rationem effugiat. Ii vero divinas intelligentias sola statuunt fide comprehendi. Quamvis tamen ita se haec habeant, nihilominus non absurde defendet, qui divinam generationem humanae mentis acie, duce natura, magna ex parte cognosci posse defendet. Naturae enim contemplatores philosophi sunt, quare quae illi contemplantur, naturae auxilio contemplantur. Quod si, ut Peripatetico placet, id quod ens atque intelligibile aequalia sunt, cum iam constet genituram illam esse, intelligi etiam oportebit. Nec solvis, si dicas ab iis intelligi, qui divinam essentiam intueantur, nam non ita Peripateticus capit. Intelligibile enim, quod sequitur id quod est, non ideo dicitur, quod a diis intelligatur, sed a nobis, sensu ratiocinioque utentibus. Nec deest similitudo imagoque illius. Omnia enim, quorum imagines habemus, natura cognosci possunt. Trinitatis autem imago in nobis verissima, quantum in humana anima reperiri potest. Nec obstat quod imago haec perfecta non sit. Nam quamvis vita, scientia, et alia id genus, imperfecta in nobis sint, per ea tamen non minus Dei vitam scientiamque cognoscimus. Nec sacrorum

---

1 Naturaliter] si *add. N1* | Naturaliter … possunt] *in marg. V* 3 e] he *A* 8 naturam] nostram *A* 9 quandoque *A* 9–10 naturae *om. V H*; naturae //// *N1* 26 solvit *V H* 27 capit Peripateticus *tr. V H* | capit *sl. N2* | intelligile *H* 29 similitudo] sensu *eras. A*

auctorum testimonia desunt, quae idem testentur. Nam ut Apostolus ait, Per ea quae facta sunt divina conspiciuntur. Quod si de generatione id dici negaveris, magnus Augustinus, parens meus, in eo libro, qui de divina Civitate inscribitur, cum quaesisset, unde nosse haec potuisset Plato, cum multa narrasset, illud etiam posuit, quod ex iis quae facta sunt, haec nosse potuit, quod utique dici a tanto viro non debuit, nisi et verum esse potuisset. Sed alio loco in Confessionum libro, longe id clarius ostendit, ubi non demonstrari posse ratione; sed iam demonstratam fuisse ait divinam generationem, seque rationes vidisse illam manifestissime demonstrantes. Quamobrem et ratione et testimonio constat, recte sentire eos, qui non fide tantum, sed etiam ratione cognosci posse personas divinas. Non tamen mirum esse, permultos fuisse, quibus id verum visum non sit. Nam cum post Augustinum alii ferme omnes, qui divina aggressi sunt, cum solum Aristotelem inter philosophos viderint, facile adducti sunt, ut quod ab Aristotele tractatum non est, tractari id a nemine posse crederent. Augustinus vero cum utramque vidisset philosophiam, ultra omnes mortales habet, ut ea de re sententiam ferat, audiendusque minime sit, si quis tanto viro inferior illius sententiae non accedat. Quod si dixeris, ideo rationes humanas ad id non assurgere, quod ab eruditis hominibus solvi possint, hoc minime procedit. Nam sicut falsissima a nonnullis confirmata fuere argumentationibus, ita si hostem inveniant, poterunt etiam verissima oppugnari. Innumerabiles enim opiniones sunt, quae cum adversaria digladiantur, neutra tamen non invenit unde et sua confirmet et pariter evertat aliena, quamvis altera vel vera vel necessaria ponat, alteri tamen non deest unde fulciat sese ac proinde aliena debilitet. Nec ulla in naturae rebus demonstratio fit, in iis praecipue, quae a sensu remota sunt, quin labefactari aliquo pacto ab adversario possit, cum erudito homini facillimum sit, cuivis contradicere, nec ideo prima scientiarum initia non necessaria sunt, quia ab aliquibus negata sunt, teste Aristotele libro Metaphysices quarto. Testimonia piget colligere, et Platonis, et imprimis Trismegisti, qui apertissime Verbum Patris nominat, veteris etiam theologiae, quae Iovem Minervam de cerebro natam dicit, quod apertissime intelligendi partum signifi-

1 desunt testimonia *tr. V H*; testimonio desunt *A* 2 si *sl. H* 4 cum *in marg. A* 4–5 Plato potuisset *tr. V* 5 illud] quod *praem. A* 9 ait *sl. V* 11–12 divinas personas *tr. V H* 17 ea … re] eadem re *A* 25 fulgeat *ac. A* 28 cuivis] cuius *A*

1–2 Apostolus … conspiciuntur] Rom. 1.20 3–7 magnus … potuisset] Civ. Dei 8.11 7–9 alio … vidisse] Conf. 7.9.13

cat. Addunt sapientiae Minervae Veneris amorem, quae rem divinam vel caecis ostendunt. Quid Parcas numerem, eo numero, rebus naturaeque praefectas, quarum nomina in vestigio interpretanda relinquimus. Non itaque quia haec Aristoteles non praecipit, idcirco non cognoscentur, a quo ut falsa pleraque approbata, ita etiam et vera omissa sunt. Neque principia prima relinqui necesse est, licet nonulla relinquantur, quae nec prima, nec vera inveniuntur. Plato vero divinus iure visus est antiquis, non quod rationem sequutus non sit, quam quod hactenus illi haerendum esse duxerit, quatenus sit a divinis oraculis confirmata. Mosis vero volumina vidisse et Augustinus et temporis ratio negare videntur, cum nondum Ptolemaeus ille regnasset, qui Hebrea ab interpretibus traduci iusserit. Sed etiamsi vidisset, nihil prohibet oraculis sacris primo excitantibus, ratione etiam usum fuisse. Nam et in Timaeo oraculis se adhaesurum fatetur, cum tamen eodem in loco dicat, probabili se uti ratione. Testes denique, qui citantur, non convincunt. Nam neque philosophi ita sentiunt omnes. Plato enim, qui philosophus semper est habitus, aut solus aut certe maximus, in Epinomide non multis sensibus scientiam fieri, sed a Deo mortalibus tribui scriptum reliquit. Eandem tamen etiam a sensu oriri non negat, tum pluribus in locis tum praecipue libro septimo de Republica, ubi duos commendat sensus, obtutum atque auditum, ut geminos divinarum rerum vestigatores. Non omnes itaque philosophi sententiam hanc oppugnant, nec etiam (ut ostendimus) sacri scriptores omnes, cum Augustinus hoc statuat, cui partes inter eos primae tributae sunt. Quod etiamsi sine Deo sciri divina non possunt, ut sine sole aut sine luce colores, ut Platoni placet, ideo tamen natura cognosci dicimus, quod ea homini a natura potestas data est, ut si ad divina investiganda nitatur, agatque quicquid in se est, studio ac vitae cognatione, ut in Epistola docuit Plato, divinum illi lumen deesse non potest, ut hominis generatio naturae tribuitur, quanquam a Deo anima creatur.

---

18 a Deo] ab eo *A* 18–19 a sensu] assensu *A* 29 creatur] *ac. iter. A*

13–14 Timaeo … fatetur] Tim. 193 *MSS* 17–18 Epinomide … scriptum] Epin. 30 *MSS* 19–20 libro … auditum] 7 Reip. 26 *MSS* 24–25 ut … placet] Tim. 106 *MSS* 27–28 agatque … Plato] Epist. 7.21 *MSS*

13–14 in … ratione] Ti. 71e 17–18 in … reliquit] Epin. 978a 27–29 in … creatur] Ep. 7 343e

DISTINCTIO III

45. *Vestigium divinum in humanis est. Vestigatio et venatio*

Vestigium divinum in humanis factisque rebus apparere fama est; dubitari itaque non absurde potest, an ita res se habeat, quod in genitis a Deo rebus divinum vestigium inveniri possit. Nam quo pacto vestigium Deus habeat ullum, cum signum a corpore pedibusque derelictum vestigium sit, Deus autem nec corpus nec pedes omnino habeat? Quae etiam vestigia relinquunt, vestigari per illa possunt; Deus investigari non potest (ut Apostolus ait). Non igitur vestigia ei tribui possunt. Sed et Theologi ex vestigio divino arcana divinarum rerum ostendunt, et Plato in Civili per vestigia, praecipit peragendum ac contemplandum. Quamobrem vestigium non tollendum a rebus, sed potius videtur disquirendum in rebus, cum vestigium Dei non proprie sed ex metaphora et similitudine sumptum sit. Simile autem alicui non omnino dicendum est aliquid ob exilem aliquam similitudinem, quia nihil est, quod alicui modo aliquo simile non sit, sed ea apte similia dicenda sunt, ut in Protagora Platoni placet, quae in multis conveniunt. Et quoniam qui transferunt, ex aliqua similitudine transferunt, ut sexto Topicorum libro scriptum est, idcirco si quas similitudines atque affectiones inter proprium vestigium, ac pedem eius causam inveniemus, easdemque inter mundum creatum et creantem Deum esse ostendemus, iam divinum vestigium demonstratum erit. Primo quidem quarto de Republica libro vestigii nomen a Plato usurpatum est, pro aliqua rei similitudine. Est enim vestigium pedi calcanti magnitudine et lineatione persimile; cumque sit in Parmenide

---

11 pergendum *N1 N2 A* 16 apte] capte *ac. A* 20 creantem *corr. A* 21 ostendimus *A*

5 1 *N1 N2 A* 7 2 *N1 N2 A* 11 Civili … contemplandum] Civ. 61 *MSS* 16 sed … Protagora] Protag. 23 *MSS* 22 Ratio prima *MSS* 22–23 quarto … similitudine] 4 Reip. 31 *MSS* 24–118.1 Parmenide … participare] Parm. 7.8 *MSS*

8–9 Deus … ait] Rom. 11.33 9–10 et … ostendunt *cf.* Thom. Aq. Summa Theo. Prima pars, q. 46 art. 2 10–11 Plato … contemplandum] Plt. 266b 16–17 ut … placet] Prt. 323c 18 ut … est] vid. Top. 2.10 114b 25 22–23 quarto … est] R. 4 443c 24–118.1 in … participare] Prm. 129b

scriptum, omnia unum participare; unum autem vocat Deum, a quo omnia manasse in Sophista docet. Quare omnia et Deo sunt in participatione similia, et divina vestigia dici volunt. Est praeterea vestigium in materia, quae formarum recipiendarum potentiam habet. Non enim in marmore aut ferro, sed in pulvere ac luto mollique materia facile apparet. Ita Plato silvam quadam statuit, quam primum informeque subiectum, formam omnem potentia complectens, veluti gravidam ac praegnantem matrem in Timaeo vocat. Haec cum ex se maxime a primo et pulchro distet, per formas, quas recipit, primum pulchrumque participat ut qui a tenebris prodiens lucem versus se recipit. Et cum formae omnes, ex quibus constat mundus, imitationes quaedam similitudinesque divinae in materia iacentes sint, veluti similitudo pedis in pulvere, non ab re vestigium divinum illa divinae lucis imitatio nominabitur, de qua quidem imitatione, multa in Sophista, multa decimo de Republica libro, multa secundo Legum volumine Plato disserit. Deinde, quoniam vestigia faciunt, uti auctorem quaerendo inveniamus, eumque per illa veluti per manifesta indicia quaeritemus. Hinc ipsa quaeritatio vestigatio ac qui quaeritant vestigare dicuntur, quasi latentem vestigiis indagare. Quare in Civili Plato vestigium nos vestigare ait, cum rei, quam exploramus, similitudinem quaerimus. Quonam vero pacto vestigatio instruenda sit, late in Philebo disseruit. Ille igitur vestigia habet, qui aliquorum est auctor, per quae postea vestigari potest. Sed horum omnium Deus auctor est, atque per ea vestigari non solum potest, sed etiam solet. Habet itaque in his ipsis rebus vestigia. Nonnumquam vero vestigia ita latitant, ut ad ea vestiganda humani vis ingenii non attingat. Quam ob rem aliunde opem petimus, canesque sagacesque adducimus, ut eorum auxilio praeda potiamur. Atqui quaedam de Deo venamur ex naturis rerum, quae natura duce numquam assequeremur, nisi dialecticae demonstrationibus, quasi

---

2 et Deo sunt] ex Deo sunt *V*; sunt ex Deo *H* 5 aut] sed *ac. praem.N1* | facile] paret *eras. A* 8 matrem] *in ras. V* 10 lucem] ducem *A* | formae] conformae *A* 11 divinae] sint *ac. add. N2*; lucis imitatio nominabitur *ac. praem.H* 23 atque … solet *in marg. V* 24 his *om. V*; iis *A*; ipsis *H* 26 petimus] dedimus *A* 27 Deo] Deus *eras. N1* | ex] et *praem.A* 28 dialectica *A*

1–2 unum … docet] Sophista 93 *MSS* 3 Ratio secunda *MSS* 13–14 de … Sophista] Sophista 92 *N1 V A H* 14 multa … Republica] 10 Reip. 4.10 *N1 V*; 10 de Rep. 4.ii *A* 15 multa … Legum] 2 Leg. 19 *N1 V A H* | Ratio tertia *MSS* 19 Civili … ait] Civil. 51 *MSS* 20–21 Quonam … disseruit] Phil. 15 *MSS* 24 Nonnumquam] ratio quarta *N2 V A H*

1–2 unum … docet] Sph. 265c 6–8 Plato … vocat] Ti. 50d 14 in … Sophista] Sph. 219, 234a, 265a | decimo … libro] R. 10 595 15 multa … disserit] Lg. 2 655d, 2 667d 20–21 Quonam … disseruit] Phlb. 18e

canibus, et philosophiae studiis, quasi retibus uteremur. Sed canes nonnisi per vestigia certaque indicia vel pedum vel odoris latentem vestigant praedam. Quare in hac silva et materia vestigia divina caelata sunt, quae cum rationibus animadvertamus consideremusque divinae lucis latibula venamur. Hoc tertio de Legibus volumine innuebat Plato, cum musicas harmonias, sagacium canum more, vestigare oportere praeciperet. Quo fit ut et materiam, silvam, et contemplationem rerum, quae in materia sunt, venationem appellet quam saepissime. Quod quidem nomen et passim et praecipue in Sophista usurpavit. Est quoque vestigium effectum quoddam auctori quodam modo simile; cumque cognoscendi ratio et per effecta et per similitudines fiat, atque iis quasi vestigiis ad Deum inveniendum annitamur; vestigia igitur divina in rebus inveniemus. Hinc motus Plato in Phaedone, vestigationis humanae definitionem ita posuit, quae ex fine conflata est, quod vestigatio venatioque est contemplatio, quae a corporibus sensilibusque ad incorpoream ducit essentiam. Is enim finis est philosophiae, ut ad aurum lucemque divinam intelligendam perveniamus per sensilium silvaeque contemplationem, veluti per ea, quae animae humanae accommodata sint media. Tenent media omnia silvae, Platonicus vates ait, quasi vestigia divina in silva et sensibus poneret, per quae divinum vestigandum sit aurum. Actio quoque omnis, quae in agente non perstat, ut scientia, sed in externam transit materiam, ut artis opus vestigia in re illa relinquit, quam excolendam susceperit, ut pictura in tabula, in marmore caelatura, cultura in agris, in aedificiis architectura, ut denique pes in pulvere. At hanc actionem habet Deus, cum mundum hunc extrarium ac secundum archetypo divinoque similem condidit. Quare et ipse totus Dei vestigium, et omnia quae ab illo contenta sunt, vestigia divina vocanda sunt. Haec autem Platonem moverunt, ut in Timaeo mundum divinam appellaret imaginem, quem in externa materia ab idea mundoque intelligibili atque aureo, qui idem

---

7 et silvam *tr. N2* | contemplationes *V A H* 15 sensilibusque] sensibusque *ac. N1 A*; sensibilibusque *V H* 17 sensibilium *V H* 23 in … caelatura] caelatura in marmore *tr.V H* 24 At] ad *ac. A*; ut *H* | habet] *eras. A* 29 atque aureo] divinoque auro *V H*

5–7 tertio … praeciperet] 3 Leg. 4 *N1 V A H* 8–9 Quod … usurpavit] Sophista 6.7 *MSS* 9 Ratio quinta *MSS* 13–14 Hinc … posuit] Phaed. 12 *N1 V A H* 18–19 Tenent … silvae] Virg. *N1 V A H* 20 Ratio sexta *MSS* 28 Timaeo … imaginem] Tim. 250 *MSS*

5–7 tertio … praeciperet] Lg. 3 700c 8–9 Quod … usurpavit] Sph. 219c 13–16 Plato … essentiam] Phd. 65a 18–19 Tenent … ait] Aen. 6.130 27–28 … appellaret] Ti. 37d

cum Deo, a Deo factum superius dixerat. Facit etiam vestigium id, quod umbra facit; sequitur enim id pedem in tenui, ut hoc corpus in luce. Sed umbra lineamenta ostendit, non colores; quod et vestigium facit. Quo fit, ut ipsa etiam umbra, vestigium quoddam corporis nominari possit. Cum vero septimo de Republica Plato sensilia omnia umbras esse dicat mundi verioris, in Philebo etiam tres statuat causas, Infinitatem interminatamque materiam terminum formae, atque Ideam ac Sapientiam, quae umbram imprimens facit omnia. Quare et vestigia divina accommodatissimo nomine nuncupabuntur. Verum enimvero animadvertendum est, quod in Epistolis Plato scriptum reliquit, qui nisi accuratissime legatur parum sibi constare putabitur. Nunc enim scientiam divinarum rerum praedicat et docet, nunc illam nullam dicit, atque tollit omnino. Quae ita salvari debent. Si quod supra docuimus ex Parmenide in memoriam reducamus de eodem et diverso, hoc est, per communia ac per propria, scientiam de Deo ex vestigio haberi per communia affirmat, per propria negat. Nam vestigia atque umbra non omnino confusum genus animalis, neque prorsus Caesarem aut Pompeium, sed mediam speciem ostendit intuenti. Nam qui vestigia aut umbras aspicit, non Caesar ne an Pompeius sit, neque rursus tantum quod animal, sed et quod homo sit animadvertit. Eodem ferme pacto per divinum vestigium, media quadam cognitione divina cognoscimus. Nam ut in Caesare quaedam sunt generis, quod animal vivensque sit, atque quod gradiatur, quaedam sunt speciei, quod ratione, quod prudentia, quod providentia, quod virtute vigeat. Quaedam personae sunt quod Gallos ita domuerit, quod primus senatum sustulerit, quod Pompeium devicerit, quod dictator perpetuus, primus imperium arripuerit. Est praeterea vultus ille, ille color, ea forma, quae ita Caesaris, quod alterius hominis non erat, qui umbram vestigiumque spectaverit, nec tantum animal sentiet, quod confusum maxime, ac remotum est, nec Caesarem agnoscet, quod maxime proprium est, sed medium cogitabit, dicetque hominis esse, vel umbram vel vestigium. Ita in Trinitate divina quaedam admodum communia sunt, ut essentia, ut divinitas, quaedam omnino propria, ut Patris,

---

1 etiam] esse *corr. in marg. N1* 2 id *sl. V* | pedem] id *add. eras. V* | haec *A* 5 sensibilia *V A H* 7 sapientia *N1* 8 umbra *H* | et *om. A* 8–9 commodatissimo *A* 11 Nunc] nec *A* 13 debent] debet *A* 19 sit] animadvertit *ac. N2* 22 animali *A* 27 ille *om. A* 28 animali *N1 A* 31 divina *om. H* | quaedam admodum] quemadmodum *V* (*pc.*) *H* 32 ut] et *V H*

1 Ratio septima *N1 N2 V H* 9 Ratio octava *MSS*

5–6 septimo … verioris] R. 7 515a 6–8 in … omnia] Phlb. 27b

ut Filii proprium, quod est ad aliquid, id quo Parens Filium gignit, hoc quo Filius gignitur a Parente. Quaedam medio se habent modo, ut potestas, ut sapientia, ut bonitas, quae non confusa prorsus, neque omnino propria, sed accommodata nominantur. Quod si vestigium atque umbra in mediam notitiam nos ducit, atque ita ad divina cognoscenda per res humanas ductamur, necessaria ratione divinum vestigium in rebus reperitur humanis. Quod quidem si quis non conniventibus oculis exploraverit, etiam in eo ipso divina contemplabitur. Quare de Republica libro secundo Plato ait, cum de vestigatione loqueretur, acute cernentis ingenii esse opus, quod et Maro Latinum fecit, ait enim, Ergo alte vestigia oculis. Alte autem is vestigat, qui nec sola essentia nec humanis est viribus contentus, sed amore ac divina adiutus Venere per Sybillinae ducis oracula, aureum legit ramum. Arborem namque universum non hic legit, sed in coelestibus postea agnoscit Elysiis. Contra is non alte vestigat, qui nec oracula admittit, nec maternas agnoscit aves, nec quicquam nisi quasdam essentiae affectiones sub luce maligna contemplari potest. Corpus vero habere Deum oporteret, si proprium vestigium haberet. Sed id similitudinibus quibusdam non plane paucis ita nominari exposuimus. Vestigari autem posse Deum negat Plato et negat Apostolus, vel de omnimoda comprehensione, qua se ipse intelligit solus, aut de distincta atque absoluta Trinitatis cognitione loquuti sunt, qua venari ac vestigare divina non possumus, hoc est, per umbras, vestigiaque assequi non omnino possumus. Nam quinto libro de Republica dixerat, se iam Boni vestigia invenisse, cuius postea in sexto, non modo vestigia, quam etiam adinvenit imaginem. Aliae permultae rationes occurrunt ex iis locis, ubi de vestigatione venationeque tractavit Plato. Sed haec nunc sufficiant, quarum prima ex similitudine, secunda ex imitatione, tertia ex notitia, quarta ex latitatione, quinta ex causa, sexta ex actione, septima ex consequenti et impressione, octava ex modo. Nova posset ex participatione, ut calor, qui est per se in igne, participatione in cinere remanet quasi ignis vestigium.

---

1 ad *om. V H* | Parens] per *corr. in marg. N1* | gignit Filium *tr. H* 12 ducis] lucis *N2* 13 non legit hic *tr. V H*; nonnihil legit *A* 14 Contra] autem *ac. N2*

9–10 secundo … opus] 2 Reip. 30 *MSS* 10–11 Maro … oculis] Virg. *N1 V A H* 16 Solutio prima *N1 V A H* 18–19 Solutio secunda *N1 V A H* 23–24 quinto … invenisse] 5 Reip 24 *MSS* 24–25 sexto … imaginem] 6 Reip. 36.24 *N1 V A H*

10–11 Maro … oculis] Aen. 6.145 15 oracula … aves] Aen. 6.193 23–24 quinto … invenisse] R. 5 452e, 479e 24–26 in … Plato] R. 6 508e

Ita eius, quod per se bonum, ac Bonum ipsum Plato vocat sexto de Republica et in Philebo, vestigium in rebus bonitas participata nominanda est. Haec sunt quae quinto de Republica libro invenisse gloriabatur, Boni scilicet Deique vestigia. Qua quidem venatione eum qui bene riteque utatur, beatum faciebat Euthydemus. Male venatione utuntur, qui vel non integram capiunt, vel captam minime coquunt, sed aliis dant coquendam, qui totum non rite recipiunt Deum, hoc est, unam essentiam ac personas tres, atque eo, quod capiunt, ne fruuntur quidem. Quare nec intellectus rite reperit, nec voluntas pietate prosequitur, quae quidem duo vestiganti a Sybilla praecipiuntur, Et rite repertum, carpe manu, quorum alterum sapientiam, alterum pietatem significat.

46. *Vestigium habet partes tres. Montes Gigantum. Platonis Aristotelisque concordia*

Necessaria est homini haec venatio, ut Philebus ait, ut animus qui carcere caeco clausus longa potavit oblivia, id quod ex decimo de Republica transtulit Maro, amissae tandem intelligentiae reminiscatur si Phaedonem audias, vel si communis sententia magis placet, ut nuda caecaque ex se ipsa mens inscientiam pellat, lucem adipiscatur. Sed ne id quidem sat est. Nam non solum venari sed et bene venari opus est, ut Laches ait, quod quidem tunc facimus, cum silvam ingressi, ac subiectum explorandum nacti non sub umbra segnes quiescimus quam primum, sed sursum deorsumque percurrentes, omnia accuratissime perlustramus, hoc est, partes omnes atque omnia elementa animadvertimus, ut iubet Theaetetus. Quare cum de silvae vestigiis sermo institutus sit, ne mali venato-

---

3 quae] quod *N1 V A* 4 utatur] -tur *in marg. N2* 7 est *sl. N1* 8 treis *N1 V* | atque] id *praem.ac. N1* 9 reperit rite *tr. H*; ita reperit rite *V*; 13 concordia *om. A* cōcord[a] *V*; concordantia *H* 18 id *sl. N2* 20–21 explorandi *N2* 23 uti *V*

1–2 eius … Republica] 6 Reip. 36.24 *N1 V A H* 2 Philebo] Phil. 23 *N1 V A H* 3–4 Haec … vestigia] 5 Reip. 24 *MSS* 4–5 Qua … Euthydemus] Euthd. *V MSS* 8–10 nec … praecipiuntur] Virg. *N1 V A* 14 Necessaria … Philebus] Phil. 23 *MSS* 14–15 animus … Republica] *N1* Reip. 49 *MSS* 16–17 si Phaedonem audias] Phaed. 22.24.25 *MSS* 19 non … Laches] Laches 22 *MSS* 23–24 partes … Theaetetus] Th. 139 *MSS*

1–2 Bonum … Republica] R. 6 505d 2 in … Philebo] Phlb. 20b 4–5 Qua … Euthydemus] Euthd. 290b 10 a … praecipiuntur] Aen. 6.145–146 14 Necessaria … ait] Phlb. 62b 14–15 animus … Republica] R. 10 621c 15–16 id … Maro] Aen. 6.705 16–17 amissae … audias] Phd. 114d 19 non … ait] La. 179d 23–24 partes … Theaetetus] Tht. 198e

res habeamur, vestigii nobis vestigandae sunt partes, per quae divinae Trinitatis praedam venatio reportet humana. Vestigium vero impressae umbrae comparatum est, ut ex Philebo meminimus. Umbrae tot e corpore imprimuntur humi, quot lumina feruntur in corpus. Sed lumina formae ideaeque divinae umbram imprimentes in silva multae sunt, numeris naturisque non pauciores; quare et paene innumerabiles partes vestigii credi possent. Contra, si vestigium idea non est, sed extra ideam iacet, quidquid aut extra ideam iacet, aut umbra ideae est et forma, aut umbrae subiectum ac materia, quae et in Timaeo parens et proles, in Philebo infinitum et terminus nominantur, potestas atque actus. Quare cum duo tantum sint, extra ideam duae tamen videbuntur vestigii partes esse. Sane Parmenides omnia quae ab uno manarunt habere testatur principium, medium, finem, ut partes priores, quibus quidem vestigii partes significatae sunt, per quas ad unitatem rerum omnium fontem omnia referuntur. Nam et in Timaeo, auctorem ad ideam respexisse ait Plato in orbis genitura, atque eodem libro causam reddens, cur ille orbem condiderit, quia bonus, inquit. Quibus quidem verbis cum auctorem, cum ideam, cum bonum nominat, tria causarum genera demonstravit, quas Deo tribuimus, quod efficiens, quod forma atque exemplar, quod bonum finisque sit. Materia autem, subiectum ac potentia, procul a Deo est. Nam libro Metaphysices decimo nonnisi triplex causae genus Deo tribus posse dicit Averroes. Nec materia cum tribus aliis causis conspirare possit, ut libro secundo de Physica auscultatione scriptum est. Hoc igitur modo ad divina se suspicienda erigit mens humana. Videt se genitam. Habet igitur patrem, qui ab alio non genitus est patre. Videt se forma et pulchritudine praeditam, formis aliorum animalium elegantiore. Sentit aliam artem omniformem habere in se patrem. Unde ex diversa ratione diversa in hac silva excudat; atque ita verbum et sapientiam artemque patris advertit, per quod ut per exemplar fiant omnia. Videt denique se atque omnia Bonum ipsum, ut rerum scopon finemque appetentem. Quare aliquid in Deo esse sentit, cui boni ratio accommodari possit. Atque hoc

1 quae per *tr. A* 4 humi *in marg. N1* 6 penes *V* 8 ideae] et *praem. A* 10 nominantur] terminantur *A* 11 sit *A* 22 aliis *om. V H* | causis *in ras. V* 25 non *sl. N2* 29 per *in marg. N1* 30 scopum *A*

2–3 Vestigium … Philebo] Phil. 47 *MSS* 9 materia … proles] Tim. *N1 V A* 9–10 in … nominantur] Phil. *N1 V A* 12 Parmenides … principium] Parmen. 74 *MSS* 15–16 Timaeo … genitura] Tim. *N1 V A*

2–3 Vestigium … meminimus] Phlb. 16e 9 in Timaeo] Ti. 42e | in Philebo] Phlb. 17a 12–15 Parmenides … referuntur] Prm. 141e 15–17 in … bonus] Ti. 30a 22–23 Nec … Physica] Ph. 2.7 198a

pacto anima procul a Parente exul in hac exilii silva vestigia parentis insequitur, pulchri radios agnoscit, Boni ad contemplationem et suspirat et gaudet. Hae partes a Platone distinctae sunt, ex principio, medio, fine, quae in rebus invenit ex auctoritate, idea, bonitate, quae suspexit in Deo. Pythagoras eandem sectatus rationem principium, medium, finemque ut Plato posuit in nobis. Itaque convenit cum Platone; in Deo an tria Platonis genera causarum collocarit, cum nihil posteritati mandarit, haud equidem affirmaverim. In Sapientiae quoque libro eadem tria nominibus diversis numerantur, cum facta dicantur omnia in numero, in pondere, in mensura. Divus etiam Augustinus libro De Trinitate sexto, unitatem, speciem ordinemque commemorat. Sed ne Aristoteles quidem eundem tacet, numerum rerum naturis insitum. Ait enim natura apta nata taliter facit, ubi natura, virtus, actio designatae sunt. Verum hoc loco neque cum Academia, neque cum senatu populoque Romano, hoc est, cum Romana et Christiana religione sentit Aristoteles, sed in physicis auctorem, in metaphysicis ac dialecticis Ideam, in ethicis denique finem et bonum humanum eripere conatur a Deo; ita ut tria haec auferat, bella in caelum moveat, ac quasi tres statuit montes, quibus ut diris machinis, divinam obsideat maiestatem. Possent tamen principes philosophi conciliari; et quamquam latius, ubi de creatione, de ideis, de finibus bonorum disputabitur, quaerenda ac demonstranda haec sint. Nunc sat sit dicere, Aristotelem humanam, Platonem divinam sectatum fuisse rationem. Quae quidem non mihi sed ipsis auctoribus testibus credi debent. Ille in Posterioribus nihil in sua philosophia quaerendum monet, quod a sensibus ut a primis praeceptoribus non ducat originem; hic vero contra nihil omnino fidei, sensui se, aut etiam rationi adhibiturum spondet, nisi quod affirmantibus oraculis comprobetur. Quod si contradictio non nisi eiusdem sit, hi non eiusdem generis rationem sequuntur. Quare neque omnino inter se pugnare existimandi sunt, qui ut non omnino idem dicere, ita non omnino diversa sentire putari volunt, ut Boethius, ut Alexander, ut alii plerique crediderunt scriptitaveruntque. Montes vero

7 collocavit *A* 10 Augustinus] pater *praem. V H* 11 nec *V H*; ut *A* | quidem *om. V H* 15 religione] non *ac. N1* 17 Deo] ab eo *A* 18 movet *corr. N1* 19 obsideat divinam *tr. A* 21 Nunc] nec *V H*; naturae *A* 25 ducit *pc. V* 25–26 contra] cum *ac. praem. N2*; cum *H* 26 se *om. V H* | aut] hau *A* | etiam] esse *corr. in marg. N1* 29 inter se omnino pugnare *tr. H*; omnino inter se opugnare *A*; 31 scriptitaveruntque *om. N2*

8–10 In … mensura] Sap. 11.20 10–11 Divus … commemorat] de Trin. 6.10.12 24–27 Ille … comprobetur] APo. 1.18 81b 31–125.1 Montes … utar] Ps. 103 (104).32

illos tangit Deus et fumigant (ut Psalmi verbis utar). Igne enim divini spiritus coruscante, montes, quasi furtivum atque adulterinum argentum, dissipati sunt, atque in fumum evanuerunt. Quod dicebatur, plures esse formas, omnia ad haec tria referuntur. Quod vero de duobus, quae essentiam substantiam constituunt, nos illa etiam numeramus, quae constitutam substantiam sequuntur.

47. *Vestigii partes, quae ab antiqua theologia et ab aliis nomina sortitae sunt. Ubi de tribus Parcis*

At vero ea quae alii ponunt pro vestigii partibus, iis aptari possunt. Nam Dominus in Evangelio ait, "Ego sum via, veritas, et vita." Via agendi potestas, ut cum dicitur, "initio viarum suarum" hoc est, actionum. Si via actio, et actio Patri datur; via itaque est Patris potestas. Veritas vero Filii persona, quae est ars patris, ubi omnes thesauri idearum sunt, verarumque formarum, nullius extrarii confusione concretarum. Vita autem beata significatur, quae voluntatem atque amorem explet, qui spiritui sancto tribuendus est. Quare Filius Dei, ut se Deum ostenderet, eius cum aliis personis duabus, et essentiae et naturae, "Sum," inquit, "via, veritas, et vita," quasi diceret, est mihi Patris omnipotentia, Filii veritas et sapientia, bonitas Sancti Spiritus, quam omnes appetunt, ut beatae vitae finem atque obiectum. Ac cum haec essentiam sequantur, cum haec numerat, non aliud demonstrat, nisi divinam sibi inesse naturam, complectentem haec tria. Quae etiam personis tribus concinnantur, via atque efficiens Patri, veritas et exemplar Filio, vita beata finisque bonorum Spiritui. Ita Trismegisti numeratio, unum, verum, bonum, quae etiam Plato longe postea latius disseruit, de uno in Parmenide, de vero in Sophista, in Philebo, in septimo de Republica libro, de bono in Philebo et sexto de Republica. Nam unum in divina natura est unde manant omnia, ipsum a nullo manat. Verum est exemplar quod imitantur quaecumque foras manant. Est bonum, quo alliciuntur omnia, ut quoad eius fieri potest, in eundem redeant fontem, unde manant. Haec eadem suo modo nobis insunt. Nam unumquodque primo quidem est unum, cum esse ab

---

5 etiam illa *tr. V H*; illam etiam *ac. N1*; illas etiam *A* 8 sortita *V H* 9 vestigiis *A* 13 ars] *MSS* (= arx? cf. Coloss. 2.3) 20 atque] et *V H* | essentia *A* 25 de] ut *praem. N2* 27 natura *sl. N1*

24 Trismegisti … bonum] Trismeg. *N1 V A*

10 in … vita] Io. 14.6 11 initio … suarum] Pro. 8.22

efficiente Patre recipit. Deinde est verum, cum formam exemplar imprimit. Est postremo bonum ex Spiritu, cum ad finem bonumque propensum fit. Atque haec tria ex Trismegisti Platonisque sententia ita consonant coaptanturque vestigio divino, antiqua etiam theologia tres Parcas statuerunt, quibus omnium rerum initium, medium finemque ascripserunt. Atqui cum rerum et mundi genitura per potestatem, gubernatio per sapientiam, perfectio per bonitatem, et Trinitati et tribus ascribant personis, cum Deum haec tria habere suspicarentur potestatem, sapientiam, bonitatem, tres in divina natura Parcas collocaverunt. Hinc nomina etiam ipsa ducta sunt. Nam Chlotho a volvendo dicta, quod volvens movensque atque efficiens potestas sit. Lachesis sortem sonat et ideam formarumque lucem, quam res postea imitantur humanae, cum inde suam quaeque speciem sortiuntur. Atropos inde immutabile bonum, quod qui videt, ad alia bona verti numquam potest. Ut autem hae tres Parcae in divinis sunt, ita plane illarum munera ac vestigia apparent in humanis. Dat unitatem et esse efficiens Chlotho. Dat exemplar et Lachesis formam. Dat Atropos finem atque inconvertibile bonum. Ita quod Augustinus meus sexto De Trinitate libro posuit, exponi vult, ut unitas sit, cum esse, uniuscuiusque species sit forma, ordo sit in finem bonumque propensio atque inclinatio. Quarto vero libro super Genesim non unitatem, sed modum primo loco posuit. Unitatem namque aut esse nihil hic habet, nisi convenientium et propriorum principiorum causarumque praecesserit modus. Ita et alia quae ab eodem libro octuaginta trium quaestionum scripta sunt, quod constat, quod discernitur, et quod congruit; esse et unitas est illa, qua constat atque existit unumquodque; forma est qua ab alio dispescitur, boni appetitus atque inclinatio in finem est, qua fini iungitur. Haud aliter accommodantur ea, quae ab aliis dicta sunt. Natura enim, virtus, et actio, quae in Aristotelem et Dyonisium referuntur, ita habent sese, quod natura est substantia ipsa una, quae esse recipit. Virtus quae a forma vim habet; actio quae finis bonique assequendi gratia ab agente instituitur cum finis bonique gratia agant omnia, ut Plato et Aristoteles volunt. Sic id quod Sapientiae liber habet, numerum, pondus, mensuram. Mensura est principiorum apta affectio, unde res unitatem

5–6 abscripserunt *V* 6 atque *V A H* 7 abscribant *V* 10 etiam] et *V H* 12 res] imitantur *ac. N1* | inde] in *V A H* 15 apparens *N1 V H*; parens *A* 21 aut] autem *ac. A* 22 convenientium *in ras. A* 25 qua] fini iungitur *ac. N2* 30 assequendi *sl. V* 31 ab … gratia *om. V H* 33 mensuram] et *praem. N2*; et mensuram *N2*

20–21 Quarto … posuit] De Gen. ad litt. 4.3.7 32–33 sic … mensuram] Sap. 11.20

ac substantiam. Numerus species est, quam forma statuit, cum species ut numeri esse et ab Aristotele et a Platone dicantur. Pondus vero propensio est in finem atque in bonum. Sed quomodo Parcae in Deo collocantur, cum causae potius dictae sint ab omnibus, quae in natura connexae, necessitate, non libertate agunt, Deus autem summa omnium libertate praeditus sit? Vera etiam religionis philosophia senatusque sacer, non moventem aliquid Deum facit, adversus Averroem atque Aristotelem, qui libro Metaphysices duodecimo nullam esse mentem sentit, quae non agitet coelum, quando illas tot esse dicat, quot agitationes conversionesque existimantur. Quare nulla Chlotho in natura divina statuenda est, multo minus Lachesis, quae a sorte obtinuit nomen, in Deo, neque fortuna invenitur. Quo fit ut ne Lachesis quidem inveniri possit. At Atropon quis Deo tribuet, cuius est truncare et auferre vitam, Deus vero Ζεύς dicitur quod vitae sit dator? Licet enim Atropos finis dicatur, finis dicitur evertens, non convertens atque alliciens, ut bonum, quem finem secundo De auditu physico defendit adversus Homerum Aristoteles. Ait denique Plato in generibus Parcae verti fusum, atque alia id genus, quae divinis rebus indignissima videantur. Sed Plato decimo de Republica libro ac Legum duodecimo has late prosequitur, ubi apparet quaedam dari Parcis, quae Dei solius sunt, ut potestas, et providentia; quaedam, quae caelestium rerum; quaedam, quae sunt etiam humanarum. Quare aliae Parcae divinae, aliae caelestes, aliae humanae dicendae sunt. Sicuti in Symposio, non unam Venerem, aut unum amorem, sed plures facit et Veneres et amores. Necessitas vero divinam libertatem non aufert, ut Spiritus Sanctus necessario manat, non tamen non libere. Moveri a Deo omnia defendimus, non ut a coniuncta mente caelum agitatur, sed ut civitas a rege administratur, quamquam et ubique et rebus insit omnibus. Sed licet nihil adeo fiat, quod fortuna ac non consulto fiat, quia tamen nos non consulto speciem formamque sortimur (non enim sapiunt qui nondum sunt) ideo exemplar, unde illas sortimur, Lachesis ab antiquis appellabatur. Alia de truncando indignisque actionibus, non de divinis, sed vel de

---

11 quae *in marg. N1* 12 ne] nec *V H* 14 dator *in marg. N1* | finis] sit *ac. N2* | dicitur *N1 V A H*; dr *abbr. N1* 23–24 Veneris *A* 25 a Deo] adeo *N1 V* 28 adeo] a Deo *V A H* 30 ideo] immo *N2*; io *N1 A*

18 decimo … Republica] 10 Reip. 38 *MSS* 19–20 Legum … providentia] 12 Leg. 25. *MSS* 22–24 Symposio … amores] Symp. *N1 V A*

7–9 Aristotelem … coelum] Metaph. 12.8 1073a 15–16 secundo … Aristoteles] Ph. 2.8 198b 18 Plato … libro] R. 10 617c 19 Legum … prosequitur] Lg. 12 960c 22–24 in … amores] Smp. 180d

caelestibus, vel de humanis Parcis intelliguntur. Hic nos divinas tamen exponimus, a quibus aliae vel in caelestibus vel in humanis rebus sumptae sunt, de quibus late dictum est in iis quae de natura tractata sunt.

48. *Vestigium in ratione carentibus. Et cur dii multi ab antiquis?*

Quae ratione carent, vestigium ne habeant divinum, videndum est. Vestigium quidem, ut supra diximus, si Caesarem personamque non indicat, naturam saltem indicat. Divina vero natura intelligentia est. Quare quae intelligentia non participant, nec naturam illam indicare, neque eius vestigium continere dicenda sunt. Accidentia etiam quae rationem non obtinent, quomodo vestigium habebunt, si ne ut subsistat per se habet quidem? Quare illud haud ratione significabit, quod maxime rerum omnium subsistit. Modus praeterea res quaedam facta est; quare si omnia in modo, in specie, in ordine facta sunt, modus modum, species speciem, ordo ordinem in infinitum habebit, et unitate erit unum, atque illa alia unitate unitas erit. Quare infinita in vestigii partibus progressio est. Quod quidem absurdum esse tertius De physico auditu liber ostendit. Ponit Plato post idem et diversum principia cognitionis, alia etiam principia quae nosse oportet, si recte nosse aliquid velimus, simile et dissimile, quies et status, et alia quae in Sophista late prosequutus est. Nam posito eodem, hoc est, genere et commune vestigiis aliisque rebus, quod est imitatio quaedam aut figura, posito diverso, hoc est, differentia, quae propriam facit definitionem vestigii, qua quidem differentia a rebus distinguitur aliis, id quod una vel pluribus fieri solet differentiis, videnda sunt postea simile et dissimile superiora ad naturam, haec vero ad qualitatem pertinent rei. Sed quoniam accidentia esse solent manifestiora naturis, ideo a simili et dissimili veluti a notioribus et facilioribus inchoamus. Hoc enim venationis est proprium, ut per inditia nota ad id quod latet ignotum, perveniatur. Simili vero ac dissimili ita utimur, ut si hominem gignentem liberos causam illorum vocamus, ita Deum mundum naturamque condentem causam etiam omnium appellamus. Simile

3 sunt] Fin. *add. A* 9 etiam] et *H* 12 modos *A* 14 in *om. A* 16 esse] est *A* 18 aliquid nosse *tr. V H* 23 fieri solet] fieri *add. A* 30 appellamus omnium *tr. A*

9 Ratio secunda *N1 N2 V A* 12 Ratio tertia *MSS*

16–17 tertius … ostendit] Ph. 3.6 206a 18–19 si … est] *e.g.*, Sph. 250a

enim in utroque est, cum gignat utrumque aliquid. Sed simile videre facillimum est; in quo postea sit dissimile, id obscurius forte est. Quam quidem differentiam cum accurate Socrates contemplaretur, idcirco bene eum venari dixit Parmenides, ac sagacem appellitavit venatorem. Nam sicut simili utrumque coniungimus, et causam utrumque nominamus, ita dissimili alterum ab altero segregamus. Si subiectum intueamur, videbimus hominem liberos e substantia sua. Deum vero naturas rerum non e substantia genuisse sua. Quare hominem liberorum patrem proprio vocabulo, Deum mundi patrem improprio nuncupabimus. Si coniunctas spectes causas, invenies patrem filios non sine matre gignere. Deus naturas creat rerum, nulla matre, nullo adhibito formarum receptaculo; quare alterum gignere, alterum creare dicendum est. Haec ideo retulimus longius fortasse, quam locus hic desiderare videretur, quod haec ad omnem venationem intelligentiae, cum praecipue per vestigia similitudinesque vestigamus a Platone posita, ut canes sagacissimi sunt, et in obscura fallacique hac silva quam maxime necessarii. Colligo itaque ex iis omnibus, contemplationem omnem simili ac dissimili uti oportere. Similitudo vero divina in rebus nonnisi imitatio quaedam est, ut in Sophista dicitur. Quare si divina imitatio est in rebus, immo formae rerum, non aliud sunt, nisi divinae et imitationes et similitudines. Quae ratione carent, cum formas habeant, etiam habebunt divinas et similitudines et imitationes; et cum vestigium similitudo sit, in illis etiam rebus, quae rationem non habent, vestigium tamen habent, hoc est, similitudinem et perfectionis imitationem. Sed quoniam quae perfectionem imitantur, perfecta sint oportet subsistendi perfectione, ideo nec accidentia nec modus vestigium habent, sed vestigii partes sunt, vel ad illas aliqua ratione referuntur. Haec enim est divina perfectio, quod quidquid in Deo est, idem quod Deus est, ab omni materia seiunctum, non in subiecto, non in vehiculo ullo delatum. Quam ob rem mota Antiquitas sapientiam, quae in Deo est, nec accidens alicui haerens putaremus, Deam esse dixit ac Pallada vocavit, essentiam Iunonem, esse Iovem, amorem Venerem, fortitudinem Martem, atque ita fere in singulis, quae omnia divinae perfectiones sunt ac Deus unus. Sed ideo plures Dii vocati sunt, non

1 cum *om. V*; *sl. N1* 2 dissimile sit *tr. A* 9 nuncupavimus *A* 12 dicendum] gignendum *A* 20 sunt] et *ac. A* 32 fere] fert *A*

3–4 idcirco … venatorem] Parm. 22 *MSS* 29 Quare plures dii? *N1 N2*

2–4 Quam … venatorem] Prm. 135e 18–19 Similitudo … dicitur] Sph. 265b

quoniam perfectiones sunt plures, idem enim etiam est in nobis, sed quoniam ita perfecte in Deo sunt, quod quaelibet est idem cum Deo et Deus, cum nulli omnino haereat subiecto. Quod quidem nullius alterius rei perfectioni convenit. Ex quo fit, ut illa perfectionem vestigii habeant, quae in eo formas imitantur, quod in subiecto non sunt, sed per se ipsa subsistunt. Quare accidentia, modus, et materia vestigium non habent, sed partes vestigii sunt. Quod ergo primo obiicitur, respondeo vestigium significare naturam, non tamen exprimere omnia, quae pertinent ad essentiam naturae. Vestigium nostrum significat quidem hominem, non tamen ex eo apparet, quod sit etiam particeps rationis. Secunda tertiaque ratio non procedit, cum imperfectus, quae per se sunt vestigium esse velit.

49. *Fines ac perfectiones sunt tres; una per se, ac duae imitantes, in quibus naturae partes vestigium conflant*

Sed quae naturae sunt vestigium perfecte exprimere non videntur. Ideo quaestio est, an aliqua vestigio carere possint. Primo quidem quoniam, ut dictum est, perfecta esse oportet quae divina imitentur. At tertium illud genus, ultimum est omnium; quare cum non sit perfectum, Deum imitari non poterit. Deinde, tam substantia sine accidente esse, quam accidens absque substantia esse potest, si accidens non imitatur, quia per se non stat, ita nec substantia, quae vacare accidente non potest, ut etiam Averroes ait. Sicut sanitas in animantibus, ita perfectio in naturis. Sed quaedam omnino de sanitate desperant, ut ipse secundo De caelo libro scribit. Ergo et perfectio in quibusdam non erit, ac ne vestigium quidem, quod idem quod perfectio est, ut supra diximus. Imitatio, ut in Sophista scribitur, duplex est, alia perfecta, altera imperfecta. Scripsit id postea latissime Averroes libro De caelo secundo ubi tres statuit fines, unum eius qui finem ex se habet, alterum eorum quae ex se quidem non habent sed studio actionibusque illum assequuntur; tertium eorum, quae finem illum nec habent nec assequuntur. Sed secundo generi, quod assequitur, haeret ac sese iungit quantum potest, Deus siquidem ex se finem habet.

---

2 quaelibet] qualem *corr. in marg. N1* 3 haereant *N1 V A H* 11 quae] iis *praem. N2* 12–13 *titulum capituli om. A; in marg. N1* 14–15 Ideo … possint *om. N1* 16 est] esse *A*

7 Solutio prima *N1 N2 V* 10 Solutio secunda, tertia *N1 N2 V* 15 Ratio prima *MSS* 18 Ratio secunda *MSS* 21 Ratio tertia *MSS* 26 De … fines] Com. 45 *N1 V A H*

Deinde quicquid rationis est particeps, finem quem ex se minime habet, actione atque intelligentia consequitur. Hoc autem genus rerum in quattuor ordines, ut ostendit Averroes, secatur. Tertium vero genus eorum est, quibus ratio concessa non est. Hoc, inquam, genus rationis expers quia primo iungi non potest, hac illi ratione iungitur, quia secundo generi iungitur, quod primo coniunctum est. Primum itaque non aliud habet quicquam quod imitari, non quod quaerere, non quod assequi possit, cum sibi ipsi sufficiat per se bonum, ut Philebo placet. Quare finem ex se habet, cum ipsum sibi sit finis, eique comparatur cui sanitas aliunde quaerenda non sit. Quippe quam in se habeat integerrimam. At ratione praedita similia sunt iis qui sanitate carent, quam exercitatione, vel ieiunio, vel etiam medicinis assequuntur. Tertium genus cui ratio denegata est, aegris illis ab Averroe ac etiam ab Aristotele videntur comparari, qui cum de integra sanitate desperaverint, ad quandam annituntur firmitudinem, quae quamquam sanitas non est, quam maxime tamen potest, propius accedit sanitati. Ita Deus per se quidem ipsum bonum est; in quo idea est boni, hoc est ex se bonum, ut Parmenides docet. Sequitur secundum genus; quod rationis est particeps, hoc bonum ipsum, ac beatam ex se non habet vitam, quae perfectio summa est, sed omnis eius perfectio est in primi similitudine et imitatione, quae si ad frugem progreditur, non solum bonum natura participat, sed etiam summum felicitate consequitur. At genus illud tertium, cui nihil est rationis inditum, summum sperare bonum non potest, bonum tamen obtinet naturae. Quae quidem imitatio quaedam primi est, et quoniam ea imitatio ad primum non pervenit, ut ad secundum modo quodam perveniat, obscura primi imitatione conatur. Secundum namque bonum natura possidet, non summum tamen, ideo tertium boni summi spe posita bono naturae contentum est. Id vero nihil est aliud, nisi expressio quaedam divinae rei, quae per vestigii partes in hoc tertio genere reperitur, eo modo, quem supra demonstravimus. Scire tamen oportet, quoniam imitatio utraque tam ratione utentium, quam carentium, non aliud est nisi divinae perfectionis participatio, ideo nonnisi perfectis, et per se subsistentibus in rebus proprie riteque reperitur. Haec autem substantiae sunt dumtaxat, non genera, non species, sed singula ipsa, quae ab Aristotele primae substantiae nominatae sunt. Haec cum perfecta ac per se subsistentia sint, unitatem habent

---

10 rationi *A* 11 iis] \/quae// *N2* 14 annituntur] admittuntur *A* 26 summum] sumunt *A* 27 bonum *A*

8 sibi … placet] Phil. 29 *MSS* 16–17 in … Parmenides] Parm. 11 *MSS*

substantiae, quae ex principiis constat, formam et speciem habent, unde proprium esse sumitur, ordinem denique habent ad propriam actionem. Ut ea agant, unde secundum vel nutriatur, vel iuvetur genus in utroque tamen genere gradus diversi reperiuntur, ut Averroes inquit. Sed satis id fuerit vestigium perfectis et per se subsistentibus reperiri. Quare nec accidentia vestigium in se habere dicenda sunt, nec substantiae partes, sed potius illa omnia in substantia sunt vestigii partes sunt, vel modi, vel formae, vel ordines, ut dulcedo, ut calor, ut materia, quae omnia ad illarum partium trium aliquam reducuntur. Materia enim modus est, et unitas nihil in se habens numerorum, et formarum, sed illarum principium receptaculumque. Perfectio enim quae in Deo est, modum mensuramque prorsus nescit, in nobis participata hunc habet modum, ut in subiecto ac materia aliqua gestanda collocetur. Quo fit, ut perfectio simplex nonnisi in Deo fulgeat, ut defaecatissimum, simplicissimum, purissimum aurum, in aliis vero omnibus numquam simplex, numquam sola, sed semper concreta et imperfecto alicui copulata visitur. Quas ob res si tres sunt fines, ac tres perfectiones, nihilque esse possit eorum, quae per se existant, quin aliquem horum trium ordinum finumque sortitum sit, necessario sequitur, nihil eorum esse posse, in quo perfectio aliqua, imitatio, vestigium non sit. Nec obstat prima ratio. Non enim de perfectione essentiae, sed existentiae loquimur, qua illa perfecta sunt, quae non in alio, sed per se existunt. Nec ad rem facit, quod substantia sine accidente esse non possit, ut sine servo dominus, non tamen idcirco vel dominus servum, vel accidens substantiam non praecellit. Semper enim praestantius et sustinet et regit, deterius et sustinetur et regitur, quod septimo Metaphysices libro innuit Aristoteles. De sanitate vero quod denique adducebatur, non omni perfectioni, sed intelligentiae tamen comparare illam visus est Averroes. Nam tertio generi perfectionem finemque tertium tribuit eidem tamen abstulit sanitatem. Quare ut perfectio finisque quidam illis, ita et vestigium a natura tributum est. Ex quibus iam satis apparet, nihil esse per se posse, hoc est, nullam substantiarum, quae vestigium in se caelatum non habeant.

---

2 ordinem denique] ordinemque *A* | habent] habet *N1 N2 A* 7 in *om. A* 9 tria *V H* 11 est *om. N1 N2 A* 12 nescit prorsus *ac. tr. N2* 17 ac] ad *ac. A* 24 substantia *N1 N2* 26 Metaphysice *N1* 27 perfectione *ac. A*

20 Solutio prima *MSS* 22 Solutio secunda *MSS* 26 Solutio tertia *MSS*

50. *Duo subiecta sunt divinae similitudinis, ubi vestigium figitur*

Quaerendum iam statuendumque est nobis vestigii subiectum, quidnam id sit, atque unum ne an plura illa sint. Quod unum sit, ita persuadetur. Primo quidem quia maxime a Deo semota est. Quod si duae sint aut plures, cum aequales non sint, altera praestantior erit. Iam illa non maxime distabit, longius enim abest quae deterior. Deinde subiectum rerum materia prima est, cum si plures esset, una prior esset altera. Plures primae in eodem genere esse non possunt. Praeterea, in fundamento naturae nihil distinctum est, ut secundo Metaphysices dicitur. Quare esse non potest una ab altera distincta sit. Quaecunque etiam subiectum habent prius, in illud solvuuntur, ut primo De auditione physica. Quare una in alteram solveretur; quare quae solveretur, unde prima materia dici posset non haberet. Sed iam ad duas illas ostendendas accedamus. Capio quod Averroes tertio De anima libro capit, omnia praeter primum, quod simplex omnino est, esse complexa ac coagmentata conflataque ex duobus, quorum alterum materia, alterum forma est. Capio praeterea, quod septimo Metaphysices scriptum est, quae materiam habent, quandoque interire. Capio denique quae octavo libro Physicorum, quae primo ac secundo De caelo, quae Metaphysices duodecimo didicimus, mentes perpetuo moveri ac numquam interire, et esse materiam in omnibus, et illam esse geminam, cum altera necet, altera necem tollat. An vero rationis eiusdem dici possint, alias speculabimur. Atqui mixtio perfecti imperfectique duplex est, ut duplex materia est duplexque vehiculum, quo illa deferatur, divduum et individuum, hoc est, mutabile et immutabile, vitale et moribundum. Individua materia et immutabilis atque immortalis eorum est, in quibus ratio remanet et similitudo superior. Habent enim mentes omnes citra Deum materiam vehiculumque suum, ut Averroes docet tertio De anima libro commento quinto. Altera materia dividua est, per interminatasque mensuras, quas perpetuas propriasque comites secum ducit, atque ideo varia, inconstans, mutabilis et

---

1 50] *in marg. N1* 6 quam *N2* 10 potest] ut *add. V* (*in marg*) *H* 14 animae *A* 18 quae] quod *N2* 19 ac] et *V H* | duodecimo *om. A* 20 moveri] *in ras. N1*; movere *A* 21 necet *in ras. A* 22 dici possint *om. V H* 22–28 alias … quinto *in marg. N1* 22 atque *N1 A H* 23 duplex *sl. N1* 25 Individua … immutabilis *om. V H* 28 commento quinto *om. V*

4 prima Ratio *MSS* 6 Ratio secunda *MSS* 8 Ratio tertia *MSS* 10 Ratio quarta *N1 N2*

8–9 in … dicitur] Metaph. 2.2 994a 10–11 Quaecunque … physica] Ph. 1.7.34 190a

mortalis, non quod ipsa esse desinat, quippe quae perpetua est, cum primum sit subiectum, neque principium habet aliud, in quod solvi possit. Sed ideo mortalis, quoniam mortis est parens ac sinus, et quoniam semper appetit atque insatiabilis est, ideo infinitae voraginis infinita a Platone nominatur, tam in Parmenide, quam etiam in Philebo, quod innumerabiles in ea sint et partes et appetitiones. Utraque materia amat atque appetit aliquid; cumque eius natura informis sit ideo pulchrum formamque desiderat. Forma itaque est et pulchritudo, quam cupit, et terminus, quem veluti clarissimum sponsum, ita ardenter amat, ut ne momento quidem temporis seiungi ab eo possit. Ac iure id quidem, nam si terminus ac forma nihil est aliud, nisi divina participatio, perfectio, lux. Materia quae a Deo omnium longissime distat, nihilque divinae speciei in natura continet, idcirco suapte natura fertur, ut saltem coniugio formae ac termini quae sponsi generi divino coniungatur. Verum utraque materia tamquam gemellae sorores, eodem de parente Deo natae, terminum ac sponsum quamquam amant, atque amore inseparabili semper amant, ut ipsae diversae inter se sunt diversoque ingenio praeditae, cum maior natu individua, minor dividua inconstansque sit, ita et gemini illarum amores longissimo naturae differunt intervallo. Matris enim naturam amor sectatur, ut in Symposio Diotima disseruit, unde omnis de amore petenda disputatio est: Quo fit, ut antiquioris materiae quae individua est, amor quoque sit individuus, iunioris vero, quae dividua est, amor etiam sit dividuus. Simile enim simili semper iungitur amicumque est, ut scribitur in Gorgia. Sponsae superioris amor, cuicumque matrem semel iunxit, coniugio iunxit stabili propriamque dicavit. Amoris huius nexus, ut Timaeo placet, solubilis est mobilitate naturae, insolubilis divinae beneficio voluntatis. Haec itaque materia castissima est, aeternaeque pudicitiae, quippe quae terminum, cui veluti sponso copulatur, aeterna fide colit, atque ut coniugii vinculum perpetuum est, ita quicquid ex eo con-

2 habeat *N2* 3 ideo] idea *V* 4 atque] et *H* 5–6 innumerabiles] innuberabiles *A* 7 aliquid *om. A* 12 a] ad *ac. A* 13 continet] condidit *A* 16 quamquam] quem *V H* 17 ipse *V H* 20 dixeruit *A* | omnis *om. A* 21 materia *A* 22–23 iunioris … dividuus *om. V H* 23 semper *iter. A* 25–26 ut Timaeo] ut imeo *A* 26 nobilitate *A* 26–27 beneficio *om. A*

4–5 ideo … Parmenide] Parm. 90 *MSS* 5 etiam in Philebo] Phil 47 *MSS* 19–20 Matris … disseruit] Symp. 40 *N1 V A* 23–24 Simile … Gorgia] Gorg. 78 *MSS* 25 coniugio … dicavit] Virg. *N1 V A H* 25–27 Amoris … voluntatis] Tim. 81 *N1 V A H*

4–5 ideo … Parmenide] Prm. 165d 5 in … Philebo] Phlb. 19a 19–20 Matris … disseruit] Smp. 203c 23–24 Simile … Gorgia] Grg. 449b 24–25 Sponsae … dicavit *cf.* Aen. 1.73 25–26 Amoris … placet] Ti. 41b

nubio exoritur, originis naturam retinens vitam sortitur aeternam. Hinc mundi pars melior, mentesque intelligentia praeditae, ex hoc connubio natae sunt, ex materia individua et termino inseparabilibus foederibus copulato. Ideo fortunatissimae mentes aeternam agunt vitam, quod ex iis constant initiis, quae separari seiungive non possunt. Hoc quoniam haec materia individua est, individuo amore id prosequens, cui semel inhaeserit, atque id cui inhaeserit, ita amat, ut in eo quiescat, eo uno contenta sit, nihilque aliud existentiae gratia possit vel appetere vel amare. Soror vero materiaque inferior superiori par amando est. Semper enim amat; sed in amoris ratione et fide longe impar est. Illa enim cui haeret semper haeret; haec cui semper haereat, nulli haeret; illa uno contenta pulchro est, haec nulli acquiescere perpetuo potest, quod innumerabilia amat, ideo varia, quia id quod amat, quandoque etiam deserit, ideo mutabilis nominatur, amoris omnino circumforanei ac vagi adeoque incontinentis, ut cum termino nubit, dum ille pulcher, vigens, atque adolescentiae flore micat, si feminae cupiditati obtemperatissimus sit, hactenus feminae rabies quiescat, cum vero flos aetatis defloraverit, aut si forte etiam in ipso flore termini mores cupiditatem non explent, quod fit cum vitae formaeque dispositiones flaccescunt, statim violentissima et infidissima femina de altero deliberat viro, atque ut voti compos fiat, priori insidias molitur, arma movet, interitum machinatur, nec prius desistit, quam illum male affectum domo pellat ac tradat tandem internitioni. Haec Aristoteles privationi tribuit primo De physico auditu. Sed quoniam actiones suppositorum sunt, non naturae, neque accidentium aut affectionum, non enim calorem agere, sed organum quo calidum agit, dicitur; ideo ad materiam referenda haec omnia sunt, licet secundae huius materiae tantum, non prioris, cum privatio huius perpetua comes sit, quae famem facit, superior vero, quae privatione liberata est, ideo eius machinamentorum immunis est. Hae sunt sorores geminae eodem parente Deo natae, sed diversis praeditae moribus diversisque fortunis. Altera aeternae pudicitiae gloria insignis, altera insatiabili libidinum ardore damnata; illa quietis aeternae, haec bellorum, armorum, pugnarum non modo studiosa est,

---

2 intelligentias *A* 3 individuo *A* 5 constat *V A H* | seiungive] coniungive *N2*; seiungi ut *A* 6 individuo amore] individuam more *A* 9 amant *ac. A* 13 quia *in marg. N1* 19 infidissima] invidissima *ac. A* 20 delibat *N2* 22–23 privationi] *om. A* 23–24 sunt suppositorum *tr. V H* 26 referendo *A* 28 quae] quia *N1 V A H*

22–23 Aristoteles … auditu] Com. 80 *N1 V A H*

22–23 Aristoteles … auditu] Ph. 1.6.25 189a

sed inflexibilis auctor. Veterum theologia utramque Iove natam fabulata est, aeternaque alteram pudicitia, alteram impudicitia posteris reliquit insignem, Dianam atque Helenam. Utraque modo quodam silva dicitur (hoc enim ὕλη Graecum nomen sonat). Sed quoniam silva semper vel arborum vel frondium vicissitudines habet, idcirco posterior materia proprio silvae vocabulo nominanda est, prior vero hoc solum silvae habet, quod formam sustinet, non quod ullis vicissitudinibus agitetur, ideo non silva, sed praeesse silvae a veteribus dicta est. Helena vero amoribus Europam atque Asiam miscet, bella discordiasque late ciens, apertissime eam materiam significat, quae calida accendit in frigida, et omnes naturae pugnas atque alterationes exercet. Maro noster et haec a Graecis mutuatus est; et ipse etiam duas alias sorores effinxit, in quarum quidem amoribus perturbationibusque utriusque materiae naturam admirabili ingenio doctissimisque fabulamentis expressit. Anna soror consiliis dumtaxat adhibetur, non coniugii, non turpitudinis, non voluptatis particeps. At Dido illius dumtaxat consilio usa longum bibebat amorem, hoc est, insatiabilem et perpetuum, amans Sichei memoriam obliterare atque extinguere nititur, quo ex animis pulso, nonnisi in obscurae silvae antro novum sibi consiliat virum, ut silvae et vicissitudinem et nomen agnoscas, ac veluti priorem virum morte amisit, ita nonnisi cum morte amittit posteriorem. Dices interitum priorem viri, posteriorem feminae fuisse. In priore quidem formae interitus ostenditur, in posteriore id etiam significatur, quod cum materia nec esse nec vitam habeat, nisi ex forma, cum format perimit, se etiam perimit, auferens sibi tam esse, quam vitam, quam sibi ex formae consortio comparaverat. Exposui iam duas materias, ex quibus universus constat orbis. Omnia enim quae sunt post Deum vel ratione utuntur, et Dianae Annaeque naturam habent, individuam ac stabilem; aut ratione carent, et Helenam Didoque sequuntur, perturbationibus, amoribus, exitioque obnoxia. Quae quidem materia, quoniam multa amat, ideo varia, et quoniam deserit id quod amat, ideo mutabilis nominatur. Quare ille utramque affectionem manifestissime propalavit, cum dixit, Varium et mutabile semper femina. Quod ex Timaeo Platonis cum didicisset, elegantissimo figmento Latinis legendum dedit.

---

4 ὕλη *om. A*; μὴ *V* 8 silvae *ac. A* 18 obscuro *N2* 20 amisit … morte *in marg. N1* 24 forma *V H* | etiam] esset *ac. A* 31 perfectionem *corr. in marg. A*

16 Dido … amorem] Virg. *N1 V A H* 32 Varium … femina] Virg. *N1 V A H*

16 Dido … amorem] Aen. 1.749 32 Varium … femina] Aen. 4.569–570

Ut itaque vestigii partes in lucem tandem prodant, silvas geminas explorare oportuit, quae geminae materiae sunt, in quibus divinum recipitur et pulchrum, ut Plato et Aristoteles docent, et ut illae materiae differunt, ita divina vel perfectio vel similitudo, quae in illis imprimitur, opus est differat diversaque sit, ut Caesarei pedis forma vel in auro vel in pulvere, in altero stabilis imago, in altero instabile vestigium vocatur. Iam dudum constat materias esse duas divinam affectantes similitudinem, quae quantum ad rem pertinet, ita distinctae sunt, ut altera non mutetur in alteram alteriusque finis sit secundus, procul omnino a morte, alterius finis sit tertius, extimusque quae quidem tot mortes obit, quot sunt in rebus interitus utraque tamen similitudinem recipit divinam, in qua vestigii sita ratio est. Ad ea, quae sententiam evertere annitebantur, ita respondendum est, diversarum has materias esse ordinum utque in praedicamentis fit, tot prima sunt genera, quot sunt ordines praedicamentorum. Utraque ergo in suo ordine distat maxime, quibus nihil in eo ordine abesse magis potest. Confutatum iam est quod sequitur, utramque in suo genere esse primam. De naturae vero fundamento, naturam Peripateticus materiam formamque appellitat, secundo De physico auditu. Eam vero materiam naturae fundamentum appellat, quae molem et mensuras habet quantitatis, quae una omnino est; nec distincta quicquam in se complectitur. De altero hic receptaculo sermo non est, in quo neque mensura quantitatis est, neque mutatio aut vicissitudo ulla intervenit. Quae postea de subiecto priore adducebantur, iam confutata sunt; de iis, quae eiusdem sunt ordinis, procedunt, de aliis non procedunt. Est enim caeli subiectum igne prius; cum sit id simplex, hic concretus sit, in illud tamen ignis non solvitur. Sed adhuc in ancipiti est, caelum ad quam materiam pertineat. Deinde etiam homo, in quonam horum ordinum collocetur. Si caelum ad superiorem referas materiam, id esse non potest, cum illa individua ac non quanta sit, caelum vero haud utique tale; si ad inferiorem et morti suberit, et Averroi contraibitur, qui caelum supremum superioris

8 pertinent *A* 9 secundus … sit *in marg. N1* 10 quot *sl. N1* 13 in praedicamentis] in pntis *abbr. A*; inpntis *N1*; in presentis *V* 16 iam *om. V* 19 mensuram *A* 20 omnino una *tr. A* 22 Quae quod *V A* 23 adducebatur *V H* | confutata sunt] confutatum est *V H* | iis] eisdem *A* 25 id *om.*A | sit] si *N2* 26 in ancipiti] mancipiti *V* 27 in quonam] in quo natura *H* | quonam] quo natura *N1*; qua natura (qua *eras.*) *V* | ordinum] hominum *A*

12 Solutio prima *MSS* 16 Solutio secunda *MSS* 17 Solutio tertia *N1 N2 V H* 26 Dubitatio *N1 N2 V H*

17–18 De … auditu] Ph. 2.1.20 194a

ordinis caput facit. Homo etiam non inferioris erit, cui ratio inest, nec superioris, quia mortem obit. Quare aut tres aut quattuor materiae ordinesque oportebit, ne urgeamur angustiis. Dicimus utrumque superioris esse ordinis. Utrumque enim Averroes, sanitate potito comparavit, sed de mentibus utriusque intelligit, quae materiam superioris generis habent. Corpus autem caeleste materiam non habet, sed formam potius appellari vult illam. Sed quicquid sit, putat ille superioris esse generis. Nec obstat quod quantitatis mensuras habeat. Nam non eas habet, quae mortem reformident, et ideo etiam individua quodammodo dici poterit, non quidem quod partes non habeat et molem, ut mentes. Sed quod dividi secarive ob stabilem aeternitatem non potest. Nostri secus dicerent, ut Romanus meus, et qui illum sequuti sunt mentes et caeli et hominum ad superius, corpora ad inferius referenda genus. Quod si caelum non interit, non alteram in essentia materiam arguit, sed privationis expertem, quae, ut supra dictum est, iam caedes atque exitia machinatur.

51. *Vestigium reperitur etiam in rationalibus*

Posteaquam exposuimus tres ordines Dei, mentium, et rationis expertium, quae universitatem rerum complectuntur, quare et initium Timaei de universitate tractantis ita incipit, Unus, duo, tres, quasi diceret, De iis tribus finibus, hoc est, de omnibus agemus naturis. Posteaquam etiam vidimus extremum ordinem primi vestigium referre, reliquum est, ut an etiam secundus ordo vestigium claudat, investigemus. Est siquidem vestigium extremae partis similitudo. Sed extrema rerum pars est tertium genus, secundum autem est medium, non extremum vestigium, itaque nullum obtinebit. Diximus etiam vestigium nonnisi in materia signari. Secundus ordo eorum est, quae materia carent. Quare ubi similitudo illa effigietur, minime habebit. Imago etiam et vestigium cum diversa sint, in diversis reperiuntur; atque ut imago ad habens imaginem, ita vestigium ad id quod habet vestigium. Ergo a mutata ratione, ut imago ad

---

5 habet *V A H*; *H*t *N1* 8 mensuram *V H* 10 non *sl. H* 15 est *om. N1 N2* | iam *om.V H* 16 etiam reperitur *tr. A* 18 universitates *A* 24 est medium *om. V H* | extremum] sed medium est *add. V H* 28 ad habens] adhabens *N1 V* (*ac.*); adhibens *V* (*pc.*) *A H* 29–139.1 ad habens] adhibens *A*; adhbns *N1*

3 Responsio *N1 N2 V H* 22 Ratio prima *MSS* 25 Ratio secunda *MSS* 27 Ratio tertia *MSS*

18–20 initium … naturis] Ti. 17a

habens vestigium, ita vestigium ad habens imaginem. Atqui habens vestigium imaginem non habet. Ergo quod imaginem habet, vestigio carebit. Primo quidem, ut haec nota fiant, ea videnda sunt, quae Plato sentit. Ait is in Parmenide, Nisi unum sit, nihil omnino esse. Nam si quid esse posset, id aut unum esset aut multa. Non unum, si sustulisti unum. Nec multa, quae nihil sunt aliud, nisi numerus earum rerum, quae sunt unum. Priore etiam sublato, sublatum oportet esse posterius, ut Parmenides rursus innuit. Aristoteles etiam secundo De caelo libro, unum multitudine prius esse in omni genere probat, ut circulus figuris, quod una constet linea. Quare si in tertio genere, ubi est partium multarum compositio, quodlibet tamen unum esse demonstravimus, multo magis secundum genus, quod prius est, nobilitate et tempore quocumque tertii generis, quod mortale et genitum totum est, manifeste apparet, quod in eo priore genere ratio unius multo magis extabit. Ita unumquodque ut habet esse, ita et unitatem at esse, quod secundi generis est multo sublimius tertio. Ergo et eadem ratione et unitas. Species etiam numeris comparantur, ut Plato et ab eo Aristoteles accipit. Sed numerus numquam erit, nisi ex unitatibus constituatur. Quare et specierum numerus ex causis constet oportet, quae servent unitatem. Divisio etiam ex materia est ex tertio libro De auditu physico, sed ea materia non est in secundo illo genere. Non igitur dividi aut scindi possunt quae in eo sita sunt. At ea est unius definitio, quod scindi non potest; quare multo magis unitatem habent secundi generis res, quam genus tertium. Diana enim illius generis silvas obtinet, non Helena, aut pastor Phrygius a quo rapta est. Quare et ut Helenae gesta ita habent, quod Scinditur incertum studia in contraria vulgus, quod tertii generis est proprium ob contraria, ex quibus concretum est. Ita Diana materiaque superior, quae litem, inimicitias, hostem habet nullum, pacatissimum regnum obtinet et maximam rerum omnium unitatem, utque Graecus ait poeta, si caelum litem haberet οὐκ ἂν πόλος ἐσί.

---

1 ad habens] adhibens *A*; adhbns *N1* | Atqui] atque *N1 V A H* 8 multitudine] multimode *N2* 10 tertio] Timeo *corr. in marg. N1* | partium *in marg. N1* 16 et *sl. V*: *om. H* 20 physico auditu *tr. N2 A* | illo secundo *tr. A* 25 incertum] in *praem. V H*

4 Ait … esse] Parm. 110 *MSS* 7 Priore … Parmenides] Parm. 73 *MSS* 8–9 Aristoteles … probat] 7.22 *N1 V A* 16–17 Species … accipit] Arist. 8 Met. *N1 N2 V A*

3–5 Plato … multa] Prm. 166c 7–8 Priore … innuit] Prm. 166b 8–10 Aristoteles … linea] Cael. 2.4.35 286b 16–17 Species … accipit] Metaph. 8.3.30 1043b 19–20 Divisio … physico] Ph. 3.4.20 203a 24 Helena … est] Aen. 7.424–5 25 Scinditur … vulgus] Aen. 2.39 29 Graecus … ἐσί *cf.* Pseudo-Phocylides, Sent. 75 εἰ γὰρ ἔρις μακάρρεσιν ἔστη, οὐκ ἂν πόλος ἔστη.

Quid? quod Diana genusque secundum arcum habet atque venationes exercet, hoc est, mentis particeps est, atque in sola venatione intelligentiaque versatur, qua toto studio totoque animo patriae luci explorandae assequendaeque dat operam. At studia haec in materia inferiori reperiri non possunt, quae non colligendi, quod est Dianae atque intelligentiae proprium, sed scindendi partiendique auctor existit, atque ideo Phoebi soror mentium genus dicitur, quod eandem assequatur lucem communis parentis, quam Boni Filius (ut Platonis verbis utar) assequitur, quamquam diversa intelligentiae ratione. Paternam ergo hereditatem paternamque lucem, et Boni Filius obtinet, et mentium genus, ut docebat Averroes, quam genus tertium, ne suspicari quidem (ut idem ait) potest. Haec causa est, ut soror divini Filii dicatur, quo nomine animam eius secundi generis extremam etiam in Canticis divinus Filius appellabat, quam saepenumero sororem nominabat. Quas ob res si venationem et intelligentiam et universi notitiam habet, materiam inferiorem non habet, unde omnis in natura partitio originem ducit. Partitionem ergo non sustinet genus illud; quare sequitur, in eo genere secundo maxime omnium a Deo creatorum unitatem fulgere. Iam sequuntur facile hanc partem vestigii etiam partes aliae. Nam substantia unitatem atque esse, quod habet, a forma a specieque id habet. Habent itaque non modo formas, ut genus extremum, sed etiam ipsae formae sunt, nihil inferioris materiae, nihil mali secum ferentes. Adeo felix est Dianae virginitas, cum Helena numquam libidinum et machinamentorum malo careat. Quare cum forma pulchrum divinumque sit, ut Plato et Aristoteles scribunt, quae in castris Helenae militant, licet formam et pulchritudinem in illa mirentur, formae tamen ipsi non sunt, cum tamen nymphae Dianae non solum deae virginitatem formamque suspiciant, verum etiam se ipsas quoque virgines formasque esse cognoscunt. Quare ut auratum lignum et purum aurum differunt, ita Helenae acies a Dianae exercitu longe differt. Haec enim aurum, illa auratum (ut ita dixerim) ductat exercitum. Quibus ex rebus colligo, ut unitate, ita et forma Tyndaridae Helenae genus, a genere Dianae superari.

---

1 quod *om. A* | arcum *in marg. A* 6 scindendi] sciendi *A* 8 utar verbis *H*; verbis utatur *A* 14 si] de *ac. A* 14–15 venenationem *ac.N1* 18 creatorem *A* 20 specieque *in ras. V* 22 Adeo] a Deo *N1 V A H* 23 cum] contra *add. N1* (*ac.*) *N2* 30 acies] facies *A*

8 quam … utar] R. 6 508c

De ordine vero, modo eodem ostenditur. Nam fieri non potest, ut aliqua sit natura, quae actionem non habeat, id quod secundo libro De caelo atque etiam primo dicitur. Quod si calceamentum frustra esse non potest, nec actione privatum esse potest, ut Averroi eo in loco placet, quanto dignius est, ut secunda illa pars rerum Deo quam proxima nec actione vacare nec frustra esse possit omnino. Quod si actionem habent, illius gratia sunt, ut eodem loco sentit Aristoteles. Si illius gratia sunt, ad illam ordinem habent, atque propensa sunt. Est tamen et ordo inferiore genere tanto praestantior, quanto secundum hoc genus tertio anteponitur. Nam etsi omnia divinis imitationibus aspirant (uti iam diximus), sanitatem tamen ac divinum finem non omnia adipiscuntur, ut Averroes ex Aristotele accepit. Ex iis itaque constat, vestigium in secundo genere reperiri, et multo etiam altius, multo eminentius apparere. Nam quod ad unitatem attinet, quod unum vere est, partes non habet, ut Parmenides ait. Quare Dianae soboles, quae partibilis non est, multo verius obtinet unitatem. Formam vero, unde esse capiunt omnia, eadem ratione meliorem divinioremque sortitum est genus secundum. Nam unum atque ens, ut in Parmenide dictum est, paribus se nexibus complectuntur. Quare si unitatem in illis praestantiorem esse, formamque praestantiorem collocemus necesse est. Actio denique cuiusque ea est, inquit Plato, per quam id quod agit, fit melius, ut visus oculi. Sed multo meliores fiunt mentes actione sua, quam corporea sua, cum illa Deum cognitione imitentur, quod haec ne somniant quidem. Quare et actionem et ordinem nacta sunt multo praestantiorem. Quas ob res vestigium non solum in materia inferiori, in corporibus, et in Helena, sed etiam in superiori, in mentibus, in Diana caelatum micat, sed tanto splendet clarius, quanto materia in excellentiori caelatum est. Verum ne rationibus, quibus haec sententia vexatur, non respondeamus, meminisse operae pretium erit, quid iis eveniat, quae priora ac posteriora natura sunt, ut animal et homo. Id prius est, hoc posterius; id diffusum latius patet, hoc anguste arctiusque se cohibet; id

---

1 modo] voto *A* 3 atque etiam primo *om. N2*; atque primo (etiam *sl.*) *N1*; atque et primo *A* 5 proxima nec] proximo ut *A* 10 imitationibus *in ras. V* | aspirent *V H* 27 ne rationibus] at actionibus *A*

1–3 Nam … dicitur] primo Cae. 32 *N1 V A* 10–12 etsi … Aristotele] secundo Cae. 64 *N1 V A H* 13–14 quod … Parmenides] Parm. 28 *N1 V A H* 17–18 unum … complectuntur] Parm. 42 *N1 V A H* 20–21 Actio … oculi] 1Reip. 51 *V A H*; 1Reip. *N2*

1–2 fieri … caelo] Cael. 2.1 284a 3 atque … primo] Cael. 1.2 268b 13–14 quod … ait] Prm. 131e 17–18 unum … complectuntur] Prm. 131b 20–21 Actio … oculi] R. 1 353c

communius, hoc privatius. Praeter has omnes affectiones, duae aliae sunt, quae nostram ad rem pertinent. Altera quod posteriora quae sunt, sunt etiam praestantiora, quippe quae speciem ac formam ideo fuso superaddunt, quod octavo libro scribitur De auditu physico, quod motus qui in loco est, ut homini accedit postremus, ita et motuum absolutissimus ac perfectissimus advenit. Altera illorum affectio est, quod prioris ratio semper in posteriori atque praestantiori reperitur, ut homo praestantius animali est, cui formam addit et speciem. Et in homine semper animalis ratio reperitur. Ita nostra in re quoque dicendum est, quod natura ac substantia rei praecedit ut prius, ratio vero et intellectus sequitur ut posterius. Quare et praestantior intellectus est natura, atque omnis naturae ratio in mente intellectuque reperitur. Quod itaque vestigium extremae partis sit, nihil ad rem pertinet, tum quoniam de proprio vestigio, non de transumpto dicitur. Qui vero translatione utitur, si omnia servaret, translatione non uteretur, sed proprio; tum quoniam de habente partes id verum est; tum denique quod quae a nobis participantur, ultima Dei sunt. Creataque omnia si Deo comparentur, abiectissimo pulveri similia sunt, quod et Sacrae nostrae Litterae testantur, cum Abraham se pulverem cineremque nominabat. Testantur idem et alii, qui id scriptum reliquerunt, Pulvis et umbra sumus. Nec mens non pulvis dicetur, si Dei filius Deus se vermem appellavit. Eodem etiam modo ratio secunda refelletur, quae non nisi de proprio vestigio procedit. Tertia vero, quae aliquid ponderis habere videbatur, iam ex iis, quae diximus, fatiscere ac solvi potest. Licet enim homo ratione utatur, rationem tamen obtinet animantis. Ita et mens licet qua ratione utitur atque intellectu imaginem praetendat, qua tamen natura, qua substantia a Deo genita est, tria illa habet, quae supra pertinere diximus ad divini vestigii rationem.

---

3 praestantiora] sublimiora *A* 4 qui *om.*A 5 motuum] mortuus *corr. in marg. N1* 5–6 absolutissimum ac perfectissimum *A* 6 illorum *sl. N2* 7 in *om. A* 8 Et] ut *H* | homine] nomine *A* 13 tum] tunc *A* 15 utetur *A* 16 quod quae] quodque *A* | Dei *in ras. N1* 17 Creataque] grataque *corr. in marg. A*

11 Solutio prima *MSS* 21 Solutio secunda *MSS* 22 Solutio tertia *MSS*

2–6 quod … advenit] Ph. 8.7 261a 18–19 et … nominabat] Gen. 18.27 20 Pulvis … sumus] Car. 4.7.16 20–21 Dei … appellavit] Ps. 22.6

52. *Aeque in omnibus est vestigium, ac non aeque*

Non aeque itaque in rebus se habebit vestigium, si ita habet sese, ut dictum est. Ubi enim inaequales sunt partes, non aequale totum esse poterit. Sed ordo actioque rerum, non par est omnibus. Ergo neque species, neque unitas, cum actio semper essentiam sequatur; quare ne ipsum quidem totum aequale erit. Divus etiam Augustinus in eo libro, quem de natura boni edit, ita sentit: magna bona ea esse inquis, modus, species, ordo, magna sint inquis contra haec parva sint, ea parva quoque esse bona. Quod si ita res se habet, non aequalia haec in rebus invenientur, cum res sicut natura, ita etiam bonitate inter se differant. Contra si Deus infinitus est, aeque distabit ab omnibus. Si enim secus esset, cum distantiae intervallaque inter Deum et res humanas infinita sint, infinitum enim a finito finito spatio distare non potest, sequeretur infinitum ab infinito alio superari aliudque alio esse maius, quae ne cogitari quidem possunt. Plotino denique teste, Deus centrum est, alia sunt radii, veluti a sole manantes in circumferentia fulgentes. Sed a centro in circumferentiam lineae aequales omnes sunt. Quare quidquid vestigii in rebus apparet, aequale appareat necesse est. Cum aliqua comparantur invicem, meminisse comparantem oportuit ea quae de comparatione praecipit in Philebo Plato, quod separanda invicem sunt quae comparantur, ut recte comparatio cognoscatur. Quantitas quantitati comparari solet vel interpellata arithmetici vel perpetua continuaque geometrae. Quantitatem nunc communi voco nomine vel molis vel virtutis sive qualitatis. Magnitudo enim est, ut Parmenides affirmat, et in Praedicamentis Aristoteles, ad quam aequale pertinet et inaequale. Separari itaque ac distingui quantitatem magnitudinemque prius decet, quam de comparatione roganti respondeamus. Ambigua enim, quibus, ut Timaeus ante Aristotelem scripsit, nomen quamquam sit idem, rei tamen ratio

---

2 habet ita *tr. A* 9 habeat *A* 13 finito] infinito *ac. A* 21 recte *om. H*; rce *N1*; ei ce *A* 22 interpollata *N1 V H*; interpollat *A* 25 Separari] superari *N2 V* (*ac.*); seperari *N1*

3 Ratio prima *MSS* 6 Ratio secunda *MSS* 10–11 Ratio tertia *MSS* 15 Ratio quarta *N1 N2 V H* 15–16 Plotino … fulgentes] Enn. 6. lib. 9 *N1 N2 V H* 18–20 Cum … Philebo] Phil. 24 *MSS* 24 Magnitudo … Parmenides] Parm. 98 *MSS* 27–28 Ambigua … scripsit] Tim. 130 *MSS*

3–4 Ubi … poterit] De Nat. bon. cap. 3 15–16 Plotino … fulgentes] Enn. 5.1.11 19–20 quae … Plato] Phlb. 50e 24 Magnitudo … affirmat] Prm. 143e 24–25 in … Aristoteles] Cat. 6 6a 28 27–144.1 Ambigua … volunt] Ti. 43c

non est eadem, distingui a nobis volunt, antequam de illis sententiam feramus, ut de amore dictum est in Phaedro, quod seiungendus probus sit ab improbo, commendandus sit postea vel vituperandus. Qua quidem accuratione in ambiguis omnibus utendum innuit eo in loco Plato, ut si Ulixes Aiaci, margaritae albedo, albo aequo, stellae erraticae suis orbibus comparentur, magnitudine virtutis, versutiae, ingenii, eloquentiae Ulixes anteponebatur Aiaci, qui Ulixem vastitate corporis anteibat, quamquam etiam corpore, ut Homerus scripsit, stans quidem Aiax, sedens Ulixes spectatior apparebat, ita margaritae unionisque nitor maior est qualitate qualitatisque virtute, non molis magnitudine, non mensurae. Erraticae quoque si cum orbibus certaverint suis aut de numero, aut de mole, aut de luce certabitur, primum quidem certamen anceps erit. Equus enim ac perpar est numerus, in secundo victae, in tertio victrices stellae erunt. Nunc tandem unde digressi sumus redeamus. Vestigium bifariam comparari potest, ut duo quae in eius partibus reperiuntur, intelligentia seiungemus distinguemusque, ut saepe in Parmenide agendum suadet Plato. Est siquidem in illis numerus, est etiam et praestantia. Numero quidem partium aeque in omnibus rebus est vestigium. Ternarius enim numerus quascumque res numeret, semper idem ternarius, semper sibi par erit; nec plures numero partes habet vestigium in animorum et mentium essentia, quam in cancrorum ranarumque natura. Nam cum ternarius numerus solus in personis creatricibus inveniatur, si creantis indicium quasi auctoris monumentum in opere inurendum erat, nihil ternario vel addi vel detrahi oportebit. Quare quaecumque natura signanda occurreret, si rite signanda esset, eius numeri ratio mutanda non fuit. Non aeque tamen participari ab omnibus vestigium dici poterit, si de partium non numero, sed praestantia qualitateque pensabitur. Licet enim gigantis membra numero sint Pygmei membris aequalia, tamen mole sunt pondere sunt vastitate longe inaequalia. Ut enim personarum numerus in partium numero celandus, ita essentiae infinitaeque eius bonitatis significatio in partium vel qualitate vel diversitate obsignanda fuit, ut in altero numerus personarum in altero pulchritudo idearum appareret, utque in eo Trinitas personarum, in hoc perfectionum immensitas

---

2 in *om. A* 9 spectatio *A* 19 numerat *A* 26 vestigium ab omnibus *tr. N2*

2 ut … Phaedro] Phed. 39 *MSS* 8–9 corpore … apparebat] Hom. *N1 V A* 14–16 Vestigium … suadet] Parm. 43 *MSS*

2–3 ut … vituperandus] Phdr. 265c 8 ut … scripsit] Il. 3.212

elucesceret. Iam hinc, et sententiae veritas et rationum quattuor manifestatio apparere potest: duae enim de numero, duae de qualitate partium procedunt.

53. *Similitudo vestigio praestantior imago est, quae in secundo ordine reperitur*

Quaeritur iam similitudo vestigio praestantior, ut dilucidius Deus quam vestigio intelligatur. Sed si ea usquam inveniri possit, aut vestigio iuncta, aut seorsum ab eo reperietur. Vestigio iungi haudquaquam potest, ne opposita in eodem copulentur, nec seorsum visuntur, cum vestigium omnia occupaverit. Obscurum quoque ac clarum simul esse idem non potest. Sed si iuncta simul illa sint, dies simul erit et nox. Quare iungi nullo possunt modo; quod Apostoli sententia confirmatur lucis tenebrae societatem omnem auferentis. Similitudo enim secabitur in claram et in obscuram, tamquam in differentias. Sed idem ratione non caret et viget, idem mortale non est et immortale. Quare idem similitudinem et claram et obscuram amplecti non poterit. Porro ea similitudo, vel potior ac perfecta, vel deterior erit et imperfecta. Si hoc, vestigio praeponenda est minime; si illud, nonnisi a Verbo divino Bonique Filio obtinetur, ut expressa Patris sit perfectaque similitudo. Id denique, quo natura cognoscitur, rei quam contemplamur, rei cognoscendae est maxime accommodatum. Sed vestigio natura cognoscitur, ut supra demonstratum est. Quare aliquid vestigio divinae cognitioni accommodatius non quaerendum putabitur. Coeptum est iam a facilioribus atque ab eis quae, in silva posita, exiguam Dei similitudinem obtinuere. Iam a vestigio, iam a

---

9 visuntur *om. V H*; *eras. N1 A* 12 modo possunt *pc. tr. N2* potest modo *ac. N1 A* | tenebras *N1 pc. A* 18 est minime] non est *N1 A* 19–20 cognitur *pc. N1* 20 rei] id *ac. praem. N1* 21 est] De diversitate vestigii probato, quod non Aeque quotquot sunt gradus differentiarum eius primo tot genera, quot species substantiae. Sed quoniam illae sunt fere innumerabiles, reducitur res Ad simplicia, mixta, imperfecta, lapides, metalla, viventia, sententia, intelligentia. *cum nota in marg. Superfla. Supra ponenda. add. N1 N2* 22 Quare] loquitur *corr. in marg. N1* 24 positi *A* | exiguam] exigatam *corr. in marg. N1* | vestigio *sl. N1*

3 procedunt] De diversitate vestigii probato quod non aeque quotquot sunt gradus differentiarum eius primo, tot genera quot species substantiae, sed illae sunt fere innumerabiles, reducitur res ad simplicia, mixta, imperfecta, lapides, metalla, viventia, sententia, intelligentia *A*. *vide infra* 10 2 *N1 N2 V* 13 3 *N1 N2 V* 16 4 *N1 N2* 19 5 *N1 N2 V*

12 quod … confirmatur *cf.* Rom. 13.12

pedibus attollendi sunt oculi, altiusque spectandum est. Non enim, aliquem oculis exploraturi, pedes semper aspicimus, sed superiora quaerimus: genas, frontem oculosque lustramus. Lustravimus iam silvam inferiorem, deiectisque humum luminibus, invenimus iam divina vestigia. Sed cum ea in armentis sint et gregibus brutorum, quippe quae nil humo sublimius appetentia, prona super humum respiciunt, nos illis vel miseriores vel certe similes erimus si nihil humo, nihil vestigiis altius contemplabimur. Quod ii agunt, qui voluptatis, qui auri, qui honorum umbris delectati, numquam esse se homines recordantur; in quibus anima, Platone teste, dormitat, ut septimo de Republica libro docet, neque id curat, quod eodem scriptum loco est, ut experrecta quandoque oraculo pareat. Praecipit enim, ut in Delphis epigramma testatur, divinum illud: "Cognosce te ipsum," quod in priore Alcibiade miris laudibus a Platone commendatur. Nam si beata hic vita esse homini potest, quemadmodum et Platonis Symposium et nos supra disseruimus, et contemplatione, ut Symposium, et vitae cognatione, ut Epistula docet. Ea cognatio amicitiaque divina Amore comparatur, ut eodem loco Symposium testatur. At amari non possunt quae nos latent. Cognosci itaque oportet quae amanda sunt. Quare per oculos in animam amorem penetrare in Phaedro docet. Verum amor ille, qui adeo felix est, ut felices nos faciat, nudus erit, nec pennas habebit, nisi eas sibi studio atque industria comparaverit; id quod libris eisdem praecipitur. Cognoscendo itaque Deo danda opera est homini, si futurus beatus sit; quod ne Aristoteles quidem in Ethicorum calce inficiatur. Verum anima hic, uti in corporis carcere et elementorum spelunca dormiens, non statim a tenebris speluncae ad divinae lucis radios contuendos ducenda est. Extrema enim subito natura non patitur. Oculi namque assueti tenebris multum lucis statim sustinere non possunt, teste Platone, qui speluncae lucisque rationem septimo de Republica libro latissime persecutus est. Gradus itaque quaerendi sunt animae,

---

2 semper *om. Massa* 6 vel *om. A* 8 qui] quod *corr. in marg. N1* | qui] quod *corr. in marg. N1* 13–14 commendatur a Platone *tr. V H Massa* 20 adeo] a Deo *V A H* 22 libris] in *praem. V H* 23 quod] quodque *Massa* 24 ut *A* 25–26 speluncae … est] *iter. A* 26 contuendos *om. Massa* 27–28 possunt] potest *N1* (*pc.*) *A* 29 prosecutus *H Massa*

23–24 quod … inficiatur] Eth. *10 MSS*

9–10 in … docet] R. 7 534c 12–14 Cognosce … commendatur] 1 Alc. 124b 14–15 si … Symposium] Smp. 188d, 210e, 212c 15–16 et … Symposium] Smp. 211d, 212a 16 et … docet] Ep. 7 341cd 16–17 Ea … testatur] Smp. 212b 19–20 per … docet] Phdr. 251c, 255c 23–24 quod … inficiatur] EN 10.4 1175a 28–29 teste … est] R. 7 515e–518b

per quos possit felicis illius lucis radios intueri. Numerat hos in Symposio Plato; nam proximum Deo limen caelestium mentium natura est, quae eo est cognitu facilior, quod mensuram virtutis habet. Immensae lucis non sunt, sed, stellarum similes, spectari impune ab infirmis possunt oculis, quippe quarum radios ne nocturnus quidem vespertilio reformidet. At quamquam mentium lumen inferius longe sit divina luce, sopitus tamen animus suscipere id haud protinus valet. Sopitus enim adhuc animus is est, qui lucem nondum aspexit. Tenebras vocat corpora Academicus in Alcibiade, in septimo de Republica, in quinto Legum libro. Quare a corporibus, quae tenebrae sunt, ad ea incorporea, quae tenebras non habent, cum taetra corpora opaca tenebrarum sint causae, accessus non dabitur, nisi aditur quidam inveniatur prius per communem aliquam mediamque naturam, quae lucem mentis corporum obiectu contemperet et a subobscuro creperoque lumine inchoans animus, quasi a primo splendoris rudimento, ad lucem vehementiorem penetrandam sustinendamque viam atque aditum sibi pandat. Medium itaque quaerendum est aliquod inter corpus mentemque, si quod occurrat. Medium vero id anima est, quae quidem hinc corpori coniunctione, hinc mentibus intelligentia copulata est. Quare ad divina nulla homini, natura duce, patet via, nisi anima prius animadversa; in cuius quidem campo, quasi primis militiae suae tyrociniis, assuescit mens nostra, cui propriae opes veraeque divitiae non longe petendae sunt, sed secum ipsa habet suae felicitatis initia, modo se ipsam spectet, se ipsam intueatur, alasque exerceat per ea spatia, quae non mortalium sensuum, sed immortalis rationis remigio transmittuntur. Eousque viarum geminae sorores, Psychen Apuleianam atque humanam comitantur mentem. Externi internique sensus apprehensiones, quae in corporibus perquirendis, mentis non solum comites, sed etiam duces sunt. Ubi vero corporum regna relinquenda secretaque arcanarum naturarum arva petenda sunt, ad limina usque valvasque procedunt bonae comites. Protinus e sacris penetralibus, "procul hinc, procul, este, profanae," conclamat vates, "totoque absistite luco." Mens sororibus relictis, felicia regna sola penetrat, ibique novas capit et comites

---

1 in *om. Massa* 2 Deo *om.V H* 6 quamquam] longe *ac. N1* 10 incorporea] sunt *ac. N1* 14 quasi a primo *tr. Massa* 19 homini] hoi *abbr. N1 A*; huiusmodi *V H* | via et *eras. N1* 21 nostra] sensum latet m *add. eras. N1*; sensum latet *add. eras. N2*; sensum latet m *add.A* 32 comites] et *add. N2 H Massa*

8–9 Tenebras … Alcibiade] 1 Alc. 134e 9 in … Republica] R. 7 514a–518b | in … libro] Lg. 5 736e, 5 726e, 5 728de 26–28 Externi … sunt] Apul. Met. 4.28–26.24 30–31 procul … vates] Aen. 6.258–259

ministras invisibiles nymphas. Quae quidem ubi humanam mentem egredi aspiciunt e terra cognationeque, in qua orta est, et ad immortalia, ad pura, ad divina se convertere intelligunt, occurrunt illae quam primum atque docent "iter elysium" et "sacra ostia" pandunt. Iis enim a providentia tradita cura est animorum tamquam illorum optimis accuratissimisque pastoribus. Angelos nostri vocant, Plato in Civili divinos hominum pastores vocabat; de quibus secundo libro latius agetur. Ex eis iam manifestum esse potest, primo quidem medium esse aliquod inter corpora ac Deum per quod naturae venatores ad divinam venandam lucem proficiscantur. Hoc Plato in Symposio tetigit, cum quosdam in eo ascensu proposuit gradus. Deinde medium inter primos fines et tertios esse secundos fines, hoc est inter corpora ac Deum incorporeas sitas esse naturas, quod ab Averroe supra dictum esse demonstravimus; a facilioribus enim nobis pergendum esse Aristoteles semper persuasit. Quare qui cum impura Helena versati sumus, patimur in nobis corporum consuetudine atque affectu "multa diu concreta modis inolescere miris"; quod ex nono Reipublicae sumptum est, ubi malos habitus animas didicimus in monstra convertere; quod rursus expressit Maro cum ait: "Centauri in foribus stabulant Scyllaeque biformes," et alia, quae cum de moribus agetur, latius disserentur. Impuri itaque facti, divinis inepti sumus. Ut enim in Phaedone Plato ait, purum ab impuro attingi nullo modo potest. Quamobrem sequitur purgatione opus esse hominibus, si et puram lucem oculis et beatam amore vitam adipisci velint, quod in Sophista testatus est Plato. Purgatio vero duplex est, ignorationis et morbi, ut eodem loco scriptum est; prior in cognitione, posterior in affectu. Utraque Deum curatorem desiderat, quem venturum praedicit Plato sexto de Republica,

8 quidem] qui *N2* 9 ac] ad *MSS* (*ac. V*) | Deum] incorporeas sitas esse naturas *add. V H* 12 Deum] per quod *add. V H* | incorporeas] corpore[a]s *N1* 13 supra *om. A* 14 nobis] nobisque *N1* (*ac.*) *A* 15 impura] in pura *V H* 20 disserentur] dissererentur *N1* 23 quod] et *add. A*

7 Conclusio prima *MSS* 10–11 in … gradus] Symp. 53 *MSS* 11 Conclusio secunda *MSS* 12–13 inter … Averroe] 2 Cael. 45 *N1 V A* 18–19 Centauri … biformes] Virg. *N1 V H* 21–22 Conclusio tertia *MSS* 22–24 purgatione … Plato] Soph. 18 *MSS* 24 Conclusio quarta *MSS* 25 Conclusio quinta *N1 N2 V H* 26–149.1 sexto … facit] 6 Reip. 26 *MSS*

4 iter elysium] Aen. 6.542 | sacra ostia] Aen. 6.109 6–7 Plato … vocabat] Civ. 271d 10–11 Plato … gradus] Smp. 209ad, 210ad 13 quod … demonstravimus] Comm. de Cael. 2.66 13–14 a … persuasit] *e.g.*, Ph. 1.1 184a 16 multa … miris] Aen. 6.738 17 ex … est] R. 9 590ab 18–19 Centauri … biformes] Aen. 6.286 21 in … potest] Phd. 67b 22–23 sequitur … Sophista] Sph. 225c 22–24 purgatione … Plato] Sph. 228c 25–149.1 Utraque … facit] R. 6 506e

ubi statim de divino filio verba facit. Altera itaque purgandi ratio divina est, qua divinam opem captamus. Haec medendi ratio pietas est cultusque divinus, quam magicam Zoroastris Plato in Alcibiade priore nominavit, ut supra disseruimus. Haec quidem purgandi ratio, quam sexto Reipublicae ex Homero mutuatus est Plato si negligatur, summam parit iacturam generi humano; quod idem Homerus in Menelao refert, qui ob sacra praetermissa neglectamque religionem, in Aegypti exilio a diis se narrat detentum fuisse. Eadem servata atque exculta felices facit mortales felicesque respublicas, ut sexto de Republica voluit Plato. At vero cum sol atque homo gignat hominem solusque sol ac superior causa non sufficiat, nisi etiam causa accedat inferior, ad purgationem humanam post divinam actionem, quae sacrificiis ac pietate comparatur, actio etiam nostra adhibenda est. Nam ut agens formam numquam gignet nisi paratum subiectum inveniat, ita nec Deus divinis nos muneribus non afficiet nisi illis suscipiendis et annuamus et quantum in nobis est parati simus. Licet omnia enim ab eo sint, sine nobis tamen omnino esse non possunt. Hinc amorem Plato ex Poro et Penia in Symposio ortum facit, ut sciamus divina omnia, quae ab amore ut a primo munere, ut Aristoteli in Rhetoricis placet proficisci, non alio in nos pacto proficisci nisi ut a divino sole radios coruscante, atque a mentis oculo se minime claudente ac quantum in se est ad radios excipiendos annitente. Porro nostrae in purgatione actiones geminae sunt: altera qua se animus a corporeis nexibus liberat, altera qua incorporeis assuescit. Id virtutum quattuor est, quae in actione sitae sunt. Hoc in disciplinarum exercitatione, ipsaque in contemplatione consistit. Exercitatio ad incorporea per mathematica primo fit, quod septimo Plato scribit de Republica. Sed ne naturae quidem deest via, qua

---

3 divinum *A* 7 Aegypto *A* 12 ac] et *N1 N2* 15 illis] et *praem.A* | et] non *corr. A* 16 enim omnia *tr. N2 Massa* | sine] si^{ne} *N1* 18–19 Rhetoricis] rhetoribus *N1* (*ac.*) *A* 21 accipiendos *Massa* | annitente] amittente *V* (*ac.*) *A H* 23 incorporeis] in corporeis *N1 V*; incorporibus *H*

2 Conclusio sexta *MSS* 2–4 Haec … nominavit] Alc. primo 42 *MSS* 4 Conclusio septima *MSS* 6 quod … refert] Oδ. δ *N1 N2 V H* 8 Conclusio octava *N1 N2 V H* 8–9 Eadem … Republica] 6 Reip. 17 *MSS* 9 Conclusio nona *N1 N2 V H* 17 amorem … facit] Symp. 46 *MSS* 21 Conclusio decima *MSS* 25 Conclusio undecima *MSS* 25–26 Exercitatio … Republica] 7 Reip. 20 *MSS* 26 Conclusio duodecima *MSS*

3–4 quam … nominavit] 1 Alc. 122a 4–5 Haec … Plato] R. pot. 2 364b ff. 6 quod … refert *cf.* R. 2 365a, Il. 9.497 8–9 Eadem … Plato *cf.* R. 2 364e 10–11 cum … sufficiat] Ph. 2.2, 194b, 14 17 Hinc … facit] Smp. 203b 18–19 divina … placet *cf.* Rhet. ad Al. 1423b, 28–29 25–26 Exercitatio … Republica] R. 7 525ab, 527b, 529a

qui prudenti venatione sagacique vestigatione quaesierit, ad divina pertingit. Dianae enim studia sunt colenda, hoc est, mentes corpore carentes, videndae sunt prius, ut veluti per viciniora in remotissimum divinitatis recessum via teneatur. At vero, quod ante iam diximus, a concretis coagmentatisque corporibus ad purissimas intuendas mentes transire repente non possumus. Nam ea, quae maxime inter se remota sunt, nihil est quod statim excipiat, sed eundum prius est per ea, quae inter utrumque media intercedunt. Non enim ardens aestas in horridam brumam, neque fervens aqua in gelidam transit subito, sed illis autumnum, hic tepentes qualitates necesse est ut mediae intercedant. Medium vero anima inter corpora caelestesque mentes nullum usquam invenit, nisi se ipsam, quae sola qua alit, qua vitam, qua sensum subministrat, corpori iungitur; qua ratione viget, qua intelligentia, qua contemplatione erigitur, mentibus cognata miscetur. Quas ob res sapientiae omnis ianua in anima est, ipsaque se ipsam animadvertat oportet, si Deum summum Deoque familiares mentes inventura sit. Hinc illud adeo necessarium oraculum visum est in Delphis ut nos ipsos intelligamus; quod de animo intelligi defendit superior Alcibiades. Colligo denique, quod si medius ille ordo mentium atque animarum necessario ad transitum in tertium, ubi Deus fulget, desideratur, neque ad tertia illa Iovis regna statim a Plutonis inferis obscurisque corporibus, nisi quasi per Neptuni pelagus et liquidas undas iter patet, neque anima ex solis corporibus divina venatur, sed illa prius norit oportet, quae corporis mole vacant; necessaria ratione aliquid similitudinis exactioris expressiorisque statuendum esse in hoc secundo genere animarum et mentium, quam statutum sit in compactis moribundisque corporibus. Nam si venatio omnis similitudinem sequitur, atque ea similitudo divina, quae in corporibus reperitur, divinis non sufficit rite cognoscendis, nisi secundus etiam ille purorum ordo intelligatur, fieri non potest ut secundus ille ordo propinquior ac proinde similior non sit Deo, quam primus ordo corporum. Diximus corporibus inesse vestigium divinum. Similitudo itaque, vestigio potior, imago nominatur. Illud partem refert, haec totum significat; illud pedes ac remotissima mem-

---

1 prudenti] prudentia *ac. N1*; prudentiae *A* 4 iam ante *tr. N2* 6 inter se maxime *tr. N2* 9 autumnum] autumnus *ac. N2* 16 adeo] a Deo *A H* 19 necessarium *Massa* 23 ratione] *iter. N2* 32 significat *om. N2*

4 Conclusio tertio decima *MSS* 10 Conclusio quarta decima *MSS* 14 Conclusio quinta decima *MSS* 17–18 quod … Alcibiades] Alc. primo 65 *MSS* 18 Conclusio sexta decima *MSS* 30 Conclusio septima decima *MSS*

17–18 quod … Alcibiades] 1 Alc. 130 de

bra, haec faciem vultumque demonstrat. Quare haec sola apparet vestigio praestantior superiorque natura, cui assequendae post vestigium omnes ingenii vires vacent necesse est. Quae omnia eo vergunt eoque nos ducunt ut, sicut in primo ordine corporum solum vestigium posuimus, ita in secundo incorporeoque ordine non solum vestigium, sed etiam imaginem collocemus. In altero corporibus iunguntur, in altero ordinem corporum maxime antecellunt. Hoc illud est quod in Phaedone Plato iubebat, eminus a corporibus fugiendum esse, hoc est, mentem et cogitationem ad Dianam, ad venationem earum rerum, quae sensum latent, convertendam esse, corporum contemplatione ac studio relicto, a quibus veluti a mortali patria exulandum est, ut antiqua felixque animae patria expetatur. Caelo ergo tendentibus exulandum a terra est atque corporibus, et per mentium et animorum campos quasi per liquidiora tranquillioraque maria navigandum. Utrumque oraculum docuit, "longa tibi exilia et longum maris aequor arandum est." Utrumque patriarchae precipit Deus, "egredere de terra tua et veni in terram quam monstravero tibi." Utrumque Dei Filius, "qui vult," inquit, "me sequi, se ipsum reliquat ac sequatur me." Utrumque Apostolus, "exuamus," inquit, "opera tenebrarum et induamur arma lucis." Filium enim Boni qui aspicit, lucem aspicit, ut sexto de Republica vult Plato; qui corpora intuetur, umbras tenebrasque sectatur. Quare post corporum vestigia, animorum ac mentium imago sequenda vestigandaque est. Non eis pugnant quae initio dicta sunt, cum vestigium atque imago non ut contraria, sed ut perfectius imperfectiusque habeantur, ut vivum et intelligens. Obscurum quoque est simul et clarum, quod utrumque participat, velut aurora atque homo, in quo pars corporis sensusque, quae ratione caret, menti rationique coniuncta est; nec magis contraria inter se sunt quam prius ac sequens, fundamentum et domus. Divisio sectioque illa in ea fit, quae tantum talia sunt, sed in mentibus non est tantum vestigium, verum etiam et imago reperitur, cum et natura quaedam sit a Deo genita, et

---

2 post] potest *corr. in marg. N1* 12 expectatur *ac. A* 15 maris *in marg. N1*, *sl. A* 17 filium *N1* 19 Boni] Dei *corr. in marg. N1* 22 sequenda est vestigandaque *tr. V*; sequenda est ac vestiganda *H* | pugnat *Massa* 27 nec] quam *A*; nisi *corr. in marg. N1* | quam] quae *N1* (*corr. in marg.*) *A*

7–8 quod … esse] Phed. 13 *MSS* 14–15 longa … est] Virg. *N1 V H* 22 Solutio prima *MSS* 24 Solutio secunda *MSS* 28 Solutio tertia *MSS*

7–8 Hoc … iubebat] Phd. 65c 14–15 longa … est] Aen. 2.780 16–17 egredere … tibi] Gen. 12.1 17–18 qui … me] Mt. 8.34 18–19 Apostolus … lucis] Rom. 13.12 19–20 Filium … Plato] R. 6 508a

praeterea sit particeps rationis. Perfectior praeterea est imago vestigio, ut homo bruto; non tamen idcirco vel homo Deus est, vel imago divinam omni ex parte naturam ostendit, qualem divinum in caelo spectaculum demonstrabit. Comparatio de aliquo homine posita supra est, dictumque est vestigio naturam humanam significari, quis tamen is homo sit non plane exprimi. Quo intelligi voluimus non divinam naturam vestigio aperiri, sed communia quaedam Trinitatis, qualis natura humana est multis hominibus. Non itaque per haec stat, quin sententia tutissima sit regionem corpoream relinquendam esse atque incorpoream esse adeundam. Quae quidem duo praecipit Sibylla, cum aurum quaerendum media in silva latitans, hoc est, divinam similitudinem ac splendorem intus in humana mente fulgentem; et quoniam id fieri nisi corpore relicto non potest, ideo "iacere exanimum corpus amici," ac proinde, "sedibus hunc refer ante suis et conde sepulcro." Nam seiungi oportet a corpore; id vero morte fit. Duplex seiunctio duplicem mortem facit: altera naturae, philosophiae altera; altera vulgi, altera sapientum. Et quoniam totius rei caput est, seiungi a corpore, ubi sapientum mors sita est, idcirco a Platone philosophia mortis meditatio nominata est in Phaedone, ubi hic locus cumulatissime tractatus est. Qui vero a sensibus ad insensilia transferunt sese, iis geminam obire mortem placet: "Bis stygios innare lacus; bis nigra videre Tartara et insano iuvat indulgere labori." Eosdem Apostolus mortuos et mundo et peccato iudicat, qui a corporeis ambagibus ad spiritalem imaginem amplexandam transierint.

54. *Imago dicenda est similitudo in rationalibus. Et quid imago*

Nomen imaginis recte ne inventae similitudini attribui possit, quam vestigio praestantiorem diximus, nondum satis liquet. Nam si nihil supra speciem potest agere, tanta cuiusque erit actio, quanta species erit. Quare

---

1 praeterea] praeter *H N1* (*ac.*) *V* (*in marg.*); pariter *A* 3 divinum] divinam *ac. N1* 6 volumus *V H* 8 sententia *A* 11 latitans *Massa*; latitantem *MSS* 12 huma[na] *N1* 13 iacere] facere *A* | hunc] hinc *V* (*pc.*) *H* 14 refer] refert *N1* (*pc.*) *A* 19 insensibilia *V A H Massa* 21 insani *Massa* 26 Nam] Plato *H* 27 actio] (ac)tio *coni. Massa*; ratio *V H*

1 Solutio quarta *MSS* 4 Solutio quinta *MSS* 13–14 sedibus … sepulcro] Virg. *N1 V A H* 17–18 philosophia … Phaedone] Phed. 15 *MSS* 20–21 Bis … labori] Virg. *N1 V A* 26 1 *N1 N2 V H*

13 iacere … amici] Aen. 6.149 13–14 sedibus … sepulcro] Aen. 6.152 17–18 idcirco … Phaedone] Phd. 81a 20–21 Bis … labori] Aen. 6.134–135

nihil est, quod putari possit imago sublimioris altiorisque naturae. Deinde, aut actutum significaret id, cuius imago esset, aut significando deficeret. Si deficeret, non recte significaret; quare ne imago quidem dicenda esset. Si non deficeret, recte exacteque cognosceretur Deus a mortalibus. Quae enim exactam similitudinem atque imaginem habent, per eam exacte intelliguntur. Hoc vero iam constitit non ita se habere. Scribit in Theaeteto Plato, cognosci rem minime posse, nisi prius definitio cognoscatur. In Symposio etiam prius vestigandam esse naturam, postea alia exanimanda. Ita in quibus divina imago sit, constabit, cum quidnam imago sit probe constabit. Primo quidem, similitudinem alicuius esse oportet, si enim similitudo non sit, ne imago quidem erit. Non enim Delphinum lapidis imaginem putaremus. Deinceps, ductam esse ex aliquo necesse est. Licet enim ovum sit ovo simile, et beryllus beryllo, neutrum tamen alterius est imago, de cuius forma ductum expressumque non est. Sed ideo Alexandri imago nominata est, quod eam de Alexandri forma vel pinxit Apelles, vel Lysippus effinxit. Ex qua quidem re sumptum nomen imaginis Dionysius ait, quod imago quasi imitago dicatur. Ad haec speciem imitetur oportet, aut aliquid quod speciei peculiare sit, sicuti forma est atque figura. Erit itaque imago similitudo ducta ex aliquo, speciei significationem assequta. Speciem assequtam ideo dicimus, quod si communiora tenuerit, imago non erit. Nascitur quippe ex homine vermis, qui eius similitudinem in genere tantum sortitus est, uterque enim est animal. Est etiam (quod secundo positum est) ex homine ductus, sed speciem non attingit, genus dumtaxat obtinuit. Si etiam rem aliquam candidam imitari velimus, nosque studio candidos reddamus, similitudinem, non imaginem faciemus. Non enim una tantum species alba est, sed multa species, multaque genera candicant; quamobrem neque candor, neque ea quae speciei unius non sunt imaginem prae se ferunt. Haec namque in specie tantum atque in ultimis differentiis locum habet. Haec de imaginis definitione dicta sint. Nunc tandem ad divina transeundum est. Conveniunt aliqua similiaque sunt in eo quod sunt; nam quae non sunt eis, quae sunt, similia non dicuntur. Alia propius in vita conveniunt, ut olea, taurus, aquila. Alia in rerum cognitione, sive sensu, sive alia

10 sit *om. V Massa* | probe *om. H* 20 significatione *Massa* 21 communia *N2* 33 sive] aliqua *ac. add. N2*

2 2 *N1 N2 V H* 7–8 in … cognoscatur] Theaet. 129. *MSS*

7–8 Scribit … cognoscatur] Tht. 200d 16–17 Ex … dicatur] Eccl. hier. 4.1

excelsiore potestate, ut phoca, vultur, homo. Hae si quidem animantes victum sibi sensu ac cognitione conquirunt. Alia similia sunt multo vicinius eis, quae modo diximus ut ea, quae et sunt quidem et vivunt atque cognoscunt; sed cum eis omnibus etiam sapiunt. Quae quidem similitudo non communis, non procul longeve distans, sed vicinissima est et coniunctissima. De qua quidem divus parens meus Augustinus eo libello, qui Octuaginta trium quaestionum inscribitur, ita ait: quod quae hanc similitudinem sortita sunt, ita de proxima similitudine sunt, ut in eis, quae creata a Deo sunt, nihil sit Deo similius. Quamobrem quaecunque ratione participant, speciem quodammodo videntur attingere; quare et similitudinem habent, et de divina idea ducta sunt, et speciem modo quodam assequuntur. Ex quibus fit, ut ea omnia, Dei non modo similitudinem sed etiam imaginem nacta sint, solaque ad Dei imaginem genita existimanda sint. Quod Plato contemplatus, si imaginem Dei habituri simus, non aliam commodiorem quam parentes nostros haberi arbitratur libro Legum undecimo, qui non modo in eo imitantur Deum, quod nos progenuerunt, sed in eo etiam ipso, quod et ratione utuntur et sapiunt. At quod in hanc sententiam adducebatur, nihil agere ultra speciem, de actione id dicitur, qua producenda, non qua significanda res esset. Licet enim marmora gignere deos non possint, manu tamen artificum fit, ut significare eosdem possint. Ut enim Plato in Sophista docet, aquae ac specula imagines et hominum suscipiunt et aliarum rerum, e quibus homines minime oriuntur. Deficit deinde imago nostra, teste Homero, ἦ τοι Ζηνὶ βροτῶν οὐκ ἄν τις ἐρίζοι "nemo mortalium aequiparare deum potest"; Platoque in Parmenide unum nulli simile esse disputat, sed ita deficit a Deo imago humana, ut nihil Deo propius occurrat, in eis quae caeli spatio continentur, paritque intelligentiam minorem beata, vestigio maiorem. Hinc Plato in Charmide, si anima nudaretur, incredibilem pulchritudinem visum iri, dicebat; quippe quae Deo auctori divinaeque pulchritudinis splendori et simillima sit, et plane proxima.

---

1 haec *N1 V A H* 17 quod] quod *N1 N2* (ad *praem. pc.)* 23–24 … ἐρίζοι *om. H* 24 aequiparare deum potest *eras. A* 26 iis *A H*; is *N1 V H Massa*

17 Solutio prima *N2* 21–23 Plato … oriuntur] Soph. 47 *MSS.* 23 Solutio secunda *MSS*

6–9 Augustinus … similius] Quaest. 51,2 14–16 Plato … undecimo] Lg. 11 931ad 21–23 Ut … oriuntur] Sph. 239d 23–24 … ἐρίζοι] Od. 4.78 24–25 Platoque … disputat] Prm. 140a 27–29 Hinc … dicebat] Chrm. 154de

55. *Hominem et animam imaginem esse. Quid homo sit. Conciliatioque*

Ubi in universum de imagine actum est, quae in iis caelata est, quae mentem participant et rationem, nunc agendum de his seorsum est, ut palam sit divinum illud aurum quam diversa ratione in humanis animis atque in caelestibus mentibus videatur. A nobis itaque initium sumentes, an in nobis et hominibus et mortalibus imago sit, primo quaeremus. Si enim decimo Metaphysices libro legimus mortali immortalique rei nihil esse commune, quonam pacto tanta in homine ac Deo similitudo erit, ut alterum imago dicatur alterius? Idem potest etiam de anima dubitari. Nam quis in ea divinam ponat imaginem, quam Plato non Deo, sed monstris portentisque persimilem faciebat? Neque antequam scelerum labes contrahat, imago dici potest. Nam tum quidem tabellae similis est, in qua nihil est pictum, ut Aristoteli placet. Quare et summa inscitia premitur, nec illius imago nominari apte potest, qui cum sapientissimus, tum etiam sapientia ipsa est. Quod etiam si novas sibi notitias non compararet, semperque formis plena intus exuberaret, ac cum videretur nova discere, tum veterum reminisceretur, id quod scriptum legitur in Menone atque etiam in Phaedone; nec sic quidem imago defendetur. Quae enim sunt in anima, non idem cum anima sunt. Quamobrem si imaginem divinam eam esse credemus, hallucinabimur potius atque in errorem adducemur. Putabimus enim fortasse ita res se habere in divina natura, quemadmodum humana in anima sese habent. At divinis accedendum est oraculis, ut voluit Plato, ac de divinis rebus credendum est maioribus, teste Timaeo, qui, Deo propiores, divina et suspexere et posteris suscipienda tradidere. Hoc loco illud in controversiam venit, quidnam homo sit, idne quod ex anima conflatur et corpore, an ipsa ex se anima. Aliis prior sententia placuit, quibus Aristoteles astipulari videtur, qui animam hominis formam, non hominem appellavit, cum actiones humanas non

---

2 Conciliatio *N2* 4 nunc] nec *corr. in marg. N1* 7 mortalibus] immortalibus *ac. A* 13 tunc *V*; nunc *H* | quidem *om. H* 19 defenderetur *Massa* 21 eam *sl. A* | credimus *V H* 25–26 suspicienda *N2* 26 controversia *A*

7 1 *N1 N2 V* 10 2 *N1 N2 V* 13–14 tabellae … placet] 3 De Anima *N1 N2 V H* 16 4 *N1 N2 V H* 17–18 cum … Menone] Men. 25 *MSS* 19 etiam in Phaedone] Phedon. 24 *MSS*

11–12 imaginem … faciebat] R. 10 611d 13–14 tabellae … placet] de An. 3, 4 430a,1 18 veterum … Menone] Men. 81d ff. 19 in … Phaedone] Phd. 72e, 73ac, 75ae, 91e, 92cd 23–25 At … Timaeo] Ti. 40d 28–29 quibus … appellavit] de An. 1, 4 408b 12 ff.

animae, sed homini existimaverit esse tribuendas, putaritque non magis intelligere animam dicendam esse, quam vel texere, vel lanae pensa trahere. Nam totum ut gigni atque esse, ita etiam agere putavit; animam vero formamque omnem, esse non quidem id quod agat, sed id quo totum agat, arbitratus est. Quamobrem quibus hoc placet, hominem ad divinam imaginem esse genitum, non corpore aut toto, sed anima dumtaxat, ita quod totus homo ad imaginem genitus dicatur. Id tamen animae gratia non totius dici. Alii, contra, haec omnia everterunt. Primo quidem hominem non totum, sed animam solam esse credidere, corpus vero hominis organum, non partem, fecerunt. Cuius quidem sententiae Plato princeps fuit, is siquidem in Alcibiade superiore defendit animam esse hominem. Quod quidem haud temere sensit, verum etiam rationibus comprobavit. Quarum quidem ea una est quod id, quod rebus fere omnibus utatur, homo dici velit. Atqui anima est, quae et rebus aliis et corpore utitur, non corpus anima. Quare anima, non corpus, neque quod constat ex corpore, homo erit; ut nemo, quod ex veste vel gladio constat, vocat hominem, quibus ille quidem utatur, velut corpore utitur. Qui itaque cum Platone sentiat, hominem totum (ita enim vocat animam) ad Dei imaginem genitum putabit, facietque ut divinus sermo et recte et proprie dixerit hominem ad imaginem Dei factum esse; quod alii defendere non possunt, nisi ratione formae id dictum intelligant; quod cum dicunt, Mosen non proprie loquutum dicant necesse est. Alii Mosen defendunt ex communi loquendi usu, cum tabellam Veneris imaginem Veneris nominare soleamus ob eam, quae in tabella picta est, imaginem. Sed quamquam perbella quidem ista dicta sint, ipsa tamen se ipsa conficiunt. Innuit enim eam, quae picta est, proprio vocabulo vocari imaginem, non lignum, non tabellam. Neque audiendum est vulgus ubi astat ratio. Neque improprie loqui dicendus est, qui proprie dixisse defendi potest, de sermone praesertim, qui refertur consensu omnium in auctorem Deum. Haec late inter novos theologos disputata sunt, cum agunt, an in rerum essentias introducenda materia sit. Negavit id Plato, qui in Timaeo scribit hunc quem materiae iunctum videmus, non ignem, sed ignitum dicendum esse. Ut sceptrum ligneum, non aurum sed auratum diceremus, quod aliquid

8–9 hominem] evertunt *ac. V* 11 is siquidem Is quidem *N2* 18 sentiat *Massa*; sentiret *N2*; sentirent *N1 V A H* 25 innui *Massa* 27 audiendus *Massa*

11 Alcibiade … hominem] Alcib. 1.61 *N1 V A H* 31–32 in … esse] Tim. 120 *V A H*

11 in … hominem] 1 Alc. 130ac 31–32 in … esse *cf.* Ti. 18 51bc

auro extrarium contineret. Contra, Aristoteles essentias rerum ut simae naris esse constituit, quae sine subiecto non debeant definiri. Et, si cum Platone sentias, formam atque essentiam rem totam putabis, neque aliter materiam nisi ut vehiculum desiderari. Quod ait animam non intelligere, ut neque net neque texit, imposturam dices ac rem fictam. Nam omnium actionum humanarum voluntas atque anima auctor semper fuit. Quod ait "ut gignitur et est cum materia," sequitur dumtaxat quod cum materia agat, quamquam etiam intelligere ac velle, et id genus actiones, subiectum materiamque non desiderent. Conciliari magni hi principes possunt, duplices si ponamus essentias rerum, materia ac corpore liberas, et in materia iacentes; participatas ac participantes; illas Plato, has Aristoteles sequitur; atque ideo inter se magnos hos philosophiae duces minime dissentire ac ne confingere haec ipsi videamur, ipsi audiendi philosophi sunt. Nam ut de homine, de quo nunc agitur, loquamur, idem Plato qui animam in Alcibiade facit hominem, in Timaeo postea duplicem vocat hominem, alterum quem sensu, alterum quem ratione cognoscimus. Eodem quoque libro praecepit, ut homo totus non parti alteri vacet, sed utramque curet. Quin et Aristoteles decimo Ethicorum libro intellectum verum vocat hominem; ut scias utrumque philosophum eadem sentire, quamvis alter non eadem dicere voluisse videatur. Uterque in hac re sacris consentit litteris: Apostolus utrumque hominem interiorem externumque saepe commemorat. Adde quod in supplicationibus divos invocamus et Petrum et Paulum et Augustinum, cum tamen nudas eorum animas in caelo esse, receptum sit, quorum corpora horum Romae, illius Papiae servata sunt. Id non esset, nisi Petri animam Petrum, Pauli Paulum, Augustini Augustinum senatus sacrosanctus censuisset. Utrumque igitur defendi potest et animam solam et ipsum etiam totum divinam imaginem continere. Sed animam ex se, totum vero alterius partis causa. Quod anima imagine divina caelata sit, tunc latius constabit, cum partes ostendemus imaginis. Nunc imaginis definitione contenti, alia

1 aurum *ac. V* 2 debeant *Massa*; debeat *MSS* 7 dumtaxat sequitur *tr. A* 10 ponemus *N1 N2 A* 17 Eodem quoque] eodemque *N2* 26 sacrosanctus] esse *add. A* | censuisset] esse fuisset *corr. in marg. N1*

4 Solutio Rationum *MSS* 15–17 Timaeo … cognoscimus] Tim. 86 *MSS* 17–18 Eodem … curet] Tim. 242 *MSS*

1–2 Aristoteles … definiri] Metaph. 6.1 1025b32–33, 10.7 1064a 23 ff. 14–15 Plato … hominem] 1 Alc. 130c 15–16 in … hominem] Ti. 46d 17–18 Eodem … curet] Ti. 88b 17–19 homo … hominem] EN 10.7 1177b ff. 21–22 Apostolus … commemorat] *e.g.*, Rom. 7.22; Eph. 3.16 21 interiorem] 2 Cor. 4.16

omittemus. Nam et similitudo est in anima, cum eadem possideat, quae corpora quoque possident, quae supra Deo modo quodam similia esse monstratum est. Sed et similitudo multo maior, cum impartibilis sit, ut Deus, quod corpori dari nequit. Facta quoque a Deo est longe alia ratione, ut in Timaeo docet Plato quam corpus. Hoc enim natura qualitatibus, illam Deus gignit qualitatis immunem. Quare corpus vel terrae vel elementis aliis, anima vero caelo Deoque adscribi solet. Quod et in Timaeo Plato, et libro De animalibus Aristoteles, et in Aeneide Maro fecit. Ait enim, "igneus est illis vigor et caelestis origo." Habet praeterea tertium, quod ad imaginem pertinet, quod speciem quadam ratione sectatur. Mentis enim compos est, immortalis est, molis expers est, humanarum divinarumque rerum contemplatrix est. Quae omnia cum divina sint, sola inter animantium formas anima humana sortita est, atque rerum cognoscendarum lux, quae Deo tribuitur, in superiori parte hominis intelligentis impressa est. Quod in Psalmo scriptum legitur, "signatum est super nos lumen vultus tui, Domine." Et Maro e Platone transcripsit igneum illis vigorem esse, quod de luce intelligi voluit. Hanc vero sententiam, quod anima imago Dei sit, et in Timaeo posuit Plato, cum dandam esse operam monet, ut origini suae mens nostra similis reddatur. Quod si originem ducit, ut supra dixi, ex Deo tantum, ita imago dicenda ipsa est, quatenus formae aliae dici non possunt. Libro etiam undecimo Legum cum de Deorum imaginibus ageret, nullas esse putat accommodatiores, quam parentes, ut ante docuimus. Atque in Alcibiade priore intellectum divini similem, Deum et sapientiam intelligere testatur, si oraculo pareat, iubenti ut nos ipsos cognoscamus, hoc est, ut animam intelligamus, quam qui ignorat, divina ignoret necesse est, nihilque fere a belluarum inscitia differat. Nam ii, quos non regit ratio, induunt brutorum affectus, ut nono Reipublicae dicitur. Rationi parere non possunt, quibus ratio rationisque capax anima ignota est. Quare ne in bruta inci-

---

9 illi *A*; ille *H* 18 anima *in marg. A* | in *om. Massa* 19 monet] ponat *corr. N2* 26 ignorat *in marg. N1* 27 belluarum] bellicorum *corr. in marg. N1*

6–8 corpus … Plato] Tim. 52 *MSS* 8 De … Aristoteles] De an. 69.16 *N1 N2 V*; 16 *H* 9 igneus … origo] Aen. 6 *N1 V A H* 15–16 signatum … Domine] Ps. *N1 V A* 16 Et … transcripsit] Virg. *N1 V A H* 17–18 sententiam … Plato] Tim. 248 *MSS* 21–22 undecimo … ageret] 11 Leg. 26 *MSS* 23–24 Alcibiade … testatur] Alc. primo 69 *MSS* 27–28 ii … Reipublicae] 9 Reip. 34 *MSS*

4–5 Facta … corpus] Ti. 41c 7–8 in Timaeo Plato] Ti. 42a ff. 8 libro … Aristoteles] GA 2.1 731b 22 ff. | in … Maro] Aen. 6.730 15–16 signatum … Domine] Ps. 4.7 17–18 voluit … Plato] Ti. 90d 21–23 Libro … parentes] Lg. 11 931ad 23–24 in … testatur] 1 Alc. 133c 27–28 Nam … dicitur] R. 9 590ab

damus, anima nobis cognoscenda est, ubi divina imago cognita, in divinam nos originem traducit. Imaginem illam divinam, hoc est, seipsum atque animam quia cognoscebat Socrates, est omnium sapientissimus ab oraculo iudicatus, id quod in Apologia idem ipse fatetur. Quam quidem rem Maro late persequitur, cum Aeneam in patriam tendentem, prius ad animas cognoscendas adducit, quibus omnis fere libri sexti studium collocatum est. Eo vergit quod in Canticis Deus animae dicit, "si ignoraveris te, O pulcherrima mulierum, vade et curre post vestigia gregum tuorum," quibus quidem admonet, nisi anima divinam in se agnoscat imaginem, brutis similem esse. Constat itaque imaginem divinam esse in anima, quam nosse oportet, ut divi per eam cognoscantur. Commune vero nihil Deo mortalibusque esse idcirco oportet. Imago enim haec participata est, alterius longe rationis, quam Deus sit, quem tamen omnium, quae in terris sunt, maxime propinquissimeque significat. Quod enim longe illo inferior sit imago nostra, in Hippia maiore Plato disseruit, qui hominem (si Deo comparatur) simiam facit. Portentis vero similem animam Plato vocat, si habitus pravos scelestorum, non si naturam aut probas actiones bonorum consideraveris. Mores enim accusat, non naturam. Nono enim de Republica libro animam et Cerberum vocat et Chimeram, cum tamen prius dixisset eandem esse ratione dominante felicem. Nudam autem animam tabellaeque non pictae similem negat esse Plato in Phaedone, nec Aristoteles contrarius, ut videtur. Averroes enim in tertio De anima libro semper plenam sapientia animam intelligentem ex Aristotelis sententia affirmat. Nudam autem non in se, sed in nobis rudibus esse vult, quod Platonis sententiae, ut Averroes fatetur, propius accedit. Quod denique accidentia esse, quae menti nostra insunt, non desunt qui id negent verum esse, ut Averroes in Destructione destructionum ait, ita enim liber inscribitur, in Algazalem destructione septima. Sed etiam

---

1 cognoscenda nobis *tr. N1 N2 A* 5 late Maro *tr. A* 11 ea *Massa* 22 Aristoteli *N1 N2 A*; Aristot. *abbr. V H* 26 denique] adducebatur *add. Massa*

4 Apologia] Apol. 9.10 *N1 N2 V A* 5–6 Maro … adducit] Virg. *N1 V A* 11 Solutio prima *MSS* 15–16 Hippia … facit] Hipp. Ma. 15 *MSS* 16 Solutio secunda *N1 N2 V H* 19–20 Nono … Chimeram] 9 Reip. 26. 29 *MSS* 21 Solutio tertia *MSS*

2–4 Imaginem … fatetur] Ap. 21a, 23b 4–7 Quam … est] Aen. 6 7–9 si … tuorum] Cant. 1.7 15–16 in … facit] Hp.Ma. 289b 19–20 Nono … Chimeram] R. 9 588c ff. 21–22 Nudam … Phaedone] Phd. 76c 22 nec … contrarius] Comm. de An. 3.14 26–27 Quod … ait] Dest. 6, f. 79^{v}, a b; ll. 51–52

si accidentia sint, nihil repugno. Non enim idem esse, sed simile diximus. Ait tamen Platonicus Lysis, dissimillimum dissimillimi simillimum esse.

56. *Angelus imago est. Diana, Luna, Endymion*

Quamquam de anima iam satis id constat, de mentibus tamen caelestibus, quos angelos nostri vocant, dubitari possit, tametsi natura praestantiores sint, non tamen ad imaginem Dei factos, sicuti de homine legimus. Dicitur praeterea veritas, qua mens cognoscendo rem aequat. Sed per mentes quantumvis notas, Deum contemplando non aequabimus. Non igitur imaginis veritas in illis esse potest. Ab Hilario etiam definitur imago, quod est rei ad rem coaequandam indiscreta atque unita similitudo. In mentibus unitas illa non est, quam Deus obtinet, ut prius diximus, neque Deum aequare ea similitudo potest. Quare nec imago statuenda in illis est, quae spatio interminato a Dei immensitate seiunguntur. Si anima quae mortalis corporis carcere devincta est imaginem divinam adepta est, quid de caelestibus putandum est mentibus, quarum quidem natura ab omni mortali corpore abest procul, ac proxime immortalitati divinitatis accedit? Nam si species numeris comparantur, quanto illae unitati sunt propiores, tanto efficaciorem imaginem prae se ferant par est. Adde quod naturam rerum ea, quae naturam sequuntur, manifestant, ut quinto Reipublicae libro didicimus. In iis, quae intelligunt naturas intelligentium, ex intelligentiae ratione differentiaque venabitur. Divina quippe intelligentia et semper Deo inest, et idem cum divina natura est. In homine nec semper, nec idem animae natura dici potest. In mentibus vero caelestibus, licet non idem cum natura sit, inest nihilominus semper; neque e sensilibus venentur, ut homines, necesse est. Quare in Symposio ita Plato sentit immortales Deos minime philosophari. Rerum enim naturas illi per se norunt, quas homines sensuum

---

15 mortali *N1 V A H* 18 numerus *corr. in marg. N1* 19 ille *N1* 20 pars *A* 23–24 natura divina *tr. A* 26 sensilibus] sensibilibus *V H Massa*

2–3 Platonicus … esse] Lys. 8 *MSS* 6–7 1 *MSS* 8 2 *N1 N2 V H* 10 3 *N1 N2 V H* 15 1 *N1 N2 V H* 18 2 *N1 N2 V H* 20 3 *N1 N2 V H* 20–21 quod … Reipublicae] 5 Reip. 13 *N1 V H* 27–28 in … philosophari] Symp.46 *N1 N2 V*

2–3 Ait … esse] Ly. 215d ff. 10–12 Ab … similitudo] Lib. de syn. 13 PL 10.490 18–20 si … est *cf.* Epin. 990c 20–21 naturam … libro] R. 5 454b 27–28 in … philosophari] Smp. 204a

auxilio multo labore vel inveniendo vel audiendo conquirunt. Quas ob res natura intelligentium creatorum bifariam secatur. Partim enim vestigia in silvis sectatur rerum divinarum, partim ab hac nostra silva procul caeli regiam tenens, sensilium venationem non desiderat. Hinc animorum soboles, inde caelestium mentium expedita natura; altera Diana in silvis, altera luna in caelo dici voluit. Diana quidem virgo habita, quod silva materiaque libera ex se sit, silvis tamen sanctae gratia venationis addicta; luna eadem dicitur, mentes enim caelestes naturam eandem simplicem et intelligendi potestatem habent. Ideo eadem non numero, non specie, sed genere dici solet. Id genus mentium, quod lunae nomine vocatum est, adeo imaginem habet nostra imagine praestantiorem, ut magnopere ament nostram excolere et limpidis radiis lucis suae nostrarum silvarum tenebras illustrare. In monte Latmo Endymionem adamasse dicta est, sopitumque nocte osculari consuevisse. Quae fabula ratione non caret, sed nos amari docerique ab illis significatum est. Sopor humanorum contemptum, mons sublimia indicat studia divinorum. Quare si ad divina nos attollunt, manifestissimum est imaginem illis inesse tanto excellentiorem, quanto naturam Deo viciniorem nacti sunt. Moses autem de nobis ideo potius quam de illis scripsit, ut de ea natura loqueretur, quae magis in dubium poterat revocari. Aequare rem dicuntur ille imagines, quae id, cuius imagines sunt, exacte significant. Atqui ita significari per imagines has non potest Deus, sed ideo verae imagines solent nominari, quod aliquid per eas contemplamur inesse Deo, quod vere illi inest, quemadmodum contemplamur. Hilarius vero imaginem definit non omnem, sed perfectam, quae sine eadem natura reperiri non potest. Quare Dei filius et perfectam similitudinem habet et id aequat, cuius imago est. Aliae vero imagines, ut naturae, in quibus sunt, a Deo quam longissime seiunctae sunt. Id sermonis usu etiam prodere sacri auctores conati sunt; nam Verbum imaginem creata ad imaginem dixerunt. Quod non aliud sibi vult, nisi accessum quaedam ad similitudinem imaginis, quantum creata sustinet natura. Qua ergo similis est, imago dicitur; qua dissimilis, dicitur ad imaginem, ut lunae accidit, quae hinc soli similis est, qua illum attingit, hinc dissimilis est, qua non attingit.

---

4 sensilium] sensibilium *V H* 7 materiaque *Massa*; materieque *MSS* 11 adeo] a Deo *A* | imagine *om. Massa* 13 Latmo *add. N2 Massa* 19 ea *om. A* 20 rem *om. Massa* 22 vere *N1* 24 imagine *A* | definit] defendit et *praem. V H*; defendit et definit *V H* 28 auctores] doctores *corr. in marg. A* 31 Qua] quia *V* (*pc.*) *H* 33 est *om. V H Massa*

18 Solutio prima *N1 N2 V H* 20 Solutio secunda *N1 N2 V H* 24 Solutio tertia *N1 N2 V H*

57. *Imago in angelis praestantior hominis imagine est. Pieridesque victae*

Dianam et lunam imagine divina signatam esse, iam liquido constitit. Sed et illud hic postulat locus vestigari, utra potior imago sit, quae homini, an quae diis data est. Utar enim deorum nomine cum Psalmo, ne semper "caelestes mentes" dicere opus sit. Non desunt argumenta quibus hominis partes tueamur. Imago enim praestantior ea est, quae magis est eadem cum eo, cuius est imago. Homo ita cum Deo est idem, ut idem et homo sit et Deus, quod de nullo secundorum deorum dici potest. Quare maior in homine imago esse videbitur. Diximus praeterea imaginem unam tantum perfectam esse eam, quae in Dei filio collocatam dicunt. "Imago enim substantiae eius" ab Apostolo dicitur. Et Plato sexto de Republica patri simillimum, hoc est, perfectae similitudinis vocat. Sed homini concessum est esse Dei filium, diis aliis concessum non est. "Cui enim angelorum dixit," ut Apostolus ait, "filius meus es tu?" Quibus quidem humana conditio non modo aequare, verum etiam superare videtur deorum naturas. Si vero non ea, quae homini accidunt, sed naturam ipsam humanam deorum caelestium naturae comparabimus, nemo non videt et deos hominibus et deorum imaginem humanae imagini longe esse anteponendam. Immortalia enim omnia quis non mortalibus omnibus anteposuerit? Si tamen invicem similia comparentur, ne materiam aut quantitates eius homini praecellere quis putarit. Incorporea praeterea corporeis praestantiora sunt, ut anima est corpore pretiosior. Operatio etiam potior arguit potiorem esse naturam. Dii semper longeque exactius norunt omnia, quam homines. Quare et multo sunt hominibus superiores. Deo vero similiores esse eos, multo est notius quam ut rationibus monstrandum videatur, cum puri simplicesque actus sint, ut in Metaphysicis demonstratum est, quae quidem homini convenire non possunt. Quare et eorum tam natura, quam imago, hominis tam

---

1 praestantior] posterior *A* 3 signatam] signata *Massa* 5 an quae] antiquae *A* | enim *om. V Massa* enim *add. H*; *om. cett. Massa* | Psalmo] i. e., 'elohim.' *add. N2* 8 Homo] non *A* | est] ita *praem. V* 22 quantitatem *A* 23 corporeis] incorporeis *ac. A* 29 tam *sl. N2*

7 1 *N1 N2 V H* 10 2 *N1 N2 V H* 12–13 sexto … vocat] 6 Reip. *N1 V A* 20 1 *N1 N2 V H* 22 2 *N1 N2 V H* 24 3 *N1 N2 V H* 26 4 *N2*

12 Imago … eius] Hbr. 1.3; Coloss. 1.15 12–13 Plato … similitudinis] R. 6, 19; 508b 15 Cui … tu] Hbr. 1.5; *cf.* Ps. 2.7 26–28 Deo … Metaphysicis] Metaph. 12 1073a 30 ff.

naturae, quam imagini praeponenda est. Quod Psalmus apertissimum fecit, cum ait, "Minuisti eum paulominus ab angelis." Hoc sibi voluit fabula Musarum, Pieri filias cantando vincentium, ut nemo quanta vis virtutum gloria praestans tantum audeat, tantum sibi arroget, ut de praestantia cogitet certare cum diis; quod si qui facient, Picarum more verbis frustra strepent, et risum, interritumque reportabunt. Quam ob rem Plato in Phaedro docet animas hominum illos imitari, ut eorum ope Dei optimi maximi atque ideae se similes reddant, quam maxime fieri potest. Ubi eorum praestantiam docuit, quorum opem posuit mortalibus necessariam ad Deum cognoscendum vel amandum. Quapropter in Critia Plato Deos statuit terrarum orbem sortitos atque optimos esse mortalium curatores. Quae res adduxit et Homerum, ut Ulixi Minervam, et Maronem, Aeneae Venerem praeficeret ducem, quarum opera studioque factum est, ut illi et discrimina evaderent et summam sibi gloriam compararent. Quod quidem haud fecissent, nisi tanto deos hominibus, quanto homines bobus praestare existimassent. Capra enim capras non pascit, sed homines, ita nec homines homo, sed dii; idque quarto Legum libro scribit Plato. Quas ob res tam deorum imago est sublimior nostra natura, quam est natura praestantior, qui nisi longe meliores hominibus natura essent, haud fas esset ut mortalium rebus consulerent atque providerent. Neque ad rem faciunt, quae supra contradicunt. Nam de natura sermo, non de unico naturae accidente est institutus. Cum enim comparantur aliqua, naturae comparantur, aut illae naturarum affectiones, quae ex internis naturae initiis proficiscuntur. Quod vero homo factus sit Deus, non ex interna affectione naturae, sed ex externa Dei misericordia dimanavit.

---

1 imaginis *A* 7–8 Deo optimo maximo *A* 13 Aeneae] ut *praem. N2* 15 tantos *V H* 17 idque *Massa*; id quod *MSS* 19 natura *om. N1 N2 A* 21 Neque] nec *N1 N2*; haec *A*

2 Minuisti … angelis] Ps. *N1 V* 7–8 Phaedro … reddant] Phed. 29 *MSS* 10–12 Critia … curatores] Crit. 5 *MSS* 12 Homerum … Minervam] Homerus *N1 V A* 16–18 Capra … Plato] 4 Leg. 10 *N1 N2 V H* 21 Solutio Rationum *N1 N2 V H*

2 Minuisti … angelis] Ps. 8.6, *cf.* Hbr. 2.7 7–8 Plato … reddant] Phdr. 248a 10–12 in … curatores] Criti. 109bc 12 Homerum … Minervam] Od. 1, 301–302 13 Maronem … Venerem] Aen. 2.619–620 16–18 Capra … Plato] Lg. 4 713d

58. *Imago in homine potior quam in angelo est modo quodam. Daphnis*

Quamquam vero ita se res habet, quod in iis, quae diximus, mortalibus dii praestent immortales, aviditas tamen quaedam mentis humanae et quidam amor sui explorare studet, restet ne via ulla, qua immortalibus praeponantur mortales. Volumus enim, si diis placet, etiam immortalibus anteferri, adeo et ambitiosi et nostri plus aequo amatores sumus. Verum qui fieri id potest, cum praestantia naturae respondeat, altioremque naturam maior semper praestantia sequatur? Dii nec corpori nec morti addicti sunt; quare non illis potiores esse homines possunt et corporei et mortales. Loci quoque sublimitas rei, cui locus tribuitur, sublimitatem arguit, ut duodecimo Metaphysices libro Aristoteli placet. Quare qui caelum habitant, iis, qui terram incolunt, longe excelsiores habendi sunt. Profecto nemo adeo absurdus est, qui non videat, ut stellis, ut lunae, ut soli humana corpora, ita diis immortalibus cedere genus humanum, si ex iis utrumque censeatur, quae ad naturam pertinent, atque ex se sequuntur comitanturque naturam. Sed nihil tamen prohibet modo aliquo deos immortales a mortalibus vinci hominibus, si quaedam hominum spectes accidentia. Videre enim est multa, quae cum natura superent, quibusdam tamen affectionibus superantur; ut homo, cui dixisse Deum Platonicus Timaeus ait, "Animantium omnium princeps esto." Princeps quidem natura est animantium omnium; verum ut ea omnia antecellit natura, ita a plerisque eorum nonnullis affectionibus antecellitur. Nam praeter cursum vel cervorum vel leporum, non sine ingenti invidia cernit aviculis alas esse tributas, et quamquam patriam sibi facit caelum, aereos tamen tractus avibus concessos perpetuo sibi negatos esse dolet. Olfactum canibus, vires leonibus, lyncibus aquilisque obtutum, ac aliis plerisque sensus aliquos nemo non tribuit multo meliores. Apollini quoque quaedem dicatae animantes sunt, vel ob inventas herbas, vel etiam ob quandam vaticinii partem. Quid? quod non modo ab animantibus,

---

1 potior quam] potiusquam *A* 4 aviditas] auditas *ac. N1* 7 adeo] a Deo *N1 A* 9 natura *Massa* 12 Metaphisice *N1* 17 aliquos *A* 18 hominibus vinci *tr. N1 N2 A* 19 videre videri *Massa* | naturam *V H* 25 faciat *A* 26 acreos *N1 V* | actus *ac. N1* 27 lyncibus aquilisque] lyncibusque ac aquilis *V*; lyncibus ac aquilis *H* 28 aliquos] aliquot *N1 N2 V A* (*pc.*) | multo meliores *in marg. V*

8 1 *N1 N2 V H* 11 2 *N1 N2 V H* 21 Timaeus … esto] Tim 83 *MSS*

11–12 2 … Metaphysices *cf.* Cael. 2. 5 288a4–5 21 Animantium … esto] Ti. 41c

verum etiam ab iis, quae anima sensuque carent, multis admirandisque actionibus superamur. Herbarum enim lapidumque vires non solum non aequantur a nobis, sed ne noscuntur quidem. Quas ob res quamquam omnibus tam animantibus, quam anima carentibus natura praestamus, obstat tamen nihil quibusdam in rebus praecelli. Hinc fingendi materia late patuit; homines quosdam vel in bruta, vel in arbores, vel etiam in res alias esse conversos, tamquam meliora, aut ipsis optantibus, aut diis commiseratione concedentibus, ut Daphnim ferunt in laurum versam, quod impetrasse a diis fama est, ut vim Phoebi insectantis effugeret. Conversio solis in circulo declivi ortus obitusque rerum facit, ut in libro De generatione scripsit Aristoteles; idque a Platone sumptum est, nam 21 Theaeteto et libro septimo Reipublicae suae, solem rerum omnium, quae gignantur, efficit auctorem. At idem gignendi ex se ac necandi ex accidenti causa est; nam alterius quidem ortus ex alterius consurgit interitu. Quare in Cratylo Plato Apollinem ait horridum nomen sortitum fuisse, quod nonnisi a necandi vi ductum arbitratur. Quare et semper iaculantem eodem libro nominat, et Homerus saepissime longe nominat sagittantem. Fugit autem corruptorem et generationis amatorem humana anima, quae si diis cara est precibus et pietate divinam implorat opem, mutatur in laurum, hoc est, rerum gestarum gloria perpetuo viret, nec frondium honorem umquam amittit, nec decus perdit semper virentis immortalitatis. Quare optandum nobis est, ut vertamur in laurum, hoc est, sicut interpretatur Apostolus, ut immortale hoc induat immortalitatem, vitamque assequamur, nullas timentem hiemes, sed perpetua viriditate florescentem. Quod quidem satis se consequuturam sperabat antiquitas, si post obitum rerum gestarum fama superviveret. "Non omnis moriar," Horatius ait; nemoque poetarum fuit umquam, qui id sibi non repromiserit, speraritque Daphnim et musam suam non in perpetuo virentem laurum transituram, ut videlicet conditio in conditionem, et mortalitas, ut ita dicam, in immortalitatem vertatur, non

---

1 animo *Massa* 10 declivi] de olivi *corr. in marg. N1* 12 Theaeteto] et in *praem. N2* 17 semper] super *corr. in marg. N1* 25–26 consequituram *V* 29 virentem] vim rentem *corr. N1*

15–16 Cratylo … fuisse] Crat. 37 *MSS* 17 semper … nominat] Crat. 44 *N1 N2 V A* 27 Non … ait] Hor. *N1 V A*

10–11 Conversio … Aristoteles] GC 2, 10, 336a, 30 ff. 11–12 Aristoteles … est] Tht. 153d | idque … est *cf.* R. 6 509b 15–16 in … fuisse] Cra. 484e 17 semper … nominat] Cra. 450c, 406a 17–18 Homerus … sagittantem] Il. 1.14, 21, 75, 370, 373, 5.404 etc. 23 sicut … Apostolus] 1 Cor. 15.53 27 Non … moriar] Car. 3,30,6

ut natura transeat in naturam, praestantius enim deteriora non appetit, nihil enim esse potest quod malum appetat. Quorsum haec tam multa? Ut viam fere fabulamentorum omnium aperiamus, in quis semper spectanda est affectio, non natura. Hinc Diomedem diis fortiorem Homerus introduxit, quippe qui Venerem Martemque vulneraverit et victos in caelum non sine ignominia remiserit. Qua quidem re intelligi voluit homines diis esse nonnullis affectionibus, non universa natura meliores. Quod si affectiones requiras, quibus illis praestemus, permultae quidem illae sunt. Una est, quod cum illi sola mente vigeant, nos mente sensuque pollemus. Altera quod mentem atque intelligentiam a natura illi acceperunt, nos illam nobis virtute atque studio comparamus. Cumque in difficili sita virtus sit, illi facilem vitam habentes dicuntur ab Homero. Nos multorum annorum labore ac patientia, inter tot casus ac tot difficultates, "per tot discrimina rerum tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas ostendunt." Quid? quod ut magnus Deus mundo magno imperat, ita hominis anima in parvo corporis mundo sua etiam exercet imperia. Et haec quidem de iis, quae naturam quodammodo respiciunt; in his vero, quae ad divinam amicitiam et ad beatam faciunt vitam, nemo dubitat diis immortalibus homines fuisse praelatos. Peccata enim hominum veniam impetrant, deorum caelo cadentium numquam impetrant. Quod ab Homero in Ate, e caelo deturbata, manifestatum est, quam Deus iurat numquam postea in caelum redituram. Quis enim non videat quanto praestantius sit genus nostrum, cuius pars in terris progenita ascendit in caelum, quam id genus, cuius pars, quamquam genita in caelo, perpetuo exulabit in terris? Quod si etiam partem alteram deorum contemplamur, quae immunis peccati est, non deest nobis in quo illis praestemus. Nam et ministri hic nostri sunt, ut Ioannes ait, et in Psyche confinxit Apuleius. Nam et Plato primo de Republica pastores omnes non sibi, sed gregibus dare operam docet. At decimo Legum libro deos pastores hominum

3 in quis] inquis *N1 V A H* 11 atque] ac *V H* | in *om. A* 13 inter] per *A* 18 vero] animo *add. N1* (*in marg.*) *A* 20 numquam impetrant *om. A* 23 nostrum] homanum (*sic*!) *corr. in marg. A*

12 illi … Homero] Hom. *N1 V A* 14–15 per … ostendunt] Virg. *N1 V A H* 20–21 Quod … est] Hom. *N1 V A* 28–29 primo … operam] 1 Reip. 35 *MSS* 29–167.1 decimo … facit] 10 Leg. 29 *MSS*

4–5 Diomedem … introduxit] Il. 5.129–132, 327–380, 455–459, 814–887 14–15 per … ostendunt] Aen 1.204–206 20–21 Quod … est] Il. 19.126–129 27 ministri … Ioannes *cf.* Hbr. 1.7, ex Ps. 103.4 | in … Apuleius] Apul. Met. 5.2, 5.3 etc. 28–29 Plato … operam] R. 1 345d 29–167.1 decimo … facit] Lg. 10 905c

facit, qua in re nobis ut inferiores sint necesse est. Semper enim deteriora melioribus serviunt, ut in Gorgia disseruit Plato; semperque deterius sit causa melioris. Ad haec, ut Senatus censuit Virginem, quae Deumhominem peperit, super omnes deos evectam atque exaltatam, Deusque ipse optimus maximus non pro diis, neque ex deorum genitorum aliquo, sed et homo et ex homine natus, et homo et pro homine mori voluit. Dii denique in beata vita, qua perpetuo fruentur, unum tantum habebunt, quo nuda beatitudine fruentur, nudam solamque mentem. Nos, praeter mentis opes, corporis quoque laetabimur, divinis beatisque deliciis, quales decebunt cives sanctissimae beatissimaeque civitatis. Accedent laborum et meritorum praemia, quorum omnium ratio habenda est. Horum nihil sperari a diis potest, qui vel laborare, vel reipublicae aut principis vitam exponere, mortem oppetere, corpus periculis obiectare non possunt. Quare quibus certare datum non est, victoria triumphusque negatus est. Quibus ex rebus satis constare potest, si naturae partes concedantur diis, quam plurima esse, in quibus dii mortalibus cedant necesse est, quantoque nobis illi altiores natura sunt, tanto nos illis multis in rebus esse potiores. Refelluntur facile ex iis, quae diximus, ea quae in principio diversa demonstrabant, quae tamen diversa non sunt. Naturae enim partes diis semper dedimus; plurima Dei optimi maximi beneficia nobis collata, negata diis secundis, iure nostro et tuemur et defendimus. Quam ob causam in Minoe Plato hominem animal vocabat sacratissimum, ob excellentem quandam Dei imitationem.

59. *Imago in intelligentia et in ratione quomodo diverse? ac de Proserpina*

Visa est ratio parum idonea plerisque quae divinis rebus possit annumerari; quare ne imaginem quidem haberet, si procul a divinarum rerum coetu exploderetur. Nono enim Reipublicae organum iudicandi

4 evecta atque exaltata *tr. A* 5 ipsa *N1 N2 V Massa*; hisce *A* 6 homo] homine *V H* 7 in *sl. V* 8 nudamque solam *tr. V H* 12 vel] neque *ac. N1* | vel] vita exp *ac. A* | reipublicae aut principis *in marg. N1* 20 plurima] plura *corr. in marg. A* 25 diversa *N2* 28 Nono] nam o *A*

1–2 Semper … Plato] Gorg. 46 *MSS* 18 Solutio Rationum *MSS* 22–23 in … imitationem] Min. 7 *MSS* 28 1 *N1 N2 V* 28–168.1 Nono … nominatur] 9 Reip. 19 *MSS*

1–2 Semper … Plato] Grg. 490a 22–23 in … imitationem] Min. 319a 28–168.1 Nono … nominatur] R. 9 582d

nominatur, ut oculus cernendi, et audiendi auditus. Sed ut eodem scribitur libro, id fit cum per ea quae cognoscimus, ea aggredimur perscrutanda, quae non cognoscimus. Divina vero iis organis minime egent, quippe quae eam cognoscendi rationem non habeant. Quare ratio digna non erit, quae vel divinis annumeretur, vel imaginem divinorum complectatur. Est praeterea ratio, qua non subito sed et per moras, et tempus ratiocinamur, uti in Theaeteto definit Plato. Sed dii non ratiocinantur. Ad eos itaque ratio nihil attinet. Quo fit, ut ad eam imago non pertineat. In venatione quoque et vestigatione latentium rerum ratio locum habet; ut Dianae in silvis agentis arcus proprius ac pecularis, quo anima, dum in corpore est, philosophatur. Atqui, ut ante diximus, dii non philosophantur, quemadmodum in Symposio dicitur; quare nullus rationi in divinis est locus. At imago divina est; quapropter rationi non inerit. Divina etiam qui assequitur, is beatus est tam civis quam civitas, quod sextus docet Reipublicae liber. Sed venatio vestigatioque rationis pulchra quidem est, beata vero non est, ut testis est in Epinomide Plato. Quare non est cur ad divina ratio referatur. At nos imaginem quaerimus non nisi divinam. Quam ob rem ratio imaginem non habebit. Iis denique sententiis Platonis Platonicus Dionysius astipulatur, qui diis intellectum tribuit, homini rationem. Quapropter imago divina ex intellectu intelligentiaque duci vult, si divina futura imago est. Quare ratio, quae longe est inferior, imaginis capax esse non videbitur. Principio quid ratio sit aperiendum est, deinde quid intellectus, postea id quo tendimus. Est autem, ut diximus, teste Platone, ratio organum iudicandi, quo ex notis venamur ignota. Organum facultatem animae significat, qua anima utitur, cum latentia occultaque perquirit. Nam ut anima ad colores diiudicandos oculo, ut organo, utitur, qui vel per radios, vel per species, colorum formas differentiasque ostendit animae; ita facultas, quae ratio dicitur, ex principiis, quae de sensu cognovit, ad ea cognoscenda atque diiudicanda

---

5 vel *in marg. N1* 7 ut *H Massa* | Sed] se *Massa* 11 discimus *A* 16 est] natura loqueretur, quae magis in dubium poterat revocari. aequare rem *add. Massa* 18 nisi] enim *corr. in marg. N1* | hiis *N1*; his *V H* 18–19 sententiis *V*. 26 requirit *V H* 27 vel *sl. A*

1–3 eodem … cognoscimus] 9 Reip. 2 *N1 V A H* 6 2 *MSS* 6–7 ratio … Theaeteto] Theaet. 93 *MSS* 9 3 *MSS* 11–12 dii … dicitur] Symp. 45 *MSS* 14 4 *MSS* 14–15 Divina … Reipublicae] 6 Reip. 25 *MSS* 15–16 venatio … Epinomide] Epin. 3 *N1 N2 V A*

6–7 … Theaeteto] Tht. 186c 11–12 dii … Symposio] Smp. 204a 14–15 Divina … Reipublicae] R. 2 364e 15–16 venatio … Plato] Epin. 973c ff. 18–20 Iis … rationem] Div. nom. 7.2 23–25 Est … ignota] R. 9 582d

animam ducit, quae postea quam in eo fuit homine, non cognovit. Ut animadvertis sensus caeli et siderum conversationes, ratio ex illorum meditatione deprehendit intus abditum auctorem; quod decimo Legum libro Plato fecit. Intellectus vero, sive intelligentia, non venatione aut ratiocinatione, sed subita irradiatione erumpit in anima, ut Epistola septima, quae divinissima omnium, quae a Platone scripta sunt, late demonstratur. Quoniam vero rerum cognitio per illa sex genera fit, quae in Parmenide et in Sophista numerantur: unum, multa; idem, diversum; simile, dissimile; motus, status; ens, non ens; generatio, interitus. Idcirco per haec duo, quae diximus, disquiremus. Primo quidem intelligentia una est et simplex, cum sola et absque alterius rei adminiculo verum prodit. Ratio vero una solaque esse non potest, cum ratiocinatio ac discursus comites eius sint, qui ex apertis patentibusque in clausa latentiaque procurrunt. Sunt deinde haec duo idem cum utrumque sit id quo cognoscimus; sed diversa longe sunt per differentias, quas nunc numeramus. Differunt quoque in eodem et in diverso, hoc est, genere et differentia; in eodem quidem, quod ratio est facultas atque potestas animae; intelligentia vero habitus est. Quod si genere differunt, non possunt differentia non seiungi. Quae enim in eodem et in genere diversa sunt, necesse est in diverso et in differentia sint diversa. Generum enim diversorum par est ut differentiae sint diversae, ut in Praedicamentis Aristoteli placet. Prior differentia in Civili et in Philebo legitur, quomodo vestigatio ac venatio fiat ex notis ad ignota. Epistola vero septima docet eam rerum varietatem et multitudinem in intelligentia non desiderari. Sequens differentia ex quarto Reipublicae libro sumi potest, ubi ratio hominis differentia a brutis est posita. Quare si speciem et naturam facit, in omnibus sit hominibus opus est, cum tamen intelligentia sit in paucis, ut Timaeus ait. Quod si in omnibus ratio est, habitus vero non inveniuntur in omnibus; quare ratio in

---

1–2 animadvertit *N2* 2 radio *Massa* 14 idem hae duo *tr. V H* 21 ut] et *A* 22 notis] ignotis *ac. N2* 23 docet *om.Massa* 26 si *iter. A*

3–4 quod … fecit] *10* Leg. 1.3.15 *MSS* 4–5 Intellectus … septima] Ep. 7.29.*N1 N2 V A* 7–8 rerum … numerantur] Soph. 79 *MSS* 9 Ratio et intelligentia: quid differant. *N1 N2 V H* 21–22 Prior … Civili] Civil. 51 *MSS* 22 et in Philebo legitur] Phil. 15 *MSS* 23–24 Epistola … desiderari] Ep. 7.29.*N1 V A H* 24–25 ex … posita] 4 Reip. *MSS* 27 intelligentia … ait] Tim. 120 *MSS*

1–3 … Legum] Lg. 10 883a, 886d, 893b 4–6 … sunt] Ep. 7 341cd 7 rerum … Parmenide] Prm. 129d 8 in … Sophista] Sph. 254c ff. 20–21 Generum … placet] Cat. 3, 1b, 16–17 21–22 Prior … Civili] Civ. 285b 22 in … Philebo] Phlb. 14ce, 17a 23–24 Epistola … desiderari] Ep. 7 342c 24–25 Sequens … posita] R. 4 441ab 27 intelligentia … Timaeus] Ti. 51e

infantibus erit, cumque neque habitus neque actus sit, quandoquidem etiam in dormiente reperitur, qui actu vacat contemplationis, satis constat, rationem esse potestatem, cum tamen habitus intelligentia sit. Tertia differentia est, quod cum similia modo aliquo sint, utraque enim obiectum notescit, dissimilia tamen idcirco sunt, quod ex effectis illa ac posterioribus in principia tendit, haec in ipsis solis principiis conquiescit. Principium, unde omnia formam sumunt, sola idea est, ut Timaeus, a quo et pulchrum et forma proficiscitur. At idea et sol et lux est, ex sexto Reipublicae, alia vero omnia vel umbrae vel tenebrae. Tenebrae materia et silva, ubi nihil est lucis, umbrae sunt formae, quae participatam quandam et malignam, ut Maro ait, in silvis ferunt lucem; quae materiae comparatae lux dicuntur, si ad ideas referantur, nox et tenebrae nominari possunt. Si vero quatenus extremi utriusque mediae sunt considerentur, non lux, non tenebrae, sed umbrae nominantur. Quae quidem tria septimo Reipublicae libro in speluncae mysterio enucleata sunt. Ex quo fit, intelligentiam a ratione obiectis differre, cum illa lucem, haec umbras, aspiciat. Quarta differentia ex motu ac statu est. Nam simulacra et composita omnia, cum corpora sint, mobilia quoque sunt. Ideae vero solae ac stabiles et immobiles. Ideo ratio mobilium mobilis, intelligentia immobilium stabilis immotaque semper est. Quare, Philebo teste, illa agitantur fluuntque semper, atque idcirco nec mentem nec scientiam habet, aeternae enim firmitatis scientia esse vult. Sed cum nihil eorum, in quibus ratio humana versatur, firmitatem habeat, fluentia enim agitataque sunt semper; quare in Apologia non ab re dicebat Socrates, "Hoc scio, quod nihil scio," hoc est, "per intelligentiam intelligo, quod ratione sola, qua philosophi freti iactant se scire omnia, scientiam non assequimur." Quae quomodo vera sint, copiosius seorsum disputanda sunt. Quinta horum differentia, quod intelligentia est eorum quae sunt, ratio eorum quae non sunt. Haec in Sophista Plato testatus est, cum simulacra et umbras non

---

1 cumque] cum *N2* 3 sit *sl. N1* 5 ex illa effectis *pc. tr. N2* 9 Tenebrae *om. Massa* 15 speluncae] libro *add. ac. A* 15–16 intelligentia *V A H* 17–18 composita] complura *A* 18 sint] sunt *A* 23 habeat] habeatque *V H* 24 quare] hac re *Massa* 25 intelligentiam] cognosco *ac. N2* 29 cum] ait *add. ac. N1*

8–9 idea … Reipublicae] 6 Reip. *A MSS* 11 ut … ait] Virg. *N1 V A H* 14–15 Quae … sunt] 7 Reip. 120 *MSS* 20–21 Philebo … semper] Phil. 121 *MSS* 24–25 in … scio] Apol. 2 *MSS* 29–171.1 in … defendit] Soph. 42 *MSS*

7–8 omnia … proficiscitur] Ti. 29a, 50de 8–9 idea … tenebrae] R. 6 509ab 9–11 Tenebrae … lucem] Aen. 6.270–271 14–15 Quae … sunt] R. 7 514a–518b 20–22 Philebo … esse] Phlb. 59b 24–25 in … scio] Ap. 21d 29–171.1 Haec … defendit] Sph. 240d

esse defendit. Nam si lux esse dicitur, umbra vero nihil est aliud quam privatio lucis, cum enim lux in rem opacam cadit, umbram gignit, quae numquam nisi luce et praesente et in opacum cadente nasci potest, ita idea cum in seipsa est, tota lux est, cuius radius cum in silvam et in materiam cadit, silvae obscuritate obumbrante, imago quaedam ideae generatur. Idea vero essentia est et id quod vere est; quare umbrae illius neque essentiam habent, neque verae sunt, cum umbrae simillima et privationes nominantur et non esse dicuntur. In quibus quidem cum se exerceat ratio, eorum quae non vere sunt, vestigatrix quodammodo nominata est. De umbris autem si quis multa legere amaverit, Philebum, Sophistam, ac septimum Reipublicae librum legat. Sexta differentia est ex generatione et interitu. Nam ratiocinatio tempus spatiumque desiderat, teste Platone in Theaeteto; at intelligentia statim in acie mentis erumpit; id quod septima Epistula edocuit Plato. Differentia etiam septima ex generatione duci potest, quod altera ex inferiori, altera ex superiori proficiscitur. Nam cum sensus brutorum sit, intelligentia vero deorum, animam humanam, quae in medio et utriusque interstitio sita est, cum in corporum fluxu mergitur, sopor et oblivio capit. Nudam enim omnino in se animam unde novi auctores acceperint, non plane video. Non enim ex Platone, qui omnem mentem semper plenam facit, sicut in Phaedone de anima sensit. Neque ex Aristotele, qui quamquam tabellae non pictae illam comparet. Averroes tamen de anima id intelligi interpretatur, si ad nos rudes initio referatur; in se vero semper et intelligere et intelligentiis plenam esse, nec longe a Platone abire in ea re Aristotelem arbitratur. Quare Viterbiensis Iacobus, patria mihi ac professione coniunctus, plenas animas gigni, non vacuas, cum utroque philosophiae principe iudicavit. Sed in fluido corpore occlusae, quasi mersae flumine, sicut decimo Reipublicae Plato et libro sexto Platonem late imitatus Maro testis est, et vincula humorum

---

4 radium *Massa* 8 quidem *iter. A* 10 umbris] vero *ac. N2* 11 Sexta *in marg. N1* 22 de anima *om. V H Massa* 25 profexione *N1* 27 occlusa *N1 V A H* | mersae mersa *N1 V A* 28 late *in marg. V*

10 De … Philebum] Phil 47 *MSS* | Sophistam] Soph 42 *MSS* 11 septimum Reipublicae] 7 Reip. 1.2.20 *MSS* 12–13 ratiocinatio … Theaeteto] Theaet. 93 *MSS* 13–14 intelligentia … Epistula] 7 Ep.29 *N1 V A H* 19 video] *asteriscus N2* 26–27 in … Reipublicae] 10 Reip. 49 *MSS* 28–172.1 Maro … potant] Virg. 6 *N1 V A H*

10 De … Philebum] Phlb. 29b | Sophistam] Sph. 258d 11 septimum Reipublicae] R. 7 514a–518b 12–13 ratiocinatio … Theaeteto] Tht. 186c 13–14 intelligentia … Epistula] Ep. 7 341cd 20 sicut … sensit] Phd. 76c 21 Aristotele … comparet] de An. 3, 4 429b, 30 21–23 Averroes … referatur] Comm. de An. 3.14 26–27 in … Reipublicae] R. 10 611de 28 libro … Maro] Aen. 6.715

accipiunt "et longa oblivia potant." Oblitae igitur, ut uterque conciliatur ab Averroe philosophus, veluti oculis captae ducem quaerunt. Quare, si ad rationem se convertunt, sensum partem brutorum magistrum recipiunt; si ad intelligentiam confugiunt, quae divina est, ideam inveniunt ducem. Quare ratio ex brutis quodammodo, intelligentia ex diis ipsis manat. Ex qua et octava differentia addi potest, intelligentia deos omnes esse praeditos, ut docuit Timaeus, cum illi non ratiocinatione, sed ex se atque ex idea excipiant lucem. Hactenus de differentiis illorum dictum sit. Nunc id quod quaeritur, manifestandum est. Nam sexto de Republica dicitur ex suppositione rationem ad demonstrandum incedere, intelligentiam vero principia ipsa absque ulla suppositione, demonstrare, hoc est, non effectis, non posterioribus, non mediis uti, sed ex se principia, ideas, essentias aperire. Hoc cognoscendi genus Averroes tertio De anima libro confitetur, cum per essentiam, non per similitudines intelligimus. Sed parum recte id quidem; nam natura duce fieri id posse autumat, quod absurdissimum est. Nam de ea cognitione, quae natura quaeritur, statuit Aristoteles quod vel phantasia est, vel non sine phantasia. Neque per essentiam cognosci primum nisi post mortem potest, ut in Phaedone praedicabat Socrates. Sexto etiam de Republica supra rationem et naturae vias duo cognoscendi genera innuebat Plato, alterum quo solem habemus, alterum quo visum tantum a sole. Nam ut sol, inquit, visio non est, ita nec scientia beatitudo; ubi solem et visum a sole datum, diversa esse manifestantur. Post mortem solem tenemus, et ideo summum bonum omnino possidemus; hic autem non solem neque solis essentiam, sed radium ab illo dimanantem excipimus, qui intellectus atque intelligentia nuncupatur. Epistula septima haec late disseruntur. Probat non modo rationem, sed etiam intelligentiam participare homines Dionysius, quod semper superiora inferiorum, infima superiorum attingant, ut pars ignis suprema extimum radit circulum. Anima itaque humana supremum aliquid habeat necesse est, quo deorum actioni coniungatur. Ratio ea esse

1 accipiunt *in marg. V* 11–12 hoc est h.e. *abbr. N2*; hoc enim *N1 V A H* 14 intelligemus *A* 22 sole] Deo *corr. in marg. A* 23 manifestatur *N1 N2*

6–7 intelligentia … Timaeus] Tim. 129 *MSS* 9–10 sexto … incedere] 6 Reip. 43 *N1 V A H* 13–14 Hoc … intelligimus] 3 de An. 36 *N1 V A H* 17–18 Neque … Phaedone] Phaed. 13 *MSS* 19–20 Sexto … Plato] 6 Reip. 39 *MSS* 26 Epistula … disseruntur] Ep. 7.29.33 *MSS*

6–7 octava … Timaeus] Ti. 51e 9–11 sexto … demonstrare] R. 6 510bc, 511ab 13–14 Hoc … confitetur] Comm. de An. 3.36 16–17 de … phantasia] de An. 1.1 403a, 8–10 17–18 Neque … Phaedone] Phd. 68b 26 Epistula … disseruntur] Ep. 7 341d 27–29 intelligentiam … circulum] Coel. hier. 7, 7

non potest, quae procul a diis est, ut ante diximus; quare intelligentia a sole dari homini necesse est. Quod dicere sacer auctor voluit, cum dixit de iis, qui soli rationi innituntur, quod sol intelligentiae non ortus est eis. Ex eis itaque dicimus primo quidem imaginem divinam inesse homini ex optima parte sui, quae est ea, de qua haec dicta sunt: intelligentia. Non enim est par hominem iungi optimo, nisi ex eo quod in homine repertum est optimum. Nam si imago est qua homo similis et cognatus est Deo, Deo autem, qui vere est, intellectu sive intelligentia haeret, auctore Platone sexto Reipublicae; quare ex intelligentia sumenda imago est. Deinde ratio intelligentia quaedam, subobscura tamen, et adumbrata dici potest. Isaac enim in libello definitionum suarum rationem vocat adumbratam intelligentiam, quippe quae ex adumbratione intelligentiae oriatur. Atque idcirco Plato libro Reipublicae sexto curandum in creando principe monet, ut adumbratio in eo vel rationis vel virtutis non sit, sed absoluta in eo ratio vigeat, ubi adumbratam rationem humana vestigantem, absolutam vero eam vocat, quam nos intelligentiam nominamus, divinam lucem ab idea in animam afferentem. Potest itaque hoc pacto et ratio dici adumbrata intelligentia, et intelligentia absolutissima ratio. Atque hoc eodem pacto imago divina in ratione reperiri potest, quatenus illa non omnino lucis est expers, sicuti in umbra videmus, quae quamquam lux non est, sine luce tamen esse non potest. Lux enim illam terminat, atque illa subobscuram in se lucem amplectitur. Legimus enim scribimusque in umbra, quae in tenebris fieri non possunt; quod profecto non esset, nisi umbra ambientem lucem participaret. Et quoniam ratio, quam umbram vocamus, ex natura homini convenit, intelligentia vero ex idea divina, ideo in Menone, omnem hominem umbram esse scriptum est, nisi lucem aliunde suscipiat. Maro etiam hac ratione animas frequentissime umbras nominabat; alterque de nobis dicebat in fastum nostrum invectus, quod "pulvis et umbra sumus." Erunt itaque tres imagines, prima aequans, secunda sequens, tertia remota; ut principis imago, prima filius naturam parentis speciemque suscipiens; altera aurea, quae principis effigiem tamen habet, naturam non habet; tertia

1 intelligentiam *Massa* 6 enim non *tr. V H Massa* 8 intellectus *N2* | sine *N1 V A H* 19 atqui *Massa*

2–3 sacer … eis] Sap.5 *N1 N2 V H* 7–9 si … Reipublicae] 6 Reip. 38.43 *N1 N2 V A* 26–27 Menone … est] Men. 63 *MSS*

2 sacer auctor] Sap. 5.6 8–9 Deo … Reipublicae] R. 6 508b, 511b 11–13 Isaac … oriatur] Liber defin., p. 313 13–15 Plato … vigeat] R. 6 484c 26–27 in … suscipiat] Men. 42 100a 29 pulvis … sumus] Aen. 6.264, 6.695

aureae imaginis umbra; ita Dei imago prima est Boni Filius ex sexto Reipublicae, secunda est in homine, qua intelligentiae capax est; tertia in eodem, qua utitur ratione, quamquam utraque haec imago una sit, anima scilicet qua est humana, vel qua divino lumine contemplatrix. Argumenta solvuntur perfacile. Nam ex intelligentia imaginem in nobis esse contendunt, quod, uti iam docuimus, verum est, nihil tamen obstat in ratione, quae adumbrata intelligentia dicitur, adumbratam imaginem reperiri. Hic locus in Proserpinae fabulamento involutus est, quam lunam esse Varro interpretatur. Nos lunam pro deorum conditione posuimus, qui semper a divino sole lumen excipiunt. Talis est sua natura anima, ut in Phaedone disputavit Plato; quae si sola sine corpore esset, ut ei placet, inter deos ageret; cum vero a Iove et Cerere gignitur, hoc est, ab anima mundi in materia et silva quasi umbra imprimitur. Quod in Philebo legimus, et a stabili semperque eadem divina regione, quae ei propria esset in amorem non pulchri, sed generationis incidit, quae ei extraria ac peregrina est; tunc a Plutone rapitur, et ad inferorum umbras perducitur. Infimum enim et obscurissimum est, quod a luce divina remotissimum est. Ideo materia, qua nihil a Deo longius discedit, inferos in se continet; et formae omnes, quae radii quidam divinae lucis sunt, cum in silvam materiamque merguntur, ad umbras infernas raptae existimantur. Porro Pluto divitias significat, quae, uti Plato in Cratylo ait, e terra exoriuntur. Quare a Plutone rapi idcirco dictae sunt, quod relicto caelo, cui uni aspirare deberent, terrae corporumque desiderio rapiuntur. Neque aliam ob causam Plato sub terris habitare Plutonem arbitratur, nisi quod e terra divitiae eruantur. In terrae enim sinibus aurum metallaque omnia gignuntur, quorum ut quisque plurimum possidet, ita ditissimus et dicitur et habetur. Nihil itaque aliud Plutonis erit raptus, nisi animas ad terram atque ad corpora raptans amor, qui efficit, ut infimam universi regionem non modo adeat ultro rapta Proserpina, sed, quod dictu mirabile est, etiam amet. Materia mater efficit, ut partim cum inferis sit hominis forma, quae anima est, cum sensu rationeque utitur, partim cum superis, dum diis

6 obstat] stat *in marg. N1* 7 dicitur intelligentia *tr. N1 N2 A* 9 interpetatur *ac. N1* 15 amore *V H Massa* 17 quod … est *om. A* 27 aliud *in marg. V* 28 infirmam *ac. N1* 29 dictu] deum *corr. in marg. N1*

4 Solutio Rationum *MSS* 13–14 Quod … legimus] Phil. 47 *N1 N2 V A* 20–21 Pluto … exoriuntur] Crat. 34 *MSS*

1–2 Dei … Reipublicae] R. 6 511ad 8–9 Hic … interpretatur] de Ling. lat. 5.68 10–11 Talis … Plato] Phd. 80a, 80d, 82c 13–16 Quod … est] Phlb. 30ab 20–21 Pluto … exoriuntur] Cra. 403a

intellectu atque intelligentia copulatur. Pluto divitiarum et possidendi amor, quo illa fertur ad corpus, quod ita possidet, itaque in eo imperia exercet, ut maiori in mundo Deus. Caecus profecto, nocturnus atque infernus amor, quo illa, Dei parentis relicta pulchritudine, et corpus amat et generationem, ut in Symposio disserebat Plato. Quod miratur Aeneas ac de parente quaerebat, "quaenam lucis tam dira cupido" est. Quod vero Proserpina versatur cum diis, illa intelligentia ex inferis et membris evehente, non ratiocinatione philosophiae et rationis, sed contactu quodam consuetudinis fit, ut Epistula septima Plato vult. Quam quidem rem idem in Cratylo voluit ad Proserpinam pertinere, nec aliunde nomen sortitam fuisse, nisi a contactu, quod ea contactu sapiens fiat. Cumque hoc animae sit corpora incolentis, idcirco Platonis testimonio, quae de Proserpina, vel Claudianus, vel alii scripserunt, de formis animisque intelligenda sunt. Quae ideo filia Iovis dici meruit, quod patris imaginem intelligentia teneat; ideo Cereris, quod matris et materiae generatio acceperit, cuius esse apud inferos et in materia est, actio vero procul ab inferis suspenditur, et cum diis in lucis regione conversatur; unde numquam abiret, nisi Pluto et cupiditas, malorum omnium caput, ut sacrae testantur litterae, ad corpus et corporea amanda illam quandoque allicerent. Quocumque tamen vergat, filia Iovis est, nam imaginem habet optimi parentis secum semper, obscuram, qua rationis, claram, qua est intelligentiae capax.

60. *Imago partes tres habet: bifariam illae quidem ostenduntur. Sirenes. Deorum insignia*

Agedum videamus quid in anima animadvertamus unde divinam imaginem in anima esse fateamur. Ex memoria quidem sumi non habet, tum quod mortalis sit, ut primo De anima libro Aristoteles sentit, non reminisci nos post mortem ratus, quodam, ut ipse ait, interius corrupto;

---

2 quod quo *N2* 6 ac *sl. N1* | quaenam] quae nâ *abbr. N1 A*; quae natura *V H* 10–11 sortitam nomen *tr. N1 N2 A* 12 involentis *A* 25 advertamus *V H Massa*

4–5 amor … Symposio] Symp. 50 *MSS* 8–9 non … septima] 7 Ep. 29 *N1 V A H* 26 1 *N1 N2 V H*

3–5 Caecus … Symposio] Smp. 191a, 206c 6 quaenam … cupido] Aen. 6.373, *cf.* 721 7–9 Proserpina … septima] Ep. 7 341cd 9–11 Quam … fiat] Cra. 404d 27–28 primo … corrupto] de An. 1.4 408b, 26–29

tum quod (ut idem in Metaphysicis scribit) ceteris inest etiam animantibus; nisi enim eam haberent, motus perpetuos non haberent. De intellectu quoque quomodo imago sumi, qui vel omnino nudus oritur, vel ut verius dicamus, longis oblivionibus obnoxius, perinde se in nobis apparet atque rerum omnium oppido ignarus, quique, ut probe contempletur, ducem praeceptoremque desiderat? Quae quidem omnia divinis rebus non modo similia non sunt, sed etiam longissime dissimilia. Quid de voluntate dicam, quae sensuum lenociniis illecta irretitaque, non modo summum bonum (ut Deus facit) non summe cupit, sed ut cuique inspicere facile est, nihil minus cupit. Imago praeterea ex optimo duci vult. Voluntas non optima est, nam agendi principium est. Optimum autem esse oportet initium contemplandi; semper enim actioni contemplatio praeferenda est, ut quae agentibus imperare possit. Tametsi Epistula nona ad Archytam Plato id scribit, quod postea Cicero latinum fecit. "Non solum nobis natos esse nos," sed coniunctis necessariisque. Denique de universa mente, cuius ad divinam nullam esse comparationem Philebus existimat. Quam ob rem difficile inventu videtur id quod in nobis divina imago nominari queat. Dicat Plato quid in nobis repererit unde divinis cognati videamur, ex quibus singulae partes imaginis, ipsaque imago divinam lucem referens simul apparebit universa. Ex actionibus, quibus homines vigent, intelligit in Timeo aliquam esse causam originemque illarum, quae ceteris animantibus a natura tributa non sit. Sapimus enim, contemplamur, disserimus; omne vero quod gignitur, ex causa gigni necesse est, ut eiusdem libri initio scribitur, nec quicquam a se ipso gigni potest. Aliqua itaque in nobis est causa, unde altae illae actiones oriantur. Hanc ipse mentem vocat. Cumque mens sine natura non sit, sicuti Philebo placet. Anima in homine mentem habens inventa est, unde veluti e sacratissimo fonte sublimes illae contemplationes actionesque dimanant. Fonte invento ex rivis, rursus ad rivos exactius ex causa cognoscendos revertitur. Quae duo demonstrandi genera, Aristotelem

3 quoque] vero *N2* | quomodo] quodammodo *corr. in marg. A* | sumi] potest *add. Massa* 4 se] ac *Massa* 19 singulares *Massa* 24 nec] ne *V H*

2 2 *N1 N2 V A* 7 3 *N1 N2 V H* 13–15 Epistula … nos] 9 Ep. *N1 V* 15 4 *N1 N2 V H* 15–17 de … existimat] Phil. 44 *MSS* 20–22 Ex … sit] Tim. 237 *MSS* 23–24 omne … scribitur] Tim.28 *N1 N2 V H* 26–27 Cumque … placet] Phil. 47 *MSS*

1 ut … scribit] Metaph. 1.1 980a 13–14 Tametsi … Archytam] Ep. 9 358a 14–15 quod … nos] de Off. 1.7.22 15–17 de … existimat] Phlb. 30b 20–22 Ex … sit] Ti. 89e–90a 23–24 omne … scribitur] Ti. 28a 26–27 Cumque … placet] Phlb. 30c

compulerunt, ut Posteriora scriberet Analytica, accepit autem ex Platonis Reipublicae libro sexto. Primo igitur ex eo fonte rivum intelligentiae fluentem cernit, (intelligentiam hoc loco pro quavis cognitione mentis usurpo). Cernit quandoque rivum illum velocissimo expeditissimoque cursu labentem. Verum cum expeditae actiones non nisi ex habitibus proficisci possint, idcirco intelligendi habitum haerere animo putat. Nidos in Theaeteto vocat et caveas, unde quis aves, cum lubet, educat. Ita habitus qualitas fixa est, quo facile prompteque actiones, cum volumus, exercemus. Rivum hunc in quinque secat ramos septimo Reipublicae, in scientiam, cogitationem, fidem, imitationem, opinionem. Omnis enim animae actio, vel est simplicium rerum, vel coniunctarum. Simplicium quidem dubia, quae cogitatio, vel clara imitatio nuncupatur; coniunctorum vero alia ex causa oritur, alia non ex causa, sed ratione tantum; ultima nec causa nec ratione, sed tantum testimonio uti solet, quae sunt scientia, opinio, fides, in quibus, vel humanos tantum habitus posuit, vel omnes lumina quaedam mentis vocat, nunc a ratione, nunc ab idea promicantia. Nam mentem visui comparat sexto Reipublicae; at visus fieri absque utroque lumine, externo internoque, ut in Timaeo legitur. Quare et mentis lumen duplex erit, internum atque externum, quamquam internum non lumen, sed umbram potius appellandum putat, ut supra ostensum est. Ita hi habitus bifariam haberi consueverunt, lumine quippe vel humano, vel divino. Nam qui causas sensus auxilio explorat, non veras causas nactus est, ut in Phaedone Socrates asseverabat. Quare nec scientiam habet, aut obscuram tantum umbram habet. Soli lumen aspiciunt, qui ideam suspiciunt, ut Alcibiades prior ac sextus de Republica docet liber. Hactenus de priore rivo dictum est, qui intelligendi habitus appellatur. Quare iam duo venati sumus in anima, mentem atque intelligendi

---

6 habitum] animum *corr. in marg. A* 13–14 sed … causa *om. H* 13 tantum] tamen *V* 15 fides opinio *tr. V H Massa* | quibus] queis *N2* | humanus *Massa* 17 fieri] nequit *add. Massa* 18 externo] aeterno *corr. N1* 24 habet] habent *V H* | habet] habent *N1 V H* 25 suscipiunt *corr. in marg. A* 27 intelligendum *ac.N2*

1–2 accepit … sexto] 6 Reip. 43 *MSS* 7 Nidos … caveas] Theaet. 122 *MSS* 9 Rivum … Reipublicae] 7 Reip. 29 *MSS* 17 mentem … Reipublicae] 6 Reip. 38 *MSS* 17–18 visus … Timaeo] Tim. 10.5 *MSS* 22–23 qui … Phaedone] Phaedon 61.62 *N1 N2 V A* 24–25 Soli … prior] Alc. pr. 64 *MSS* 25 ac sextus de Republica] 6 Reip. 37.38 *N1 N2 V*; 37 *A*

1–2 ex … sexto] R. 6 511ad 7 Nidos … educat] Tht. 197de, 199be 9 Rivum … Reipublicae] R. 7 533e 17 mentem … Reipublicae] R. 6 508b 17–18 visus … Timaeo] Ti. 45bc 22–23 qui … Phaedone] Phd. 79c, 98a, 100a 24–25 Soli … prior] 1 Alc. 129a, 129e 25 sextus … Republica] R. 6 507b, 508e

habitum, quo, cum volumus, possumus contemplari. Invenit postea Plato rivum alterum, qui post notitiae rivum a mente scaturiat. Nam ubi rerum contemplando assequuta anima est, nondum ab omni prorsus agitatione quiescit. Nam veluti cum rem pulchram videmus, prior fit motus, qui a re visa in videntem contendit. Movet enim id quod offertur aspectui, aspicientem, ut videat ac cognoscat; ubi ea pulchritudo ad animum pervenit, in quo et similitudinem et notitiam gignit, protinus succedit motus alter, quo animus ad rem amandam fertur et appetendam. Quare gemini in anima motus sunt, alter quo ipsa petitur, cum a pulchro pungitur atque excitatur ut intelligat; alter quo id petit atque appetit quod vel pulchrum vel bonum priori motu cognoverat. Prior motus cognitio, sequens amor nominatus est. Ille a rebus in nos; hic ad res a nobis proficiscitur. Ab illo bonum manifestatur; ab hoc bono coniungimur. Altero similitudinem excipimus; altero rem ipsam consectamur. Ii vero motus non temere sed necessario naturae ordine nexi nascuntur, ut enim, quod obiicitur, necessario cognoscimus, si nihil impediat, ita quod bonum cognoscimus, Platone teste in Philebo, qua bonum est, non possumus non amare. Bonum namque in Hipparco definitur ex appetitu, quod illud est quod appetunt universi. Ita tria inventa in nobis sunt, quae solis largita est nobis natura: mens, scientia, amor; essentia ac gemini habitus, alter cognoscendi, alter diligendi. Plura his esse non possunt. Nam amor is est, Platone auctore in Symposio, quo animus quiescit; ubi enim cognitio bonum ostenderit, nondum quies animo; at ubi amor amatae rei iunxerit, ita quiescit, ita affixus haeret, ut illam deserere, aliud cogitare non possit. Quare, si, cum quies neque in mente sit, oportet enim omnem essentiam in actionem erumpere, neque in mentis actione priore cognoscendi, sed sola in posteriore affectione diligendi sita est, colligitur, non alio illam tendere, nec aliam quaerendam actionem. Tria itaque erunt dumtaxat, quibus a brutorum feritate seiungimur, divinae contra iungimur pulchritudini. Mens a Platone in Phaedone, scientia in Theaeteto, utrumque a Marone in sexto; amor in Platonis Symposio, et in Maronis Didone accuratissime doctissimeque effigiatus est. Ex iis tribus divus Augustinus, dux meus, nono

4 cum] quod *N2* 6 ac] et *V H* | pulchitudo *Massa* | anima *Massa* 13 Altero] per *praem. ac. N1* 24 si *om. Massa* 28 quaerenda *N1 V A H*

16–17 ita … Philebo] Phil 23 *N1 N2 V H* 17–18 Bonum … appetitu] Hipp. 7.11 *N1 N2 V H* 21–22 amor … quiescit] Symp. 37 *MSS*

16–17 quod … Philebo] Phlb. 20d 17–19 Bonum … universi] Hipparch. 227b, 232b 21–24 amor … possit] Smp. 197c 32–179.1 Ex … imaginem] de Trin. 9.3

libro De Trinitate divinam venatur imaginem, ut mens arguat aliquid in Deo esse, unde alia emanent; intelligentia deinde aliquid, quod intelligendi actione gignatur; amor denique id quod ad bonum amplectendum exeat ac progrediatur. Verum cum habitus verbum non gignat, qui ex actu, non ex habitu ortum habet, ideo altera ingreditur via, qua ea, quae diximus, multo satius aptiusque accommodantur imagini. Erant superiore [sententia] essentia cum duobus habitibus, quae quoniam gignendo verbo non quadrant, ideo haec alia adinventa sunt: memoria, intelligentia, voluntas, quae tres potentiae sunt in una animae essentia, quibus enucleatissime divina imago redditur, quantum Dianae venatrici fas est, et quantum illam silvae et non noxia corpora tardant. Memoria est quae tenax thesaurorum custos est. Mens enim, qua contemplatur et perspicit, intellectus sive intelligentia dicitur, hoc est, intelligendi facultas. Eadem, qua cognita servat ac tenet, memoria nominatur. Qua vero quae novimus, amamus et volumus, voluntas dicta est. Haec etiam distincta inter se sunt. Nam voluntas est qua volumus; volumus autem bonum. Intellectus, quo cognoscimus; id vero quod cognoscimus verum est. Ideo si actiones ex obiectis, potestates ex actionibus iudicantur, manifestum est intellectum ac voluntatem esse distinctas. Intellectus autem ac memoria quamquam eadem potestas est, modo tamen, officio, atque ordine distinguuntur; modo quidem, quia illa habitum, haec actum sectatur; officio, illa speculum tenet, haec formas ac simulacra speculatur; ordine, quia altera praecedit, altera sequitur. Sed sicut quae supra dicebantur, parum congruere iudicata sunt, quod habitus haberet, unde verbi similitudo non procedit, quanto magis refutanda haec sunt, quarum ordo divino recte ordini non respondet? Nam si memoria parenti, intelligentia proli accommodetur, converso id cedit ordine, et cum putabimus proximam similitudinem adinvenisse, in remotissimam dissimilitudinem incidisse reperiemus. Nam si prius mens contemplatur, postea memoria conservat, prior in nobis intelligentia occurret, illam deinde memoria sequetur. At igitur memoria patris est, tuncque ordo non constat, aut personae alterius, tumque et auctores et sententia haec omnis confusa erit. Nec sat est, si memoriam plenam capias ac fecundam, cum illam ab

---

6 accomodatiusque aptatur *A* 6–7 *Massa*; superiora essentia *MSS* 12 contemplat *Massa* 13 est *sl. N1* 14 servat *om.N2* | qua *Massa*; quo *MSS* 15 volumus] voluntas.*pc. N1* | etiam] autem *V H* 18 potestates *Massa*; partes *N2* (*pc.*) *V H*; ptes *abbr. N2* 19 ac] atque *A* | autem *Massa*; animo *N1 N2* (*pc.*) *V A H* 21 officio] quia *add.Massa* 25 haec refutanda *tr. A* 30 memoria] memoriahm *V A H* 31 At] aut *Massa*

assidua rerum contemplatione atque intelligentia ortam esse necessarium sit. Evadendi locum non habet, qui cum Platone non sentit, qui in Philebo inter memoriam ac reminiscentiam (reddo verbum verbo) multum opinatur interesse. Illam animae aeternam esse, hanc nostro fieri studio arbitratur. Quare infantis anima, uti ipse in Phaedone sentit, memoriam quidem habet, qua quodam veluti habitu et nido, et cavea, ut ait in Theaeteto, aves et formas cohibet. Sed quae memoriam habet intelligentiam, quam reminiscentiam vocat, nondum habet. Hoc pacto ratio platonica imaginem servat, quae in aliorum opinionibus aut evanuerat aut, confusis partibus, spectari non poterat, si semper (ut aiunt) intelligentia nostra memoriam praeveniret. Vides igitur memoriam primo animae essentiae iunctam esse, ut patrem apertissime significatum esse intelligas. Videas postea per intelligentiam, ab obiectis excitatam, duci e memoria rei imaginem ac verbum gigni. Vides denique voluntatem amore exardescere, quae quidem mysterium divinum tam presse tamque exacte referunt, ut fere, nisi quatenus humana omnia longe manca sunt, non imaginem in anima aspicere, sed rem ipsam in Deo contemplari videamur. Hoc Plato, hoc voluit in Alcibiade priore, ubi agit de homine cognoscendo. Toties iterat Delphorum epitaphium, quod divinorum cognoscendorum Apollinem adeuntibus praemonstraret viam, monebatque homines ut se ipsos cognoscerent, hoc est, animam, ac ex ea parte praecipue, qua praecellit polletque sapientia in qua divinam inventuri similitudinem essent. Hoc illud est lumen, quod super nos, hoc est, suprema in parte animae, David signatum canebat. Hoc caelorum regnum intra nos esse dictitabat Apostolus. Hoc Socrates, ut poterat, rimantem Pythia sapientissimum nominabat. Quae contradicere visa sunt, ita resolvuntur. Primo quidem non de memoria sensus sed mentis loqui nos, quae nec interit nec aliis animantibus est communis. Deinde oblivia non habitum memoriae, sed actum reminiscentiae auferunt. Non tamen negamus imaginem hanc exactam omnino non esse, quod divinae tamen proli concessum est. Ita de volun-

1 ortum *A* 2 habent *N1 N2* 3 ac] et *A* | reddo] credo *corr. in marg. N1*. 4 nostro] ex *praem.ac.N1* 6 nido] modo *V H* 11 memoriam] mehmoria *A* 15 presse] expresse *A* 17 anima] homine *corr. in marg. A* 26 resolvuntur] reluuntur *N1 N2 A* 27 interit] essentia internis *corr. in marg. N1*

18 in … cognoscendo] Alc. 63.70 *MSS* 26 Solutio prima *MSS* 28 Solutio secunda *MSS* 30 Solutio tertia *MSS*

2–4 qui … interesse] Phlb. 34b 5–6 infantis … habet] Phd. 73a 6–7 qua … cohibet] Tht. 163de 164b, 191d 192a, 197de 199b 199e 18 in … cognoscendo] 1 Alc. 129a, 132cd, 133cd 22–24 Hoc … canebat] Ps. 4.7 24–25 Hoc … Apostolus] Luc. 17.21 25–26 Socrates … nominabat] Ap. 21a

tate dicimus, quam divinae fatemur similem, non aequalem. Ad contemplatricem etiam spectat, nam voluntatis obiectum bonum est. Hoc rationem habet finis; finis autem est etiam in contemplatrice. Quare utrumque a voluntate possidetur, non solum quod ad actionem, sed etiam quod pertinet ad contemplationem. Comparatio praeterea cum tollitur, aequans, non deficiens similitudo negatur, ut etiam imbecillitatis nostrae, qua procul distamus a Deo, admoneremur. Hae tres animae potestates tres Syrenes sunt. Nam scientiam illas profiteri Cicero docet. Nihil in terris quod scientiam profiteri possit, nisi humana anima. Quare cum illarum suavitatem cum Ulysse audire vis, te ipsum, animam contemplare. Quem numerum Pluto in Cerbero, Neptunus in Tridente, Iuppiter in trisulco gestat fulmine.

61. *Ex actu praecipue imago sumenda est, modo quodam ex habitu et potentia. Inde de Gratiis*

Quod si imago ex iis, quae in anima sunt, sumenda est, sunt autem in anima tria, potestates, habitus, actus, quid horum sit potius, unde illa ducatur, perquirendum est. Hinc potestates offerunt sese, et sequentibus omnibus anteponi volunt. Nam Deo similiores se faciunt, nam cum Deus rebus aliis longe sit prior, a quo manant alia, veluti a principio aliorum, qui rerum aeterna potestas appellatur, et a Platone in Timaeo et in Aeneide a Marone. Haec eadem omnia in parte sola sunt, prior enim sequentibus est, a qua illa fluunt, veluti a primo antiquoque principio, quae quidem duobus sequentibus minime dari possunt. Habitus quoque in hoc currit stadio, quod actiones perfectae nonnisi ab eo progrediantur. At imago ex perfectis duci vult; quare praemia sibi danda esse veluti victori habitus petit. Actus denique virtutis palmaeque conscius: "Non ita sese res habebit, inquit; vos caelo praecipitatae ut mancae, ut aegrae, ut humanis familiares, divinis ineptae, numquam a Deo receptae estis, neutraque vestrum admitti umquam potuit in divinae penetralia

---

1 quam] *iter. in marg. N1* 5 Comparatio] contemplatio *corr. in marg. A* 7 Hae] haec *ac.N1* 8 sunt] sint *ac. V* 10 audire] adire *A* 21 Aeneide] Aeacide *corr. in marg. N1* | omnia *om. A* | parte] potestate *N2* 22 est sequentibus *ac. tr. N2*

5 Solutio quarta *MSS* 17 1 *N1 N2 V H* 23 2 *N1 N2 V H* 26 3 *N1 N2 V H*

8 scientiam … docet] de Fin. 5.18.49 20 qui … Timaeo] Ti. 37d 21 in … Marone] Aen. 10.18

naturae." Nam et qui ea penetrare contemplando visus est, non potestatem, non habitum, sed actum Deum esse testatus est. Videnda rursus repetendaque sunt ea, quae prius diximus de imagine, ut ex definitione appareat quid horum sit huic rei propior accommodatiorque. Est itaque similitudo imitata speciem. Primo, similitudo aut simile esse oportet quod eorum omnium genus est, quibus aliquid est commune. Ideo duodecimo Legum libro non e terra, non ex ebore divina simulacra fingi iubentur. Terra quidem, quae vitae capax non est; ebore quod quamquam vixit alias, vita tamen caret. Deinceps, de alicuius forma ducta esse debet, quam imitari possit. Quare homo ignoti hominis imago non erit, cuius forma non idcirco genita est, ut formas ignoti hominis imitetur. Debet praeterea non communia ac remota imitari, sed quae speciem sequantur propriaque sint, ac praecipue corporis tum formam tum figuram. Sed quae ad partes diversas pertinent comparari non possunt nec alterum imago alterius ullo pacto dici, ut nec vox coloris nec olfactus vocis, atque ita in aliis. Aes enim et aurum hominis imago ideo fit quia et homo et aes videri possunt. At multo magis anima a Deo disiuncta est quam ab albedine harmonia. Quare si in iis imago non est, ne in illis quidem esse potest. Quamobrem frustra tot de imagine hoc loco disputantur. Ad haec, si ea, quam definimus, imago maxime ex figura capi solet, quae figuram non habent, quomodo imaginem habeant, haud video. Sed haec Plato diluit facile, qui de imitatione cum passim, tum praecipue in Sophista multa disseruit. Ponit is in Cratylo imaginem non modo in iis, quae videntur, verum etiam in iis, quae audiuntur; affirmatque orationem esse mentis imaginem. Licet enim oculus de harmonia non iudicet, mens tamen, quae de omnibus iudicat ac sensuum omnium imagines recipit, etiam in iis agnoscit imagines, quae ad alias pertinent potestates; ut quamquam nec tellus aquam omnem, nec aqua omnem operit tellurem, utrumque tamen aer caelumque complectitur, ita mens, omni cognitione superior, imaginem sensuum admittit. Cum tamen ea significantur, quae in anima sunt, in duobus praecipue sensibus dignoscitur animae simi-

---

4 propior] proprior *ac.N1* 6 quod eorum] quid horum *A* 7 duodecimo *N2 V A H*, 120 (whats that?); decimosecundo *Massa* 8 vita *Massa* 13 tum … figuram] etiam formatur figuram *corr. in marg. N1* 14 partes] potestates *N2* 26 de *in marg. N1* 28 aquam *pc.V*

1–2 qui … est] 12 Metaph. *MSS* 7–8 duodecimo … iubentur] 12 Leg. 19.*N1 N2 V A* 22–23 de … Sophista] Soph 92 *MSS* 23–24 Ponit … audiuntur] Crat. 30 *MSS*

7–8 duodecimo … iubentur] Lg. 12 956a 22–23 Plato … Sophista] Sph. 232a 23–24 Ponit … audiuntur] Cra. 430e

litudo, in visu atque auditu. Qui quidem duo et in Hippia Maiore menti coniunguntur et in Philebo praestantissimi dicti sunt atque divini. Quare et ex motibus actionibusque visu, et ex sermone auditu de anima eiusque studiis et affectibus iudicamus, ut ille erubescentem puerum conspicatus, bono esse animo iussit, quod certe rubor ille virtutis et bene affecti animi esset color. Fari etiam adolescentem volvere, ut mentem ex oratione iudicarent. Ad id quod de voce et colore dicebatur, etsi illa similia non essent, quae diversarum potestatum sunt, anima tamen imago Dei est, quae eadem virtute cognoscitur, mente scilicet atque intellectu. Et si a Deo plus distat naturae differentia, non tamen notitiae ordine, cum ab eadem mente utrumque intelligatur. Figuram etiam si non habet Deus, quaedam tamen habet, quae ita ad divinam naturam se habent, ut figura ad naturam se habet humanam. Id enim imaginis est, ut speciei aliquid praeseferat, qualis in corporibus est figura. Ex hoc quod Plato ait, in oratione animae imaginem spectari, facile negotium patebit universum, si Homeri versiculum citemus: Minervam inducit, quae Telemacum ad patrem imitandum adhortatur; imitari illum iubet et actione et verbo; ita enim Graecus sermo sonat. Haec illa docuit dea, quae a Platone et veteribus aliis pro divina prole induci consuevit. Praeter imaginem itaque figurae est altera imago, ut vides, verbo et actione. Actionum vero humanarum princeps voluntas est. Quare verbo voluntateque similitudo haec fit. Diximus de imagine, quonam pacto fiat. Nunc, secundo, imaginis huius exemplar suspiciendum est nobis. Nam ex Republica constat simulacra cognosci non posse, nisi ea prius innotuerint, quorum simulacra illa sunt. Pater enim mente dicens (ut sacrorum utar verbo) gignit; Verbum, quod a Patre exactum pefectumque genitum, ab eodem distinguatur necesse est, ut ante demonstravimus. Ab utroque vero manans amor ratione eadem ab utroque distinctus est. Vidimus exemplar, iam, tertio, imago consideranda est. Anima, cum de aliquo cogitat, numquam verbum in se ipsa, hoc est, exactam cogitare similitudinem, parit, donec id, de quo cogitat, exacte probeque intelligat. Cum vero cognoverit et genera et differentias ultimas, tunc primo idolum ac simulacrum in se ipsa gignit, quo res sicuti est significatur. Nunc facile, quarto loco,

---

6 ut] et *A* 7 diiudicarent *N1 N2 A* 12 naturam se divinam habent *tr. N1 N2*; naturam se habent humanam *corr. pc.A* 17 adhortatur] adornatur *Massa* 23 exemplum *N2 A Massa* | suscipiendum *ac. N2*

23–25 ex … sunt] 3 Reip. 32 *MSS*

1–2 Qui … coniunguntur] Hp. ma. 299c 2 in Philebo] Phlb. 51b 16–17 si … verbo] Od. 1.208 23–24 Nam … quorum] R. 3 402c

verbo animae cognito, id ostenditur quod investigatur. Nam si tria illa in anima sunt, potestas, habitus, actus, illi praecipue imago tribuenda est, quod ad exemplar, quod diximus imitandum, propius accedit et pressius. Atqui inest nobis et potestas infantibus et habitus dormientibus, tuncque verbum in nobis non apparet. Quare, ut supra diximus, nisi actus cogitandi adsit, numquam verbum aderit. Solus itaque actus est, qui et in intelligentia nostra exprimit verbum et in voluntate accendit amorem; quam ob rem solus ipse speciem Trinitatis ponit ante oculos, solus imaginem absolutam facit, solus Deo nos praestat redditque simillimos. Actus siquidem intelligentiae verbum in nobis parit; inde manat cognitae rei amor; quae plane duo sunt, unde divinae personae producuntur, atque, ut Minerva parentem imitandum praecipiebat, verbo ac voluntate, quae actiones instituit omnes ad illud assequendum, quod in primis amat. Quare non potestas, non habitus satis sunt ad reddendam imaginem, sed ut ea quam simillima reddatur, ad ipsas mentis vel agitationes vel actiones omne est consilium revocandum. Sint itaque partes imaginis tres: memoria, intelligentia, voluntas. Memoriam hoc loco id omne dici velim, quod habitum conservat; intelligentiam contemplandi, voluntatem amandi motumque atque actum intelligo. Erunt nempe in actione haec omnia, si memoria prompta quae tenet, offeret intelligentiae. Si intelligentia oblata contemplabitur; si voluntas ut nexus accedet tam ad id amandum quod intellectum fuerit, quam ad sorores duas vel ad actionem accendendas, vel etiam in officio retinendas. Quinto, deserendae non sunt omnino duae actus aemulae. Nam licet imago ad actum praecipue spectet, quoniam quae efficiuntur, etiam in principiis quodammodo continentur, ut hieme in arboribus poma esse dicimus, ut quibus sit pomorum facultas producendorum, ita et ex potestate et ex habitu sumi potest imago, ut ex iis, quae actum sola continent facultate, atque in iis ipsis duabus, dispari longe ratione sita imago est. Qui enim habitum habet, actum etiam habebit cum volet, qui vero sola praeditus potestate est, recte agere, nisi prius habitum contrahat, numquam poterit. Constat itaque primo ad actum, deinde ad habitum, postremo ad potestatem referendam imaginem esse. Quod si potestas Deo similem facit, nihil profecto est Deo dissimilius; qui enim actum appellat Deum, omnem prorsus

3 quod *om. V H* 7 nostra] *lnp. V* 8 ipsam *Massa* 9 nos Deo *tr. Massa* 12 parente *A* 21 contemplaverit *N2* 24 omnino non sunt *tr. ac. N2* 28 atqui *N2 V* 33 se *N1 N2 V H* 34 prorsum *N1 V H*

33 Solutio 1 *MSS*

potentiam (de patiente loquor) ab eo tollendam putavit. Sed ne habitus quidem, quamquam potestate longe melior, victoria potitur. Facit enim quod ocularia specilla seni faciunt, absque iis namque senex minime cernit; non tamen idcirco sequitur, melius esse specillis cernere, quam nudis solisque oculis, cum iuvenes illa non modo non desiderant, sed omnino abiciunt, ut cernendi impedimenta, deficientibus itaque ac senescentibus oculis, conducunt illa, non sanis. Ita habitus imbecillis humanae mentis oculis necessarius est, ut id prompte agat, quod agere absque studio ac labore non potest. At Deus, cuius actio labore non fit sed eadem est omnino cum natura, habitum nullum suscipit. Nosque similes Deo non habitu, quem numquam admittit, sed actu, quem numquam amittit, dicendi sumus. Danda igitur opera nobis est, ut quam maxime fieri potest in contemplatione versemur. Ita enim fit, ut Deum Optimum Maximum, qua maximum imitemur intelligendo, qua optimum amando complectamur. Amor namque non ardet, nisi quem accendit cogitatio; nec cogitatio absque habitu absoluta est, nec sine potestate fit habitus. Quare in quo futurus sit amor, tria illa connexa antecedant oportebit. Quam ob rem veteres Veneri Gratias perpetuas comites esse statuerunt, quae sunt tria animae nostrae munera, quae Deus filiae largitus est, ut redire ad parentem et potestate posset et habitu expeditae posset, et, quod per illas posset, actu assequeretur. Hinc Plato in Symposio divinum vocat amorem, et lex Christiana hoc solum praeceptum praedicare videatur charitatis atque amoris; quod certe non aliud in causa est, nisi quod is, qui amat, ut iunctas secum habeat gratias necesse est, in quibus et Parentis implemus imaginem, et ea omnia nobis comparavimus, quibus Parenti quam vicinissime coniungamur. Has octavo Odysseae Homerus facit Venerem lavantes, ungentes, induentes. Lavat potestas, quae id, in quo se collocat, ab omni corporis concretione purum facit. Tertio enim De anima libro mentem simplicem puramque esse oportere Aristoteles docet; si secus esset, contemplandi potestatem non haberet. Lavandi purgandique munus dat Apollini Plato in Cratylo. Sol enim divinus intelligentem

---

6 impedimentum *V H Massa* 14 quam *A* | imitemus *Massa* 19 rediret *N2* 24 secus *Massa* 30 contemplandi *om. N2*l | potestatem] partem *N2*

1 Solutio 2 *MSS* 26–27 Has … induentes] Hom. *N1 V A* 30–31 Lavandi … Cratylo] Crat. 37 *N1 N2 V H* 31–186.1 Sol … Republica] 6 Reip. 38 *N1 N2 V H*

21 Plato … amorem] Smp. 177a ff. 26–27 Has … induentes] Od. 8.364–366 28–29 Tertio … docet] de An. 3.5 403a 30–31 Lavandi … Cratylo] Cra. 405b 31–186.1 Sol … Republica] R. 6 509b

potestatem illuminat, ut sexto de Republica libro docet. Induere deinde habitus est proprium. Ut enim aurum reginae, ita habitus animae ornamento est. Is tamen non ornandi tantum, verum etiam beandi gratia ab anima comparatur. Feminae etenim nudae Plato ait virtutem pro indumento futuram. Actio denique unguenta divina perfundit, hoc est, immortales deorum delicias infundit in animam, quibus imbuta digna efficitur, ut naturae principis complexus admittatur.

62. *Obiectum esse Deum, quo contemplando amandoque imago fit. Paris*

Constat iam in actionibus mentis, imaginem sitam esse, quae sunt notitia in memoria, contemplatio in intelligentia, amor in voluntate. Verum quoniam nec omnis amor, nec omnis cogitatio laudi dari solet, ut cum inferre iniuriam amamus, cum afficere contumelia cogitamus, ideo perquirendum est nobis id, circa quod cogitandum amandumque versari nos oporteat, ut imago emergat, an promiscue quod vis aptum sit, ut cogitatum amatumque praestet, quam optamus, imaginem. Hinc omnia ad id apta videri possunt, cum potestates amandi atque intelligendi, aeque se ad omnia habeant tam amanda quam cognoscenda. Nam intellectus est, qui facit omnia, ut Aristoteles vult; bona vero cum sint omnia quae sunt (bonum enim, et id quod est aequa sunt) ac bonum appetant omnia, etiam voluntas ad quod libuerit diligendum, contendere aeque poterit. Et quoniam qualia principia fuerint, talia quae e principiis oriuntur esse debent, idcirco actiones potestatum illarum aeque se ad omnia adeunda habere oportebit. Quod si ita esset, quidnam id esset, circa quod versaremur, nihil interesset. Hinc contra existimare ratio cogit, si imago ac similitudo summo nos bono coniungit, ut amor quarundam rerum in summum nos mergit malum, quippe qui miser est, ut ex Platonis Symposio et ex Didone Maronis accepimus, ipsa enim illa perditi amoris miseriam falsa ita se appellat, Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt. Ex

---

1 potestatem] partem *N2* 4 etenim] enim *N2*h 5 denique] namque *A* 7 complexus] comphlexui *Massa* 17 potestates] pōtes *abbr. N1* | aequae *N1* 21 aequae *N1* 26 quorundam *A*

26–28 ut … Symposio] Symp. 14 *N2 V A H* 28 ex … accepimus] Virg. *V A H*

18–19 intellectus … vult] de An. 3.5 430a 26–28 ut … Symposio] Smp. 187a 28 ex … Maronis] Aen. 4.596

quo fit, ut non omnia idonea actionibus illis sint, quae imaginem faciunt, Deo nos, divinisque coniungentem. De facultate faciendarum imaginum, quam vocat imaginariam, late Plato agit in Sophista, ubi uti imaginariam ostenderet in genere, differentiis, ac definitione imaginis investiganda multa de imitatione et prius et postea disputavit, quibus statuisse videtur eas esse imagines quae facta sint ad aliquid imitandum, ut sunt quas dii daemonesque confingunt, ut hominum figuras ostentent. Homerus id docuit et postea Maro noster in decimo. Scripserat et id in Topicis Aristoteles libro sexto, fieri imitatione imaginem. In ea vero imitatione duplex est labor; alter ut imago easdem habeat species vel partium vel actionum, alter ut partes actionesque non modo sint specie eaedem, sed etiam similes. Illud simia imitari potest in lyra, in libro capiendo, quod fieri ab homine viderit; sed actiones illae similes non sunt, cum nec pulsando, nec legendo imitari queat ita, ut statuarius aut pictor effingit, cum partes totidem facit, assimilat postea cum attentius accuratiusque studet ut partes, quas effingendo fecerat, simillimae reddantur; ut effingendo faciat, assimilando perficiat, atque effingens inchoet, assimilans absolvat, et etiam extremam addat manum. Effingis siquidem canentem, cum etiam ipse canis, sed non assimilas, si non ita canis. Quae duo a Marone servata sunt; nam ut Aeneae fieret fugientis imago, Iuno gressus effingit euntis clypeumque subasque divini assimilat capitis. Ex utraque hac imaginis ratione demonstrari potest, unum esse quod cognoscendum amandumque sit, cum exacte imagini comparandae operam damus, id quod a nostris obiectum vocatur, ex quo praecipue, quam volumus, ducatur imago. Actiones Dei sunt praecipue qua seipsum contemplatur ut verum, et qua amat ut bonum. Tunc ergo effingitur praecipue imago nostra, cum actiones illas exercemus, summumque verum ut Deus contemplamur, idemque ut rerum optimum adamamus. Sed quoniam boni ratio non solum in eo est, quod ex se bonum est, sed in eo etiam quod bonum participat, ut oculus non sola luce, verum etiam coloribus lucem participantibus oblectatur; ideo in primis venerare Deum ut ex seipso bonum, deinde ea tibi amanda sunt, quae bonum propius viciniusque

---

6 factae *N2* 23 exactae *N1 N2* 25 praecipuae *N1 A* 31 venarare *ac. N1*; venare *H*

2–3 De … Sophista] Soph. 94 *N2 V H* 7–8 Homerus id docuit] Hom. *V A* 8 Maro … decimo] Virg. *V A H* 19–20 Quae … sunt] Virg. *N1 V A H*

2–3 De … Sophista] Sph. 236b 7–8 Homerus … docuit] Il. 2.20–22 8 Maro … decimo] Aen. 10.234–235 8–9 Scripserat … imaginem] Top. 1.17, 108a 19–20 Quae … sunt] Aen. 10.639–640

participant. Haec autem illa sunt, in quibus summi boni imago reperitur, ut anima, ut dii secundi, in quibus quidem amandis plus primum amatur bonum, tum quoniam summum causa est, ut minus illud bonum et sit et ametur, tum quoniam idcirco minus illud aditur, ut per ipsum cognoscatur id quod est summum, ac cognitum postea ametur ut summum. Ita nos in imaginem effingimus, cum divinas actiones suscipimus, quae sunt, ut divinam excellentiam sui gratia intelligamus amemusque, et animam mentesque caelestes, quasi divinae sublimitatis gradus, sublimitatis illius gratia intelligentia et pudicis amoribus complectamur. Diximus effingendi, nunc assimilandi ratio dicenda est. Non solum enim sat est eadem specie quodammodo actiones effinxisse, sed exactius introspiciendum est, quales divinae illae actiones sint, ut similitudinis decus absolvatur. Invenimus in divinis actionibus aequalitatem; quantum enim Pater novit, quantusque est, tantum intelligentia gignitur ac tantumdem est Verbum quod gignitur, tantumdem est etiam quod amat. Voluntas et quod ab amante voluntate dimanat; quare et actiones illae aequales sunt et ea quae producuntur visuntur omnino aequalia producenti. Quod si imago nostra absoluta esse velit, actiones, quas habet, simili aequalitate nexas habeat necesse erit. Atqui si ad alia respiciamus, aequales mentis actiones non erunt, non enim ut quodque cognoscitur maxime, ita et maxime amandum est; quare si non in Deo, sed in aliis vel pervidendis vel diligendis versamur, nec aequales erunt actiones nostrae, nec divinarum similes, nec etiam assequentur imaginis exacte dignitatem. Colligo itaque id solum obiectum esse mentis, in quo et contemplando et colendo imago divina in primis exprimitur, quod maximum verum est, et summum bonum; quod quidem ex duobus demonstratum est; tum ex effingenda imagine ut actiones nostrae eaedem specie sint, quantum fas est homini. Ex obiecto enim duci solet actionum species; tum ex assimilanda eadem, ut non modo specie, sed etiam simili aequalitate divinas actiones imitemur, ut quantum noverimus, tantum contemplemur, tantumdemque postea amore prosequamur; quod in rebus aliis evenire non solet. Nam quae maxime intelliguntur, sensilia sunt, eadem tamen non maxime diligenda sunt, cum maxima non sint bona. Quam ob rem intelligentia atque amor noster in illis aequales non erunt, nec umquam aequales erunt,

---

4–5 tum … ametur *om. H* 4 additur *V Massa* 7 excellentiam *om. N2* 10 nunc] nec *corr. in marg. N1* 14 tantumdem] tandumdem *ac.V* 15 etiam] et *N1 N2 A* 16 ab *sl. N1*lw 20 quodque] quod *A*; quandoque *H* 21 pervidendis] providendis *ac. N1*; providendis *A* 28 ex *om. Massa* 30–31 tantumdemque … prosequamur *in marg. N1* 32 sensilia] senslia *A*; sensibilia *V H* 34 nec … erunt *om. Massa*

nisi cum Deum et contemplamur et colimus. Ac ne imago quidem umquam divina in nobis plane micat, nisi cum in eo intelligendo ac venerando versamur. Sane Plato sexto de Republica libro tria ea commemorat, quae ipsi numeravimus. Pingens enim philosophum, cum multa tribuisset, vult, ut perspicax, ut memor, ut amicus sit veritatis; ubi tres actiones enumerat ad imaginem praeseferentia memoriae, intelligentiae, amoris. Sed quod ad presentem sententiam pertinet, eodem loco quid sit, in quo haec tria versari oporteat, minime dissimulat, sed in Deo atque idea contemplanda atque assequenda tantum nitendum esse persuadet. Ita enim ait: Ergo compositam et gratam praeter cetera cogitationem huic ingenio tribuamus, quod suapte natura propensum esse volumus, ad ideam cuiusque quod vere est inspiciendam. Haec Plato. Quae si rite solerterque considerentur, imaginem et effingere et assimilare reperientur, effingere in tribus enumerandis partibus, assimilare in illarum similitudine atque aequalitate praescribenda, quae in iis tantum apparet ingeniis quae non ad obiecta alia, sed ad divinam ideam assequendam propensa sunt. Nec ita multo post eodem libro rei huius causam reddit, cur imago divina non in aliis, quam in Deo ipso expetendo effigietur. An putas fieri posse, inquit, ut illud non imitetur aliquis, cui amore admittabundus adhaeret? His ille verbis sententiam auream docuit, amorem similitudinem parere, et amatores rerum adamatarum fieri quam simillimos. Quare animos qui pecuniam, qui corpora, qui voluptates, qui mortalia amant et mortalibus rebus similes et mortales quodammodo evadere, qui vero immortalia et divina, et immortali Deo reddi similes et divinos; et quoniam exacta similitudo imago est, idcirco probe dictum est, tunc maxime divinam effigiem inesse mortalibus, cum potiendo imitandoque Deo, navant operam. Urget autem parum id quod initio secum esse defendebat. Nam etsi cognitio aeque se ad omnia haberet, amor tamen cognitioni semper aequalis esse non potest; cognitio siquidem utramque novit partem

---

1 ne] nec *N1* (*ac.*) *N2* 7 quid] id *add. A Massa* 8 dissimilat *Massa* 11 natura *eras. N1* 12 inspiciendam] Ἔμμετρον ἄρα καὶ εὔχαριν ζητῶμεν πρὸς τοῖς ἄλλοις διάνοιαν φύσει, ἣν ἐπὶ τὴν τοῦ ὄντος ἰδέαν ἑκάστου τὸ αὐτοφυὲς εὐάγωγον παρέξει *add. N2* 16 ideam] essentiam *A* | consequendam *A* 18 effingatur *Massa* 19 adhaeret] haeret *N2*; ἢ οἴει τινὰ μηχανὴν εἶναι, ὅτῳ τις ὁμιλεῖ ἀγάμενος, μὴ μιμεῖσθαι ἐκεῖνο *add. N2* 27 secus *N2*

3 sexto … commemorat] 6 Reip. 6 *MSS* 17–18 eodem … effigietur] 6 Reip. 25 *MSS* 27 Solutio *N1 N2 V H* 29–190.1 cognitio … Aristoteles] 7 Met. *N1 N2 V H*

3 Plato … commemorat] R. 6 487a 10–12 Ergo … Plato] R. 6 486d 16–18 Nec … effigietur] R. 6 500c 28–190.1 etsi … Aristoteles] Top. 8.14, 163b

contradictionis, ut testis est Aristoteles. Amor tamen non utramque sequitur, qui pulchri bonique speciem expetit dumtaxat, malum ac turpe et detestatur et refugit. In Deo vero, ubi nihil est mali, nihil turpitudinis, quantum cognitio concipit, tantumdem amore, tandumdem appetitione consectamur. Hanc quidem, de qua agitur, aequalitatem significavit Averroes libro De caelo secundo cum de diis caelestibus ageret, et orbium illorum agitatoribus, ait siquidem tanto illos amare vehementius moventem primum, quanto pressius exactiusque cognoscunt. Quo in loco amoris mentisque aequalitas in divinae pulchritudinis observatoribus necessaria ratione constituta est. At Plato in Parmenide occultissimo remotissimoque mysterio unum Deumque ipsum vere aequalem atque aequum esse demonstravit, quippe qui parvitate vel magnitudine quantitatis, quam habet plane nullam, neque superet neque superetur. Quibus quidem verbis, Deum magnum infinitumque facit absque quantitate notitiae, intelligentiae, et amoris, tanta aequalitate, ut solus ipse aequalis dici possit, et ii qui eum sibi imitandum proposuerint. Ii sunt, quibus ille felicem hanc aequalitatem dederit, seque ipsum ut bonum summum amandum persuaserit, quosque aequos fecerit, cum ipse aequus amaverit. Quod e sacrarum disciplinarum penetralibus atque e secretissima Parmenidis lectione hausit Maro cum dixit, Pauci quos aequus amavit Iuppiter; quos namque Deus amat ad se amandum convertit, amoreque, ut diximus, dat similitudinem, dat imaginem, dat imaginis partiumque atque actionum aequalitatem, a qua quidem qui abit, ut ingenti ruina labatur necesse est. Aut enim notitia peccat, ut in rudi ignavoque vulgo, quod a Musa atque eruditione alienum feris Plato comparat tertio Reipublicae. Aut peccat intelligentia, ut in Sophista ambitiosoque philosopho, quod hominum genus in Sophista, in Euthydemo, in Protagora late insectatur Plato. In Sophista enim mercatores disciplinarum et contradicendi studiosos vocat; in Euthydemo plausus et gloriolae futiles ineptosque captatores; in Menone iuvenum labefactores pestesque civitatum;

4 tantumdem] tandumque *A* | tandumdem] tandumque *A* 13 superatur *A* 27 quot *A* | in] plausus *ac. praem. A*

5–6 Hanc … secundo] 2 Cae. 58 *N1 V A H* 10–12 Plato … demonstravit] Parm. 69 *MSS* 20–21 Maro … Iuppiter] Virg. *N1 V A* 25–26 quod … Reipublicae] 3 Reip. 54 *MSS*

5–6 Hanc … secundo] Comm. de Cael. 2.58 10–12 Plato … demonstravit] Prm. 150de 19–21 e … Iuppiter] Aen. 6.129–130 24–26 ut … Reipublicae] R. 3 411d, 415e 28–29 In … vocat] Sph. 223a, 224b, 225b 29–30 in … captatores] Euthd. 305cd 30 in … civitatum] Men. 92a

in Protagora mercatores cauponesque iuvenum. Peccat itaque in iis intelligentia: nam, ut in Sophista scribitur, sapiens in eius quod est luce versatur, Sophista in eius quod non est; nocte caligat; idcirco horum intelligentiam errare dicimus; tum quod ea quae vere sunt ideasque non attingunt, ut Platoni placet, tum quod pares aequalesque non sunt, quippe qui in iis intelligendis maxime occupantur, quae amanda minime sunt, ubi intelligentiae et amoris discordia apparet. Aut tertio in aliis peccat amor: licet enim et norint et contemplentur quae bona sint, ea tamen ardentissime amant, quibus amandis et ratio et intelligentia reluctatur. Atque hic est omnium eorum error, qui humanam admirantes pulchritudinem et divinae obliviscuntur, et in illa, quam admirantur, assequenda se beatos putant. Hinc ab Homero adinventus est Paris, qui cum tres illas audisset deas nudasque, uti fingunt, inspexisset, duas expulit, uni palmam dedit. Iuno amabilis interpretatur, ut in Cratylo Platoni placet, quod eam Iuppiter amore prosequatur; amat autem Deus nihil nisi quae rationem participant. Quare Iuno rationem notitiamque significat. Minerva atque Ἀθήνη pro ea intelligentia ponitur, quae divina contemplatur, ut eodem libro, non ita multo post Plato testatur. Venerem nunc amorem in Symposio, nunc voluptatem in Philebo interpretatur. Hae deae Paridis iudicio sese offerunt, hoc est, tres illae imaginis divinae partes unicuique mortalium sese offerunt, ut quae si ut divinae ac circa Deum versantes conserventur beatum faciunt Paridem in silvis atque animam in materiae ac corporum tenebris obseratam, quo ad bruta pascenda missa est pastoris officio functura, tum quod brutorum et animalium omnium homo principatum teneat, teste Timaeo, tum quod animus in hoc corpore collocatus est, ut pastor sit et colonus inter innumerabilia bruta, quae interiorem hominem oppugnant, ut mirabili ac divino figmento nono de

---

5 pares] impares *ac.N1*; im pares *A* 8 sunt *V H* 11 obliscuntur *N1* 12 cum *add. N2* 19 deae] se *ac. praem.N1* 20–21 hoc … offerunt *om. N1 H* 24 tum quod] tumq: *abbr. N1 V H*

2–3 ut … est] Soph. 77 *MSS* 4–5 quod … placet] 6 Reip. 38 *N1 V A H* 14 Iuno … Cratylo] Crat. 36 *N1 A H*; 36 *N2*; Carat. (*sic*!) 36 *V* 16–18 Minerva … libro] Crat. 40 *N1 A H*; 40 *N2*; Carat. (*sic*!) 40 *V* 18–19 Venerem … Symposio] Sym. 14. 20 *N1 N2 V A* 19 nunc … interpretatur] Phil. 3 *MSS* 24–25 quod … Timaeo] Tim. 83 *MSS* 26–192.1 inter … Republica] 9 Reip. 31 *MSS*

1 in … iuvenum] Prt. 313cd 2–3 ut … est] Sph. 254a 14–15 Iuno … prosequatur] Cra. 404c 16–18 Quare … testatur] Cra. 407b 18–19 Venerem … Symposio] Smp. 180d 19 voluptatem … Philebo] Phlb. 12b 23–25 quo … Timaeo] Ti. 41cd 25–192.1 quod … Republica] R. 9 590ff.

Republica docet Plato. Paris vero παρὰ τοῦ παριέναι τὸν μόρον, hoc est, ab effugienda morte interpretatur, et quod infans ab exitio destinato subrectus est, et quod pro anima ponitur, quam sapientum sententia facit immortalem. Sed cum male immortalitati consulit, ad mortaliaque amanda se convertit, non Paris sed Disparis ab Hectore vocatur. Nam cum in silvis esset, non Dianam sectatur, sed Helenam, a sapientibus senibus detestatam, ac Veneri uni studens alias reiecit, hoc est, amori dans operam, notitiam, intelligentiamque post habuit. Quare similitudinem divinam quasi Iovis filiam violavit, cum a trium partium aequalitate descivit uni haerens Veneri, inequalis factus atque impar, ut Disparis a fratre iure nominetur. Paride miseriores sunt, qui Iunone non fabulosa, sed divina cognita, in veterum patrum coniunctione, amore, consuetudine cum Deo, Minerva visa in Christi nostri prodigiis, Venere suscepta in adventu Spiritus. Perstant tamen in sententia, et Paridis iudicium vitae imparitate seu potius impuritate sectantur; quod ideo eis usuvenit, non quidem quia amant, sed quia et id quod est amandum et qua amandum est aequalitate non amant.

63. *Imago nostra respondet Trinitati apertissime*

Respondere tamen divinae Trinitati humana imago parum credi poterit, si ea examinentur, quibus illa a divina Trinitate disterminatur. Nam pater prolesque divina, ita aeterno foedere iuncti sunt, ut alterum sine altero esse non possit. At memoria nostra non semper intelligentiae iuncta est; quare ea, quae humana imago dicitur, videbitur fortasse cuipiam divinae rei parum respondere. Amor etiam aequis passibus notitiam intelligentiamque minus sequitur. Nam vel minor est, ut in philosophis Deum multum rimantibus, sed amantibus parum; vel maior, sicuti in rudibus, illum minime cognoscentibus, sed ardentissimo amore prosequentibus. Ex quibus addubitari non iniuria potest, respondeat ne satis Deo ea imago, quam in homine ponendam contendimus. Haec facile enucleari

---

2–3 destinatos *V H* (*pc.*) 3 subreptus *N2* 5 Disparis] Δύσπαρις *N2* 12 coniunctione] cognitione *corr. in marg. A* 14 adventum *V* | praestant *N1 V A H* 15 imparitate *N1* 22 esse] esso (*pro* esse) *Massa* 24 aequis] si quis *A*

5 non … vocatur] Hom. *N1 V H* 20 1 *N1 N2 V H* 24 2 *N1 N2 V H*

5 non … vocatur] Il. 3.39, 13.769 29–193.1 Haec … scribuntur] Prm. 127e

possunt ex iis, quae in Parmenide scribuntur, ubi quamquam negantur similia esse dissimilia, hoc est, similitudinem dissimilitudinem dici, fieri tamen posse conceditur, ut aliqua utrumque participet, ut tametsi amicus amico multis sit in rebus et par et similis, impar tamen est semper in plurimis et dissimilis. Quo fit, ut nulla sit amicitia, quae nihil in amico desideret. Ita imago nostra, etsi similis Deo est in quam plurimis, nihil tamen prohibet multo in pluribus esse dissimilem. Similia namque omnia etiam dissimilia sunt; nam quae sunt omni ex parte similia eadem dici volunt, non similia. Quare divina ex imagine ne quis sibi nimium placeret, homines Plato, et simias in Hippia maiore et in Phaedone ranas formicasque appellitavit; quibus quidem haud aliud voluit, nisi ut praeceptum Timaei recenseret, quo monemur, id quod utilissimum semper erit, ut homines nos esse meminerimus, hoc est, imagine quidem similes Deo, sed innumerabilibus prope rebus longe lateque dissimiles. Nunc autem quinque sunt, quibus imago nostra divinae rei propius accedit, facitque ut quamquam a divina praestantia absumus quam longissime, modo tamen quodam viam illius propius adeundi inveniamus, si in eius vestigatione, veneratione, cultu, studium, collocemus. Haec quinque nunc dicentur summatim, quae postea latius explicanda sunt. Nam cum initium cognitionis omnis, ut saepe diximus, ex Parmenide sit per idem ac diversum, ex diverso tria, ex eodem duo animadvertimus, quibus veluti quinque nexibus Deo et annectimur et coniungimur. Ex diverso quidem est origo, distinctio, ordo; ex eodem vero est unitas substantiae et aequalitas. Sexto de Republica libro haec a Platone monstrata sunt. Origo siquidem manifesto nomine significatur, cum ait boni filium a bono ipso genitum. Ortum itaque filii statuit; statuit igitur et originem, quo alterum ab altero dimanat. Verum, ut ante demonstravimus, ea, quorum alterum manat ab altero distincta esse necesse est. Hippias enim Maior ait, nihil a seipso gigni posse, quam ob rem alterum sit oportet a gignente

---

1 negantur *iter. N2* 6 Deo] in *praem.ac.A* | est] sit *V H* | in … plurimis *om. V H*; inquam plurimis *A* 11 appellavit *A* 15 Nunc] Nec *corr. in marg. N1* 25 signatur *A*

1–2 in … dissimilia] Parm. 4. 7 *MSS* 10 homines … maiore] Hipp. 15. 16 *MSS* 10–11 Phaedone … appellitavit] Phaed. 76, 77 *MSS v* 11–13 haud … meminerimus] Tim. 32 *MSS* 20–21 initium … idem] Parm. *N1 V* 24 Sexto … sunt] 6 Reip. *N1 V A* 28–29 Hippias … posse] Hipp. Ma. *N1 V A*

9–10 Quare … maiore] Hp.Ma. 289b 10–11 in … appellitavit] Phd. 109b 11–14 ut … dissimiles] Ti. 29c 20–22 cum … coniungimur] Prm. 127e 24 Sexto … sunt] R. 6 506e 28–194.1 Hippias … gignitur] Hp.Ma. 297a

quod gignitur. Ordo etiam originis statuitur cum primo gignens, postea intelligentia genitum eodem libro constituatur; postremo vero amorem manare quis non videt? Nihil enim amatur nisi cognitum, neque amare quisquam potest quod non novit. Ex quo fit, ut hic appareat ex Platone ordo, ut primo gignens, deinde proles, denique amor statuendus sit; qui tamen ordo originis tantum est, non temporis, non virtutis, quae quidem aequalis in omnibus plane reperitur. Haec sunt tria, quae ad diversum pertinent, origo, distinctio, ordo. Nunc duo, quae ad idem faciunt, in Platone quaerenda sunt. Is sexto Reipublicae libro ait, filium sibi consimilem genuisse; et quoniam ea similitudo perfecta sit oportet, ne animantes sint in gignendis liberis Deo perfectiores. Quare et natura et virtute similis sit necesse est, ne rerum perfectissimum sit gignendo imperfectissimum. Quare erit et substantia eadem, et par prorsus aequalitas divinarum personarum. Quae quidem omnia nostrae imagini mirifice, et quadrant, et consentiunt. Est enim gignens memoria, quae perpetua comes est animae, si Platonem audis, qui contemplantes, reminiscentes in Menone vocavit. Est quae e memoria gignitur, intelligentia; est etiam ab utroque manans amor, in quibus origo, et manatio alterius ab altero, eodem ferme modo in nobis visitur, quemadmodum in Deo. Est etiam et distinctio, cum actiones illae omnino diversae sint, et alterum ex altero proveniat. Stat et par ordo, praecipue si Platonis sententia teneatur, qui in Phaedone memoriam nostram nostrae intelligentiae ac reminiscentiae anteponit; idem in Menone, in Timaeo, in Philebo scriptum reliquit. Est etiam substantia eadem, cum hae nostrae actiones ac potestates eadem in animae natura sitae sint. Constat itaque mirum in modum Deo debere humanum genus, quod ille ad imaginem et similitudinem genuerit suam, quod nulli omnino aliorum obtigit animantium. Quod quidem iure evenit, cum ex Timaeo alia, quae gignuntur, a natura fiant secundisque causis, anima vero, ut caeleste semen a Deo optimo maximo genita sit; cui duo ab ipsa

---

3 neque] nec *N2* 8 Nunc] Nec *corr. in marg. N1* 11 Quare] (hac) re *coni. Massa* 15–16 animae est *tr. N2 A* 18 quibus] queis *N2*; quīs *Massa* 22 memoria nostra *V H* 24 haec *ac. N1* | in *iter. V* | animae *sl. N1*; anima *Massa* 25 sint] sunt *ac. N1*

9–10 sexto … genuisse] 6 Reip. 38 *MSS* 15–17 Est … vocavit] Menn. 25 *MSS* 21–22 qui … anteponit] Phaedo 22, 24, 25, 28, 52, 53 *MSS* 23 idem in Menone] | in … Timaeo] Tim. 87 *MSS* | in … Philebo] Phil. 56 *MSS* 27–29 cum … sit] Tim. 82, 84 *N1 N2 V A*

1–2 Ordo … constituatur] Hp. ma. 297c 4–5 fit … sit] R. 6 506e 9–11 Is … perfectiores] R. 6 508b 15–17 Est … vocavit] Men. 81e 21–22 qui … anteponit] Phd. 72e 23 idem in Menone] Men. 85d | in Timaeo] Ti. 28a | in Philebo] Phlb. 34bc 27–29 cum … sit] Ti. 41c

genitura tradita sunt, et caelestis regis natura quae immortalis est, et vis e terris ascendendi quae ignis est, patrisque et originis repetendae. Quae quidem duo, tam de natura, quam potestate accepit a Platone Virgilius. Ait, enim, Igneus est ollis vigor et caelestis origo. Quod si caelestis dicitur, quod a caelesti tantum principe procreetur; at quinque tenent caelum zonae, ut ille scribit. Quinque paulo ante numeravimus in divina Trinitate; eadem in nostra imagine demonstrata sunt. Quam ob rem, nihil est cur dubitemus, animam nostram et imaginem divinam praeseferre, et eam exactissima obtinere ratione; modo nubes ac tenebrae humanarum rerum lumen nec extinguant nec obumbrent, quod signatum est super nos, ut Psalmus canit. Horum vero quinque quattuor a natura sortiti sumus, originem, distinctionem, ordinem, et naturam eandem; sed aequalitas, quae similitudinem, assimilationemque, ut ita dixerim, a qua imago perficitur, non natura, sed divina benevolentia fit in nobis, si sacra studio, si vitae integritate, si pia contemplatione, si sacro denique amore foveatur. Omni itaque ope nitendum est nobis, ut assimilans perficiensque aequalitas comparetur, sine qua imaginem quidem habemus, similitudinem quae imaginem perficit non habemus, et ideo ad Dei imaginem sumus, sed ad similitudinem non sumus, nisi in eo imitando assequendoque sit positum quicquid sumus. Iam constat quid adversariis respondendum sit: similitudinem hanc nostram ex Platone multae dissimilitudini mixtam esse nec imaginem omnia habere, quae id habet, cuius imago est, ut in Cratylo scribitur; non tamen idcirco fieri, quin quinque his rationibus similitudinibusque divinae rei propius accedamus. Aequalitas vero, ut perditur amoribus profanis et noxiis, ita sacris divinisque recuperatur; additurque hoc quintum studio atque amore boni summi quattuor illis, quae nobis a natura tributa sunt; ut enim aliquid vehementissime amatur, ita studiosissime quaeritur.

---

4 ollis] illis *in marg. V* 7 sunt *om. A* 13 assimilationemque] assimilitudinem *corr. in marg. N2* 23 quinque] quandoque *N2*

2–3 Quae … Virgilius] Virg. *N1 V A* 5–6 quinque … scribit] Virg. *V* 20 Solutio 1 *N1 N2 V H* 22–23 nec … Cratylo] Crat. 81 *MSS* 24 Solutio 2 *MSS*

4 Ait … origo] Aen. 6.30 9–11 modo … canit] Ps. 4.7 21–23 similitudinem … scribitur] Cra. 430c

64. *Potentiae ab anima distinguuntur. De Iano, Pane, Solis bobus, Lampetie*

De animae potestatibus hoc loco controversia versatur: sintne eaedem cum anima. Alii tum ut animam simplicem ac non concretam facerent, eandem plane cum potestatibus esse crediderunt. Nam et nequicquam plura inculcantur, cum pauca satisfaciunt, ut in Physicis in Anaxagoram dicitur. Atqui, si secus res se haberet, idcirco id esset, quod substantia actiones non exercet sine mediis, mediae vero illarum poni consueverunt potestates. Id tamen parum obstare existimant. Nam cum substantiae aliae sint extremae, aliae mediae; extremae, hinc Deus, hinc corpora, Deus quidem idem cum potestate et actione est, corpora a potestate et actione distinguuntur. Ergo substantiae mediae, medio se modo habeant necesse est, quam ob rem si ab actionibus, non a potestatibus seiungi volunt. Animam vero esse mediam nemo ignorat, quae sola hinc divinam mentem, hinc silvestrem sensu naturam sortita est. Quo factum est, ut Hetrusci, qui ante Dardaniam Phrygiamque celebratam, ac proinde longe ante Graecorum res in Italia floruere, et ut Diodorus ait, cognitione rerum humanarum et divinam universo orbi admirabiles visi sunt, animam caeli in primis ac deinde etiam hominum Ianum bifrontem vocaverint, quod hinc divinis contemplandis, hinc corpori curando agitandoque det operam. Quare in Cyminio vertice turrim Iani a Iano constructam dixerunt, quam postea Surrianam appellarunt, tum ad inundationes vitandas, ut Plato et Strabo docent, qui idcirco primos post inundationem homines montana coluisse prodiderunt, tum ad animae naturam, quam Iani nomine vocant ostendendam. Ex eo enim vertice utraque Hetruria spectatur, et Ciscyminia Veiorum ac Phaliscorum, et Transcyminia Volturrenorum ac Volsiniensium. Haud secus atque anima, quae utriusque naturae confinia, sortita, sensilium atque insensilium, non inuria bifrontis Iani nomine vocata est. Quippe quae, Platone teste in Timaeo, ex dividua constet individuaque natura. Graeci, Aegyptiorum et Hetru-

---

7 se res *tr. N1 N2 A* 14 hinc] hic *A* 15 sensu *om. Massa* 26 et … Veiorum] et cis Cyminia veiorum *N1 H*; eis Cyminia Veiorum *A* 28 natura *A* | sensibilium atque insensibilium *V H Massa* 30 ex] ea *ac. V Massa*

5 1 *N1 N2 V* 5–6 nequicquam … Physicis] Phy. 1 *N1 V* 7 2 *N1 N2 V* 17–18 ut … sunt] Diod. 6 *MSS* 29–30 Quippe … natura] Tim. *N1 V A*

5–7 Nam … dicitur] Ph. 1.4 188a17–18 17 ut Diodorus ait] Bibl. hist. 5, 40, 2 22–23 tum … Plato] Ti. 22d 23 et … Strabo] Geogr. 1, 3, 4 et 21 29–30 Quippe … natura] Ti. 35a

scorum aemuli (utrique enim sapientiae studiosissimi fuere), animam non Ianum, sed Pana vocaverunt semivirumque caprum, semicaprumque virum, non bifrontem, ut Hetrusci, sed biformem. In dispari tamen fabula par consilium fuit. Quare Pelasgi, qui Hetruriam postea invaserunt, Volturrenae, quae ad Cyminias radices sita est civitas, in Graecorum monumentum Lycaeum ac Sevaston Pana coli statuerunt Lucumque diemque (Marone auctore) sacraverunt. Atque in nostram usque aetatem, clivum eadem in civitate quemdam Sevaston Pana vulgus adhuc vocat. Latius haec commemorare libuit, ut anima se mediam rerum animadvertens, a brutorum moribus voluptatibusque se vendicet, locum gradumque tueatur, quem sibi honestissimum sentit, diisque cognatissimum a natura datum. Sed ut unde digressa est, eo revertatur oratio, si media est rerum anima, atque ut substantia ad substantias, ita affectiones ad affectiones se habeant fas est, qua corporibus nectitur diversa ab actionibus, qua Deo iungitur eadem cum potestatibus sit ratio postulat. Actiones praeterea aliae perfectae consummataeque sunt, aliae rursus mancae et imbecilles; superiores quidem medium habent habitum, sequentes medium non desiderant. Nam si affectiones mancae animam ex se sequi non possent, potestates etiam animae per se non haererent, sed medium ipsae etiam requirerent, atque infinita ratio procederet, quod, Aristotele teste, fieri non potest. Solent denique adversarii huic sententiae inde resistere, quod cum potestates inter se non sint eaedem, non possunt cum re alia esse eaedem. Sed id minime verum est. Nam Homerus, Platone teste, sensum mentemque idem esse vult; quare potestates nec invicem nec ab anima distinguuntur, sed eadem anima, qua sentit, sensus, qua intelligit, intellectus appellatur. Haec opinio recepta passim non est. Nam potestas nihil est aliud quam agendi patiendique principium, non ut agens aut passum, sed ut id quo agit agens et quo patiens patitur, quemadmodum ignium calor et terrarum sitis. Quare cum anima substantia sit, si actiones sit habitura, initia agendi habeat oportebit. Ea initia potentiae potestatesque nominantur, quas quidem ab anima distinctas

---

8 Pana] coli statuerunt quod sic *add. V H* 20 etiam ipsae *tr. V H*; ipse etiam *N1* 25–26 sensus] ideo *corr in marg. N1* 27 potestas] potentia *A*; passio *H* 28 agens] agent *V H* 30 oportebit] necesse *praem.*20

1–3 animam … biformem] Plot. *N1 A H* 15–16 3 *N1 N2 V A* 20–21 quod … potest] 4 Phy. 12.77 *N2*; 4 Phy. 12. 77, 5; Phy. 13; 7 Phy. 3 *N1 V A H*

6–7 Lucumque … sacraverunt *cf.* Aen. 8.342 ff. 20–21 infinita … potest] Metaph. 2 994a8–9, Ph. 8.5 256a 13 ff. 24 Platone … vult *cf.* Cra. 407 ab, *cf.* Tht. 194ce

esse ratio numerosissima comprobare potest. Primo quidem de quavis potentia, deinde de ea, de qua nunc agitur, disseremus, ut denique aliud animam, aliud animae mentem esse intelligamus. Definitur sane potestas quinto libro Metaphysices hoc modo: Potestas initium est in alterum agendi vel ab altero patiendi. Pati itaque atque agere potest nihil, nisi principium insit, quo aut agat aut patiatur. Rerum enim vel procreandarum vel demonstrandarum auctor sol non esset, nisi substantiae additos radios haberet atque lumen; ac quamquam innumerabiles fere homines operam in philosophia studiumque collocaverunt, multi tamen adinventi non sunt, qui ea posteritati mandaverint quae a Platone, quae ab Aristotele mandata sunt; quod ideo non egerunt, quod agendi initium, potestatem facultatemve minime habuerunt. Quare si anima, etiam corpore soluta, intelligit (tunc enim praecipue sapientia ponitur, ut Phaedon ait) tunc id quod est intelligentiae actionisque initium habeat oportet, quae potestas ab Aristotele nuncupata est, quae non illud est quod agit, sed id quo agens utitur cum agit. At semper utens ab eo, quo utitur, alterum est, teste Alcibiade Priore, ut eques atque equus, armatus et arma, nauta ac navis. Adde quod, uti essentia ad esse, ita potentia ad actionem se habet; nullus enim actus esse potest, nisi prius esse potuerit (de genitis semper loquimur). Atqui esse nihil absque essentia potest. Quare et agere absque potestate nihil potest. Praeterea, potestas atque actus omnia rerum genera percurrunt, semperque, teste Averroe, eiusdem est generis potestas, cuius actus est; at actus omnis, de quo nunc agitur, accidens est, non substantia. Quare nec substantia nec anima potestas est dicenda, sed accidens. Hactenus in universum, nunc ad animam praecipue veniendum est. Primo quidem anima potestatibus comparetur suis. Ipsa quidem uno in homine una est, potestates vero eius permultae; quod ex iis, quae quinto de Republica libro scripta sunt, constare potest. Distincturus enim potestates animae ita ait: "Potentiae," inquit, "colorem figuramque

2 qua de *tr. N1 N2* 4 Metaphysices libro *tr. N2* | in *sl. N1* 9 studiumque] studium *N2* | collocaverint *N1 N2 A*; collocaverant *H* 10 sunt] solum *corr. in marg. N1* 12 facultatemque *V H Massa* 13 Phaedon] Phedrus *A* 16 cum agit *om. V H* | quo] quod *A* 19 esse] essentiae *N2* 23 at] ut *A* 29 animae *om. A*

3–4 Definitur … Metaphysices] Met. 5 *N1 V A* 16–17 semper … Priore] Pr. Alc. 61 *N1 V A H* 26–28 Ipsa … potest] 5 Reip. 51 *N1 N2 V H*

3–4 Definitur … modo *cf.* Metaph. 9 1046a, 11–20, *cf.* 4, 15 1021a, 15 12–13 si … ait] Phd. 68ab 14–15 quae … est] Metaph. 5 1014b 16–18 semper … navis] 1 Alc. 129c 21–24 potestas … substantia] Comm. Metaph. 9.11, Comm. de An. 1.6 27–199.2 quod … agit] R. 5 477d

non video, ut plurium eorum quae distinguo, sed ad id solum aspicio, ad quod est ac quod agit"; ubi potentias ex iis, quae agunt, hoc est ex actionibus, actiones ex iis, ad quae potentiae tendunt, quae obiecta dici solent, distinguit ac diiudicat; potentias etiam utroque cognosci vult. Nec ita multo post ait: "Illam quidem, quae ad idem tendit idemque agit, eandem voco; aliam vero eam, quae tam aliud spectat quam aliud operatur." Haec Plato. Potentia oculorum atque aurium ideo diversa statuenda est, quoniam tam actiones quam obiecta diversa sunt, aures si quidem auditum et voces, oculi obtutum lucemque suscipiunt. Quod si arbores de foliis ac fructibus, ex sermonibus et rebus gestis homines, potentiae ex actionibus obiectisque existimandae sunt; cum quinque sint rerum genera, quae sensu comprehenduntur, ut Theages Mennonque disseruit, par est, ut tum actionum tum potentiarum genera quinque sint. Quod si ex iis velut e quinque fontibus voluptatem hauriebat Epicurus, anima vero ei non nisi una aderat, quamquam non nisi in ea voluptate miserrima, quae sese in auras solvendam nullamque futuram esse expectabat; si itaque anima una, potestates multae, fieri non potest anima potestatesque sint idem. Unum namque ac multa, Parmenide auctore, contraria sunt; haec eidem inesse non possunt, nisi ex diversis. Quam ob rem diversas esse potestates ab anima necessarium est. Definit porro Plato animam, libro Legum decimo, quod est se ipsam movens, vexatur autem ab Aristotele primo libro De anima, tum quod motum omne corpus sit, tum quod idem actu potestateque simul praeditum esse diceretur, si quid se moveret. Solvit utrumque nodum Plato perquam facile, alterum libro Legum decimo, cum numerat motus animae: velle, considerare, consultare, curare, atque alios eiusmodi, quibus non corpora, sed animi agitantur; solvit alterum cum potentias diversas esse demonstrat libro de Republica quinto. Quare idem esse movens ac motum ex diversis, non modo falsum non est, immo est etiam necessarium. Tertio enim De anima libro adversatur a corde

---

2 ac] ad *A* 7 potentiam *N1 V A H* | atque] et *V H Massa* 14 voluntatem *Massa* | Epicurus] *De Epic. cf., e. gr., Cic. De fin., 3, 1, 3 et 2, 12, 36*s *add..Massa* 22 tum quod] tamque *H* | idem] item *Massa* 25 curare, consultare *tr. N2 A* 29 libro *cf. pot. De An. hist., 3, 5, 515a, 28_ff. add. Massa* | adversatur *coni. Massa*; adversarius *MSS*

11–12 quinque … Theages] Theag. 25 *MSS*; "In Theag. non inv." *Massa* 12 Mennonque disseruit] Men. 14, 15 *MSS* 18 Unum … sunt] Parm. 8 *N1 N2 V H* 24–25 libro … animae] 10 Leg. 18 *MSS*

5–7 Illam … Plato] R. 5 477d 11–12 cum … disseruit] Men. 76de 18 Unum … sunt] Prm. 129cd 20–21 Definit … movens] Lg. 10 896a, 894b ff. 21–23 vexatur … moveret] de An. 1.3 406a, 1 ff. 24–26 alterum … agitantur] Lg. 10 896e–897a 26–27 alterum … quinto] R. 5 478cd

moveri nervos, ab illis membra postea agitari; quare idem animal movens motumque est, non qua idem, sed qua diversa complectitur. Ratio enim auriga fit a Platone in Phaedro equos agitans, hinc pravum, hinc probum, iubetque ubique ut ratio imperet, vires aliae tanquam duci obtemperent obediantque rationi. Potestas igitur potestatem movet, cumque nihil se ipsum movere possit nisi ex diversis, anima igitur potestates continet sibi haud quaquam easdem, sed diversas. Denique comparabimus potestates inter se ipsas, non movendi ordine, sed interstitiis existendi. Existunt namque sede non modo non eadem, sed ne simili quidem. Nam praeter id quod alia est potestas aurium, alia oculorum, quatuor in arce corporis capite, veluti in metropoli, unus brutis cognatus, in membris viget etiam aliis quasi in regno universo, ubi vulgus desipit, et tanquam in stabulo cum brutis, et ebrietati servit et Veneri, atque, ut ex nono de Republica Maro mutuatus est: "Centauri in foribus stabulant Scyllaeque biformes." Praeter horum, inquam, sensoriorum sedes varietatesque, est et pugna dissentioque longe maior. Nam partim membrorum et corporis manifesti colonae sunt, ut haec quinque quas diximus, partim corpus quidem incolunt, sed, velut Trogloditae, cavernas latentes tenent occultaque penitus cerebri penetralia. Partim denique adeo divinis coniunctae sunt, ut a corporis se commercio vindicent. Nulli peculiaris sit sedes, nulli certa domus. Quod si adeo diversae inter se sunt, nulli rei idem esse possunt. Fieret enim ut ipsae etiam essent idem, quod, uti ostendimus, nemo, nisi desipiat, unquam dixerit. Quare potestates et insunt animae et ab animae substantia distinguuntur. Neque adeo simplex anima est, ut auctori Deo aequanda sit, in quo praeter puram nudamque substantiam, nihil adventitiae rei est, nihil accidentis, nihil peregrini. Simplex enim dicta est, non quod accidentia non admittat potestatum, habituum, actionum quibus ita interdum offunditur, ut ignoto marino monstro et Glauconi alga tecto similis videatur, ut de Republica libro decimo Plato comminiscitur. Sed ideo, inquam, vocata est simplex, quod eius substantia ex corporea non

1 postea membra *tr. V H* 8 ordine] ratione *praem.V H* 10 alia] aliud *corr. V* 11 capite *cf. Tim. 31, 69de; 16, 44d; 16, 45a add. Massa* 17 quidem corpus *tr. V H* 19 adeo] a Deo *N1 V A H* 21 adeo] a Deo *N1 V A H* | sese *Massa* 24 adeo] a Deo *N1 V A H* 25 sit] sint *N1* (*pc.*) *A* | substantiam] substanstiam *ac. N1* 26 nihil … nihil *om. Massa*

2–3 Ratio … agitans] Phaedr. *N1* 13–14 ex … biformes] 29 *N2*; 9 Reip. 29, Virg. *N1 V H* 24 Solutio 1 *N1 N2 V* 27–29 quibus … decimo] 10 Reip. 28 *MSS*

2–5 Ratio … rationi] Phdr. 246b 13 ut … Republica] R. 9 590ab 14 Centauri … biformes] Aen. 6.285 28–29 ut … comminiscitur] R. 10 611d

constet mole atque a membris, quae integra impartibilisque incolit, quandoque libero caelo fruens evadat et elabatur; potestates vero, substantiae comites, numquam omnino amittit. Pauca vero multis anteponenda tunc sunt, cum necessaria multa non sunt. Non enim vel stella una, vel caelo uno natura contenta est. Ita, sicut docuimus, quod sola non potest anima, per has veluti per adiutrices necessarias comites, adiuta atque instructa potest. Quidquid enim potest, agendi potestatem habeat necesse est; id quod primo de Republica libro Plato docet. At vero quod media est anima rerum omnium, id propterea dicitur, quod hinc corporibus, hinc divinis coniungitur. Sed quoniam actiones accidentia sunt et potestas eiusdem est generis, ut ostendimus, ideo accidentibus potestas adscribenda est. Satis aut magna cum divinis societas est. Quod si amens non sit, ut se corporis commercio ac contagioni non omnino dedat, sed divinum intellectum suscipiat, recta agit cum Diis ac felicia perficit, Platone teste decimo Legum libro. Quod de perfectis imperfectisque actionibus additur, non procedit. Nam etsi orator artem callet, quam rudis ignorat, atque idcirco loculentissime apteque persuadet, non tamen propterea rudis, ut inepte loquatur, nulla re eget. Libera enim expeditaque lingua non minus illi quam oratori necessaria est si intelligi loquendo velit. Ita actionibus absolutis ac consummatis potestas habitusque necessarius est, potestas quidem, ut fiant; habitus, ut prompte, ut facile, ut exacte fiant. Quam ob rem actiones omnes quantumvis mancae, quantumvis imbecillae, a potestate proficiscantur, uti a lingua oratio, necessarium est. Sunt autem potentiae animae aliae ferales, aliae divinae. Illae triplices sunt: aliae cognoscentes, ut sensus externi internique, aliae appetentes, ut amor, odium, cupiditas, declinatio et voluptas, dolor; aliae ad iram attinentes, ut spes, desperatio, audacia, metus, ira, irae contrarium quem stuporem vocaverim, et harum comites, quae ita numero crescunt ut innumerabilium rerum, quae sese offerunt nobis, aequent numerum. Sunt haec veluti armenta tria potestatum et motuum, quos anima, si in caeli domicilio habitaret, minime vel ferre, vel perpeti cogeretur; sed generationis amans, ut cum Platone

1 a] e *Massa* 3 amittit] omittit *corr. N1* 8 media] materiae *corr. in marg. N1 A* 9 quod *add. N2* 16 etsi] si *A* | calleat *V H* | rudis *om. Massa* 23 oratio] ratio *Massa* | est *om. A*

3 Solutio 2 *N1 N2 V A* 7–8 Quidquid … Republica] 1 Reip. 51 *MSS* 8 Solutio 3 *N1 N2 V H* 12–15 Quod … libro] 10 Leg. 18 *MSS* 15 Solutio 4 *N2*; So. 3 *N1 V A H*

7–8 Quidquid … docet] R. 1 353bc 12–15 Quod … libro] Lg. 10 897b, *cf.* 887de

loquar, haec experitur, hoc est corpori iuncta, istaec ferre cogitur. Ex corpore itaque et generatione haec contrahit, ut Phaedon probat, et Maro noster transtulit, cum ait: "Hinc cupiunt metuuntque, dolent gaudentque." At generationis et genitorum omniumque orientium sol est auctor ex septimo de Republica. Quare si generatio et corpora nascentia a sole proficiscuntur, quod et Aristoteles testatur, potentiae vero motusque, quos diximus, armenta solis dicuntur iure optimo. Haec custodiunt ac pascunt tres illae sorores divinae, quas supra in nostra imagine constituimus. Nam cum omnia, quae sub caelo sunt, in materiae fluctibus mersa sint, anima sola humana, quasi vel scopulus vel insula prominet et caput effert e pelago. At quoniam tres habet partes ex quarto de Republica, cupiditatem, iram, rationem, ideo Trinacria dicitur. Cupiditatis sunt appetitionum greges septem; sex, quos supra numeravimus, unum, cum cupiditas obtemperat rationi. Sunt et armenta septem in iracundiae campis; sex, ut prius exposuimus, unum, cum ira intra rationis castra se continet. Haec duo animalium genera distincta diversaque inter se sunt. Nam illa humiliora, haec longe altiora; illae oves, haec boves ab Homero nominata sunt. Pecus id exile, amens, ignavum; hoc altum, superbum, arduum. Duo haec genera brutorum pascunt rationis partes, Phaetusa, Lampetie. Illustrata enim mens a divino sole (ita enim vocat boni filium sextus Reipublicae liber) intelligentiam parit, cuius pater sol est, mater mens, quae Neaera dicitur, quasi vertex extremus omnium divinorum. Plena haec luce fecunditatis solis concipit paritque intelligentiae prolem. Quae, quoniam nihil est aliud quam solis divini illuminatio, Phaetusa dicitur. Sed quia lux ignem accendit et flammam, eadem parens Neaera, ac mens humana foeta divinis radiis parit intellectu intelligentiam, voluntate amorem, memoria asservandae lucis vim divinorumque thesaurorum custodem. Quae quoniam nihil ipsa agit, sed acturis arma ministrat, ideo de duabus sororibus saepissime mentio fieri consuevit. O felices Ulixis imitatores, qui ab armentis gregibusque abstinens, nihil adversus sacras custodes audet! Infelices, contra, qui Ulyssis socios imi-

1 istaec] ista *Massa* 10 sit *N1 V A H* 11 at] et *A* 21 sexto Reipublicae libro *N1 A H* 22 vertex] ex *ac. add. V* 31 qui] eos *A*

1–2 Ex … probat] Phaed. 40 *MSS* 4–5 generationis … Republica] 7 Reip. 4 *N1 N2 V H* 11–12 quoniam … Republica] 4 Reip. 36 *MSS* 17–18 illae … sunt] Odyss. 12 *MSS*

1–2 Ex … probat] Phd. 81b 3–4 Hinc … gaudentque] Aen. 6.733 4–5 generationis … Republica] R. 7 516bc 5–6 si … testatur] GA 2.10 spec. 336a 30ff., 11 338a 16ff. 11–12 quoniam … dicitur] R. 4 439de 17–18 illae … sunt] Il. 12.321 *et* 324ff. 20–23 Illustrata … divinorum] R. 6 508bc

tantur, neglectisque divinis sororibus, ac, spreta ratione, brutorum epulis atque amentibus fruuntur voluptatibus, immemores divini oraculi, quod in Psalmo est, oves ac boves datos esse nobis, ut nostris subiectae sint pedibus, non ut illis ita dediti simus, ut nos quicquid divini in nobis est, brutorum voluptatibus obruamus. Neglectores enim contemptoresque divinorum non solet iustus non ulcisci Deus. Quam ob rem animi potestates qui divinis non excolit bonis, miseris aeternisque evertit malis.

65. *Inter potentias animae tres sunt ordines. Venus, Pallas, Iuno*

Multitudo omnis nisi ordinem habeat, sicuti in civitate et in exercitu, confundere solet omnia. In potentiis itaque animae ordo quaerendus est, ne membris, velut in corpore, mutatis monstra patiamur. At quoties dividimus ac partimur genus, membra partionis simul sunt, neque alterum est altero prius. Partes vero tres, quas posuimus, animam dividunt partiunturque; quare persuaderi sibi aliquis potest, ordinem in iis quaerendum non esse. Quaerendus tamen ordo in iis est, quae nisi disciplina instituantur rectoque regantur ordine, perpetuis et iniuriis et miseria nos afficiunt. Possunt autem potestates nostrae vel ex se vel ex externis censeri: ex se rursus vel tempore vel natura. Civitatis exemplo animae partes adiri atque agnosci Plato vult, ubi rex, ubi populus, ubi milites sunt. Ratio regi, milites irae, populus cupiditatibus comparatus est. Si ordo ex externis ducatur, praecipuum est praesidium militum ad externos hostium impetus contundendos; sin vero internum spectemus ordinem, duplicem esse inveniemus et temporis et naturae. Naturae perfectique ordo exigit, ut primo quidem loco rex sedeat, deinde iuncti milites, extrema populus teneat. Temporis vero ordo longe praeposterus est: nam primo quidem populi nunciant vexari se ab hostibus, si bella immineant, aut in toga causas suas regi primi nunciant; deinde rex iubet quid facto opus sit. Denique ministri vel militiae in bellis, vel iustitiae in toga iubenti regi parent. Potest eadem ordinis ratio et in plantis ostendi. Arbores enim, si generationis tempus aspicias, primo frondes, deinde flores, postremo

---

3 subiectae] substantiae *V A H* 4 quicquid] *Ed.*; ac quidquid *N1 N2 A*; ad quidquid *V H* 9 habeant *V A* 16 2 instituatur *H*; instrueantur *V* 19 agnosci] dignosci *N1 N2*: ignosci *A* 29 Potest] Post *corr. in marg. N1*

18–19 Civitatis … vult] 4 Reip. 36 *MSS*

3–5 oves … obruamus] Ps. 8.7 18–19 Civitatis … sunt] R. 6 505a

poma gignunt; quod si ordinem ex natura perfectove metiaris, id primo statuendum loco est, cuius gratia fiunt omnia. Poma itaque principatum obtinebunt, haec flores, hos frondes consequentur. Sin vero extrinsecus oculisque spectantibus comparabuntur, primae erunt partes suavium florum, quibus nihil oculi intueantur laetius, iucundius, gratius. Ita in potestatibus animae dicendum; si enim ex externis atque obiectis censeantur, cum verum prius sit, bonum posterius, idcirco ratio praecedit, voluntas illam sequitur. Quare sexto de Republica libro, cum a ratione discediturm, oriri iniustitiam monemur. Iustitiae vero sedes est voluntas; quam ob rem ut rationem voluntas sequatur praecipiebat. Amorem etiam appellabat iuvenem in Symposio, qui semper cognitionem notitiamque sectetur. Alter est ordo internus generationis ac temporis, ubi initium a sensibus sumi vult, qui rationem certiorem reddunt. Illa denique excitat voluntatem; quo etiam in ordine generationis amor iuvenis appellandus est. Quare, sicut in Phaedro scribitur, sensus nos docet ac praecipue visus, qui sensus alios longe antecellit, tum in hoc ordine, cum omnia inspicere prius quam aliis apprehendere sensibus consuevimus, tum etiam in ordine externo, cum caelestia obtutu videamus, quae aliis omnibus antiquiora prioraque sunt. Quapropter visus divinus sensus dicitur et in Phaedro et in sexto de Republica. Deinde secundum in eo ordine locum auditus obtinet: eodem namque loco scribitur divinos sensus duos esse, obtutum atque auditum, tum quod uterque scientiam habet propriam alter spectatricem, alter musicen, ut secundo Legum legere est, tum quod auditus puro in aere fieri potest; quare olfactum gustumque praecedit, qui concreta ac coagmentata elementa diiudicant. Nam tactus optusissimus ad media est, nec nisi ab extremis excitari potest. Redeo ad secundum ordinem, ubi primo sensus occurrit, ratio deinde, denique omnium postrema sero voluntas accedit. Ordo tertius, naturae perfectique, longe diversus est, quem ubique Plato miris attollit laudibus; quem qui servat, et sapientem et beatum facit. Huius vero ordinis ratio praestantia deterioribus, perfecta imperfectis, divina humanis semper anteponit. Quare

3 hos frondes *in marg. V* 4 suavium] suaviumque *Massa* 6 ex *sl. N1* 9 iniustitiam] in iustitiam *N1 A* 20 ordinem *Massa*

8–9 sexto … monemur] 6 Reip. 58 *MSS* 10–11 Amorem … Symposio] Symp. 32 *MSS* 15 sicut … visus] Phed. 27 *MSS* 19–20 visus … Republica] 6 Reip. 37 *N1 N2 V H* 22–23 quod … Legum] 2 Leg. 6 *MSS*

8–9 sexto … monemur] R. 6 505a 10–11 Amorem … sectetur] Smp. 185ac 15–19 sicut … sunt] Phdr. 250d 20 et in sexto de Republica] R. 6 508b 22–23 quod … est] Lg. 2 654a ff. 28–29 Ordo … laudibus] R. 1 350e, 353e–354a

vires rationis participes rationis ex partibus et praeficit et imperare iubet. Si quis id apud Platonem legere velit, Phaedri aurigam legat, legat Apologiam, legat quartum librum de Republica, legat nonum, legat decimum et, ne omnia numerem, universum Platonis volumen legat. Nihil fere aliud leget, nihil discet aliud, quam rationem esse in arce sitam, ut in Timaeo, qua neglecta miseras, exculta beatas fieri civitates, ut libro scriptum est Legum duodecimo. Si etiam rationis partes scrutemur, non intelligentia voluntati, sed voluntas intelligentiae imperat; et quamquam in controversia adhuc sit utra pars praestet, Plato primas amori semper dedit. Licet enim ratio ducat, ducit et rusticus plerumque magnos reges, per avia nemorum ducturos exercitum; imperat tamen universis regni potestatibus voluntas. Quare cum decimo Legum libro animae agitationes numeraret, primo loco velle, deinde considerare commemoravit. In Symposio per hominum capita amorem ingredi, et tandem affirmat illum tam hominibus mortalibus, quam etiam diis immortalibus imperare. Habes itaque ordines tres in anima: externum, ubi ratio voluntati praeest; temporis, ubi eadem stat ratio in iis, sed ratio ut voluntatem antecedit, ita rursus a sensibus anteceditur. Praesse autem hac ratione, non laudi sed vitio dari solet. Habes denique ordinem perfecti atque naturae, ubi voluntas intellectui, amor intelligentiae, imperator subiectis et praecellit et imperat. Homerus dicens Venerem a Pallade victam, a Diomede sauciam, a Iove derisam introducit. Sed ut Homerus primum secundumque ordinem sequutus est, ita Maro tertium multo diviniorem sequutus, Venerem potitam rerum facit, Troianosque in Latium ducit et urbem Romam condit, facitque, invita non modo Pallade, sed etiam Iunone, "Romanos rerum dominos, gentemque togatam"; Deusque sententiam

---

1 partibus] expertibus *N2* 8 imperato *N2* 12 potestatibus] partibus *ac. N2* | legum *om. H* 13 numeret *H* 17 temporis] corporis *H* 18 hac] haec *corr. N1* 22 derisam] etiam *praem. N1 A* 25 invita] in *ac. praem. N1* 26 Deusque] omnesque *corr. in marg. N1*

2 Phaedri aurigam legat] Phed. 30 *MSS* 2–3 legat Apologiam] Apol. 8 *MSS* 3 quartum … Republica] 4 Reip. 28 *MSS* | Republica] 9 Reip. 3 *MSS* 3–4 legat … decimum] 10 Reip. 13 *MSS* 12–13 decimo … numeraret] 10 Leg. 18 *MSS* 14 In … ingredi] Symp.32 *N1 N2 V* 21–22 Homerus … introducit] Hom. *N1 V A H* 23–25 Maro … condit] Virg. *N1 V H*

2 Si … legat] Phdr. 246ab, 247cd, 253c ff. 2–3 legat Apologiam] Ap. 20b 3 legat … Republica *cf.* R. 10 603a | legat nonum] R. 9 571c 3–4 legat … decimum] R. 10 605b 5–6 nihil … Timaeo] Ti. 69de 6–7 qua … duodecimo] Lg. 12 945d 12–13 cum … commemoravit] Lg. 10 896e–897a 14–16 In … imperare] Smp. 195e 21–22 Homerus … introducit] Il. 5.129–132; 428–430; 455–459 26 Romanos … togatam] Aen. 1.282

tulit, imperium non penes Palladem sed Venerem collocatum esse, cum ait, "Imperium sine fine dedi." Potestates vero animae, si qua dividunt spectentur, simul quidem sunt; si qua vero sunt, cum figuris numerisque comparentur, quos explicavimus, ordines habebunt.

66. *Origo est in potentiis, et altera est ab altera. Latona, Diana, Phoebus*

Denique potestatum ordine invento, origo invenienda est. Negaverit fortasse illam quispiam, cum simul anima potestatesque sint creatae; quare non altera ab altera manare existimari poterit. Sed quonam pacto illae effigiem simulacrumque Trinitatis praeseferent, nisi altera manarit ab altera? Profecto aut in illis haec statuenda dimanatio, aut palinodia recinenda est nobis. Porro Plato in Parmenide scribit, numerum omnem in uno reperiri, quod virtute ac potestate intelligendum est, veluti in radice, unde caudex, rami, frondes, flores, fructus atque omnia exoriuntur. Numerorum vero scientiam mirum in modum Plato non commendat solum, sed omnibus tum artibus tum scientiis anteponit, ut ex Philebo, ex Epinomide, ex septimo de Republica patere potest. Nam ut in Epinomide, non modo laudat numerandi scientiam praeponitque aliis, sed, ne communem arithmeticam intelligeres, ait esse scientiam, qua vere et boni et sapientes simus. Addit haud ita multo post, soli homini datum numerum, et qui numerum ignorat, rationem de rebus reddere non posse; ac, si quis divinum, quod in generatione est, animadvertat, eum et pietatem in deos, et verum numerum esse perspecturum. Quibus aperte ostendit, numerandi vim non aliud intelligere, quam rationem rerum, naturas affectionesque callentem, quam rem nonnisi in virum bonum cadere posse putat. Nam qui bonus non est, boni naturam non novit; non enim id sequeretur, quod bonum non est; quod si novit, non

---

2 Potestates] partes *N1 V H* 11 haec … dimanatio] statuenda est haec dimanatio *H* 16 tum *om. H* 18 modo] solum *H* 23 deos] Deo *Massa* 25 in *om. H* 27 id *sl. H*

2 Solutio *N1 N2 A* 12–13 Plato … reperiri] Parm. 45 *MSS* 16–17 omnibus … Philebo] Phil. 114 *MSS* 17 ex Epinomide] Epin. 6, 7 *MSS* | septimo de Republica] 7 Reip. 14, 15 *MSS*

2 Imperium … dedi] Aen. 1.279 12–15 Plato … exoriuntur] Prm. 145c 15–17 Numerorum … Philebo] Phlb. 55e 17 ex Epinomide] Epin. 977cd | ex septimo de Republica] R. 7 522c

bene novit, ut de Margite Homerus ait, et Alcibiades posterior recenset. Bonum enim appetunt omnes, ut in Hipparcho saepissime dictum. Quare si quis non appetit, vel quia non novit, vel quia male novit; non itaque novit bonum, qui id non appetit, nec appetit qui non sequitur, ac qui non sequitur malus. Malus igitur omnis ex boni ignoratione malus est. Quare malorum omnium causam ignorantiam facit et Trismegistus et prior Alcibiades. Sed iam ad numerum redeundum est nobis, quoniam soli, qui bene numerant, boni sapientesque dicendi sunt, ut ex Epinomide colligitur. Quod si numerare est rationem rerum reddere, ut innuit in Epinomide Plato, res autem bifariam secantur, in substantias et consequentia substantias, quae accidentia nominamus. Species ergo omnes rerum, sive substantiae, sive accidentia, numeri appellantur, ea ratione, quae in Cratylo recitata est, quod numeri unitate addita vel sublata statim fiunt alii; ita enim in figuris, lineis, vel angulis variatis contingit. Naturae namque rerum, uno vel differentiae vel potentiae gradu addito vel sublato, aliae omnino evadunt; corpori si vivens additur, alia est natura, quam si vivens tollatur. Ita si vivo sensus adiicitur, aliud ab eo est, quod sensu caret; vel denique sensu praeditum, si ratione utatur, aliud longe, quam si ratio in eo desideretur. Haec igitur causa, cur naturas Plato numeros vocat, quamquam veros numeros, non corporum, sed verarum appellet essentiarum, ut in Epinomide significat. Nunc numerum potestatum, ab una animae essentia manantium prae manibus habemus, quae si numeris consimiles sunt, ut constitit, exigit ratio, ut altera ab altera oriatur. Quaecumque enim naturae ordine ab uno aliquo fluunt, ita sese habent, ut velut primum est omnium fons et causa, ita quod est primo propius causa modo quodam dicitur aliorum, quae a primo procul discedunt. Constitit ordo multiplex inter animae inventus potestates; quare, ut altera exoriatur ex altera necesse plane est. Verum penitus ut res intelligatur, id

---

4 id *om. Massa* 6 quare] quia *N2* 7 quoniam] quando *N2*; quia *H* 9 rerum *om.N2* 13 fiunt] fuerit *corr. in marg. N1* 15 vel *om.*H | differentia *V* 18 si *sl. V* 20 appellet *om. Massa*; appellat *H* 21 essentiarum] sententiarum *corr. in marg. A* 25 propius] propiius *ac. N1* 27 anima *V* 28 plane *add. N2*

1 ut … ait] Homerus *N1 V* 1–2 Alcibiades posterior recenset] 27 *N2*; Alc. secundus 27 *cett.* 2 Bonum … dictum] Hipp. 6.7.8 *MSS* 6–7 quare … Alcibiades] Alc. primus 31 *MSS* 12–14 ea … alii] Crat. 81 *N2 V A H* 19–21 Haec … significat] Epin. 27 *MSS*

1–2 Alcibiades … recenset] 2 Alc. 10 147b, 147d 2 Bonum … dictum] Hipparch. 227cd 6 malorum … Trismegistus] Asc. 22 7 et prior Alcibiades] 1 Alc. 118a 7–9 quoniam … colligitur] Epin. 979c 9–11 Quod … nominamus] Epin. 977c 11–14 Species … alii] Cra. 432a 19–21 Haec … significat] Epin. 990c 28–208.3 id … potest] Epin. 988e

nobis commemorandum occurrit, quod in Epinomide scriptum est, animam universi esse causam, quod quidem de iis, quae sunt in nobis, ut alia omittamus, manifestum facile esse potest. Quod si ad potestates comparetur suas, habet sese ut efficiens, ut finis, ut subiectum; hoc etiam duplici ratione, aut seorsum et sola, ut continet intelligentem vim, aut corpore comite, ut sustinet sentientem, quae non in sola anima, sed in ipso etiam corpore sedem habet. Principum vero, quod agens est vel finis, perfectum haberi solet. Finis enim vult esse optimus, ut secundo De physico auditu Aristoteles statuit. At quod subiectum est, quia aliunde moveri oportet sua natura segne atque iners, abiectissimum est et causarum et principiorum. Non enim privationem principium facimus, quia existentis rei existentia principia esse oportere intelligimus. Quas ob res potestates natura praestantiores principia aliarum esse debent; sicuti finis, principium et causa est, cuius gratia agantur universa, ut aurum, ut lucrum, ut victoria, quamquam sero veniant, initia tamen sunt omnium, quae mercator, quae nauta, quae dux agit. Divinae itaque et rationis partes fines sunt sensuum; serviunt enim rationi sensus, non ratio sensibus. Initium quoque efficiens intellectus est, nam sensus non est aliud quam deficiens et obscura participatio intellectus; quare ab intellectu modo quodam esse dicitur, ut a perfecto quod est imperfectum. Sin vero initium suscipiens subiectumque consideretur, ea, quae deteriora sunt, praestantiorum principia nuncupantur, ut anima, quatenus sensum habens, subiectum ac prope materia rationis existimatur. Quam ob rem deteriores potestates, non natura aut perfectione, sed generatione praestantioribus priores habendae sunt. Animal namque priusquam homo gignitur, cum quae serius veniant, ut longe insigniora commendentur, quod octavo De physico auditu ostensum est de loci agitatione. Constat itaque potentias ab anima suo ordine manare, alteram per alteram, diversa tamen, ut dixi, ratione. Nihil etiam prohibet, et simul cum anima creatas fuisse potestates omnes, naturae tamen ordine alteram priorem esse altera, ut substantia affectionibus, et sol est luce prior. Harum potestatum ordo in Phoebi Dianaeque natali significatus est. Illae namque ex una animae essentia, ut ii ex una Latona originem ducunt ex Iove; hi quidem patre, ut sola sub caelo anima humana, non natura gignente, ut formae aliae, sed a pro-

5 intelligendi *N2* 9 at quod] atque *H* 25 prius gignitur quam homo *tr. H* 33 ii] hi *N2*

27 Solutio *N2*

8–9 Finis … statuit] Ph. 2.2 194a32–33 25–27 Animal … agitatione] GA 2.3 736b2–5
33–209.1 ut … Plato] Ti. 41c

creante fit Deo, ut in Timaeo demonstravit Plato. Latonae quoque nomen animae humanae consonat; in Cratylo siquidem Plato vult dictam esse quasi ethelemon, hoc est prompta, exposita, ac libens ad id quod petat quisque exhibendum; vel quasi leion ethos, mos laetus ac mitis, quibus quidem interpretationibus, nihil aliud actum est, nisi quod, qua a brutorum feritate distamus, animae nostrae significatur humanitas. Pars animae manca atque imbecilla est, qua sentimus; idcirco feminae data est Dianae; pars vero robustior, sublimior, divina, mari deo Apollini, non caelesti, sed humano tributa est. Ut enim plures Veneres facit et prius in Symposio Plato, et postea tertia Enneade Plotinus, caelestem unam, et humanas permultas, (quot enim animae sunt, tot facit Veneres); ita nimirum tot nobis humani Apollines, totidemque Dianae numerandae sunt. Virginitas praeterea Dianae tributa est, quod potestas sit sentiendi ab essentia manans eius animae, quae materiae commercio aut commixtione non labefactetur; est siquidem in silva et in materia, cum per sensoria et corporis partes aspiciat, audiat, aliisque sensibus apprehendat, non tamen amittitur aeterna virginitas, atque ideo Artemis dicta est, quasi integra ob virginitatem, ut in Cratylo Platoni placuit, tum quod animae haeret, quae quamvis deo misceatur, corpori tamen misceri non patitur, quippe quae simplex puraque sit semper; tum quod purissimo dat operam fratri, venaturque e silva corporum quae postea fratri consecret. Uterque arcum habet, hoc est cognoscendi vim, sed Diana in singulis, Apollo in universis versatur. Nihil est quippe aliud sagittandi ars, quam discurrendi vis; sagittis namque, quae penes nos nostra e pharetra ducuntur, ea, quae procul absunt, fugientia animalia capiuntur. Ita nempe arcu, sagittis utitur et soror et frater, ac, per ea quae habent et norunt, ea assequuntur, quae neque prius habebant neque norant. Quod si cui difficile id videatur, ut sensus ratiocinatione discursuque utatur, Averroem legat; is enim cogitantem partem adeo menti admovet et vicinam facit, ut quamquam fraternum arcum non attingat, qui universa ferit, proprium tamen arcum obtineat, quo in singulorum captu et ratiocinatione venatur. Sed

3 ethelemon] ἐθελήμων *N2* 4 leion ethos] λεῖον ἦθος *N2* 5 interpretationibus] intestantibus *corr. in marg. A* 7 mancha *N1* 9 plures] pures *ac. V* 10 Eneade *V*; Aeneade *H* 14–15 commistione *N1 N2* 15 in *sl. V* 21 fratri] facti *corr. in marg. N1* | fratri] facti *corr. in marg. N1* 23 sagittandi] sagyptandi *N1* 24 sagittis] sagyptis *N1 A* 26 sagittis] sagyptis *N1 A* | habet *V A H* | ea] et *V H Massa* 28 ratiocinio *N1 N2 A Massa*

2–4 in … exhibendum] Cra. 406a 9–10 Ut … Symposio] Smp. 180d 10 et … Plotinus] Enn. 3.5 3–4 16–18 non … placuit] Cra. 406b

ordo tandem dicendus nobis est, cuius gratia praesens oratio instituta est. Eodem partu gignuntur hi dii, quod simul in eadem animae essentia hae geminae potestates insitae ac satae a Deo sint. Sed tamen prius ortam Dianam aiunt, quod omnis cognitio ac scientia non anima sed nostro e sensu exoriatur. Prius enim pueri sensu vigent quam mente atque ingenio valeant. Sopitus enim perpetuo dormiret intellectus, nisi a stimulante sensu excitaretur; quare non solum prius natam, sed etiam simulac nata est, obstetricis officio usam faciunt, quod proprie ad scientiae prolem moventis est munus, quod saepissime in Theaeteto Socrates praedicabat, qui sibi matri idem divinitus datum opus dicebat, sed matri circa feminas, sibi circa honestos adolescentes. Quod si naturae et perfecti quaeras ordinem, Apollo Dianae initium est ut finis, cum sensus sit mentis gratia. Sin vero generationis et temporis quaeratur, Diana fratris initium est, cum mens numquam, nisi sensus vel opera vel beneficio, excitetur. Nymphae mille Dianam sequuntur, quae oreades ac montanae dictae sunt. Sunt autem potestates actionesque aliorum sensuum impares et longe inferiores, ut supra ostendimus; cognoscunt siquidem sensus alii, sed sola cogitatio, quam Dianam voco, ratiocinatur. Causa est: namque illa pharetram "fert humero gradiensque deas supereminet omnes." Unde summa est humanae animae commendatio, quae Dianae mater appellata est, quod sola in hoc materiae aestu genuerit liberos praestantia excellentissima. Quam ob rem "Latonae tacitum pertentant gaudia pectus," quod ideo sola felicitatis capax.

1 est nobis *tr. A Massa* 4 anima] *Ed.* animae *MSS* 5 nostra *N1 N2 A* 7 stipulante *corr. N1* 10 matri *om. Massa*; matrique *N2*; 12 ut] ac *N2* 13 gratia mentis *tr. N1 V H* | quaeretur *A Massa* 21 generit *N1 V A* 21–22 ecclentissima *Massa* 22 tacitum] sit *pc. add.N1* | pertentant] praetendant *corr. in marg. N1* 23 capax] sit *add.N1 N2* (*ac.*) *A*

22 Latonae … pectus] Virg. *N1 A H*

8–10 obstetricis … praedicabat *e.g.*, Tht. 149a 19 fert … omnes] Aen. 1.500–501 22 Latonae … pectus] Aen. 1.502

DISTINCTIO IV

67. *Generatio in divinis admittenda. Minerva*

Iam ab humanis quandoque ad divina migrandum est nobis, neque enim semper imaginibus est vacandum. Nam rerum simulacris non acquiescit animus, sed ad res ipsas assequendas ardet; nec sitim fontis pictura extinguit, sed excitat et accendit potius. Itaque ut ipsi tandem fonti ora admoveamus, de divina generatione tractabimus, sit ne Deo Optimo Maximo generatio tribuenda. Negabit id Aristoteles omnisque Peripateticorum philosophia, in Physico siquidem auditu ita generationem definit, quod mutatio est ex non esse in esse. Mutatio nulla Deo danda est, id quod octavo libro demonstravit. Non esse etiam Deum quis dixerit, si motum caelestium orbium aeternum esse defendit libro eodem, ac duodecimo Metaphysicorum Deum ipsum aternum constituit? Neque rursus in esse mutari potest illud, quod ita est semper, ut numquam non esse possit. Quid? quod libro primo De generatione unius rei generatio alterius nominatur interitus; ubi itaque nihil interit, fieri generative potest nihil. Paulo demum posterius ubi generationem et interitum ponit, totius in totum mutationem ponit. At Pater Deus in Filium non mutatur; manet nimirum uterque. Id vero quod in alterum generatione mutatum est, iam non superest. Quas ob res in ambiguo esse poterit iis philosophis, particeps ne generationis sit Deus. Plato etiam ante Aristotelem moveri mutarique negat Deum, et secundo de Republica et in Parmenide. Quid? quod etiam sacra oracula id comprobant. Psalmus namque

---

8 tribuenda] exibuenda *V* 9 Physico … auditu] Physicis … auscultationibus *N2* 13 Metaphysices *N1 A* 15 potuit *corr. in marg. A* 19 altero *H* 23 id oracula *tr. A H*

9–10 in … esse] 1 *N2*; 1. 5.Phy. 4. 53.77 *N1 V H*; 6.Phy. 4. *A* 10 2 *MSS* 12–13 duodecimo Metaphysicorum] Metaphysices *N1 A* 13 3 *MSS* 15 4 *N1 N2 V H* 16 17 *N1 V A H*h 17 Paulo … ponit] 5 *N1 N2 V H* 22 secundo … Republica] 2 Reip. 65, 66 *MSS* 22–23 Parmenide] Parm. 30 *MSS*

9–10 in … esse] Ph. 5.1 224b 10–11 Mutatio … demonstravit] Ph. 8.5.31 257a 11–12 Non … eodem] Ph. 8.8 261b 12–13 ac … constituit] Metaph. 12.6 1071b3 15–16 Quid … interitus] GC 1.3 317a 17–18 Paulo … ponit] GC 1.4 319b 21–22 Plato … Republica] R. 2 381c 22–23 et in Parmenide] Prm. 138c 23–212.2 Psalmus … deficere] Ps. 101 (102). 26–27

primus supra centesimum vult a Deo agitari, vertique alia, eum autem eundem semper esse, nec eius annos deficere; quibus et immutabilem ostendit esse Deum et initio fineque carere. Haec quamquam multa sunt, quam firma quamque efficacia sint, facile videbitur. Iuniores theologi neque hoc probari constanti ratione posse, neque philosophiae consentire, neque fuisse umquam a philosophis posteritati mandatum. Nos contra, sicut de divinis fere omnibus facimus, et constanti defendi ratione, et consonare philosophiae, et a philosophis opinatissimis, gravissimis, summis scriptum fuisse. Dicent, "nos rationes solvemus," at Aristotelis etiam rationes adversus veritatem solvuntur. Nihilo tamen secius, nihil illum absque efficaci ratione scripsisse Averroes interpres asseveravit. Primo itaque aggrediemur id ostendere ex eo quod Plato Deum bonum dicit secundo de Republica et etiam in Timaeo. Sexto vero de Republica boni nomine frequentissime vocat. In Philebo vero non solum bonum sed ipsum bonum, hoc est, per se purum et non concretum bonum. Ut vero in Phaedone dicitur, quod per se est contrarium non admittit, ut animal per se utens ratione, brutum esse non potest. Quare mala omnia arcenda tollendaque a Deo sunt. At ea quae gignendi vim non habent manca haberi solent suoque in genere neque completa neque cumulata. Quae quidem sententia non modo aliis sed ipsi etiam placuit Aristoteli in libro quem De anima edidit. Quod si quod non gignit mancum dicitur, mancus itaque ac male affectus diceretur Deus, nisi gignendae prolis vim haberet. Dices, generationem mortis gratia mortalibus esse datam, Deo minime convenire. Sed id nihil obstat; nam si haec generatio mortali, qua mortale est, convenit, vel qua generatio est, vel qua filii generatio, non qua generatio. Nam caelum et causae divinae generant, cum generationis sint causae, ut ex Physicis et ex libro De generatione manifestum est. Nec qua procreatio filii, nam multa sunt mortalium genera, quae non gignunt liberos, ut elementa, ut lapides, ut metalla. Praestantiorum itaque est liberos procreare, non vilium. Quare si nihil Deo melius, Platone teste, nihil praestabilius,

3 finemque *H* 4 quamque] quamquam *V H* 21 itaque] igitur *N2* 22 Deus diceretur *tr. H* 29 est itaque *tr. V H*

11 Ratio 1 *MSS* 12–13 Plato … Republica] 2 Reip. 60. 65 *N1 V A H* 13 Timaeo] Tim. 33 *MSS* 13–14 Sexto … vocat] 6 Reip. 26. 31. 35 *V A H* 14–15 In … bonum] Phil. 7 *N1 V A H* 15–17 in … potest] Phed. 67. 68 *MSS* 18–21 quae … edidit] 2 Anima *N1 V A*

10–11 Nihilo … asseveravit] R. 2 379c 12–13 quod … Timaeo] R. 2 379a; Ti. 30b 13–14 Sexto … vocat] R. 6 504e, 507b, 508b 14–15 In … bonum] Phlb. 20c 15–17 Ut … potest] Phd. 114c 19–21 Quae … edidit] de An. 2.4.18 416a

nihil est certe cui prolem gignere conveniat magis. Deinceps cum potestas divina infinita sit, ut Plato vult, nisi filium gignat, homine abiectior atque impotentior censendus erit. Potestatem enim homo obtinet duplicem efficiendi hoc arte, id natura, alterum seipso inferius, alterum sibi et simile et aequale. Inferius opus est auctore suo domus, annulus, navis, quae arte construuntur. Similes aequalesque sunt filii, qui e substantia parentis natura procreantur. Quod si homo aequale sibi gignere potest, Deus id non potest, maxima praepotensque Dei vis hoc homine impotentior erit, quod actione aequare sibi nihil potest, quod praestare potest hominum mortaliumque natura. Quo quid absurdius dici possit, haud sane video. Decet enim principem omnem, non solum naturae bonitate, sed etiam actionum gloria antecellere. Nec minus oportet Deum, tam natura quam actione prestare rebus aliis, quam aliis praestet caelum et substantiae aeternitate et motus velocitate corporibus. Potestas quoque ex summis atque ex ultimis spectanda est, Aristotle teste, ut id quod vel agit vel patitur, nonnisi ex maximis minimisque censetur. Herculea namque vis ex stadio significata est, quod (uti aiunt) uno percurrere spiritu solebat, ubi spatium praesignandum erat vel maximum quod poterat, vel minimum quod non poterat. Contra in patiente sensu, quoniam quae admodum parva sunt sensum fugiunt maximum quod sentire, aut minimum quod non sentire, possumus, praestituendum est. Si vis divina nihil gignat a quo ipsa aequetur, cum alia id possint, et ab omnipotentia cadere et rerum naturae cedere videretur. Nam, cum nihil supra speciem et naturam agat, neque enim ovis leonem neque aquilam columba procreabit (de natura nunc loquimur, non de monstris), colligitur tunc rem maximam unumquodque facere, cum sibi aequale gignit; quod si id est maximum, et ex maximis agendi potestas diiudicari vult, haec data est homini; si Deo negata est, aut maiori praeditus virtute homo erit, aut certe non omnipotens habendus Deus erit. Quare tam ista Deo tribuenda, quam proles eripienda non est. Adde quod quaecumque natura fiunt, sive in plantis, sive in animantibus, sive etiam aliis in rebus, non fortuitae caecaeve naturae, sed Deo divinaeque arti tribuenda sunt, veluti in

---

3 Potestatem] partem *V H* 5 authore *H* 7 procreatur *H* 20 quemadmodum *A* 24 aquila columba *A*; aquila columbam *H* 31 aliis etiam in *tr.A*; etiam in aliis re *H*

1 Ratio h2 *N1 N2 V H* 14 Ratio 3 *N1 N2 V H* 15 Aristotle teste] 1 Cael. 116 *N2*; 1 Cael. 116, 117 *N1 V H* 30 Ratio 4 *N1 N2 V H*hh 32–214.1 Deo … Sophista] Soph. 93 *MSS*

14–16 Potestas … censetur] Cael. 1.11.7 281a 32–214.2 veluti … naturam] Sph. 265c

Sophista sensit Plato, ubi eorum explosa sententia est, qui neglecto principe Deo, quae fiunt omnia referunt ad naturam. Atqui ut Aristoteli placet, maximum naturae munus est gignere sibi simile. Quod si naturae munera multo magis tribuenda sunt Deo, divinam enim artem natura imitatur, ut eodem quem diximus libro Plato vult, ac quae ab arte fiunt multo praestantius in arte reperiuntur, id quod ex balnei forma demonstrabat Averroes, fieri non potest, ut prolis propagatio, cui maxime inhiat aspiratque natura, artifici auctorique naturae ipsius Deo detrahenda sit, idque sortiantur mancipia vel honoris vel gloriae, quod negatum sit regi. Ea propterea quae agunt atque agendo superant id, in quod agunt, sibi reddunt simile, sicuti Timaeus docet, ut ferrum in ignem coniectum calescit accenditurque, rursus aqua mersum et extinguitur simul et frigescit, si vero ignis in ferrum aut in silvam perseveret, id quod patitur non modo calore ac qualitate, verum etiam substantia ac specie reddit simile. Aer etiam ubi incaluerit, si parum incaluerit, coniunctam cogit aquam tepescere; sin multum, non modo ex gelida in ferventem, sed etiam ex oneroso in leve aeremque convertit. Quare si id, quod agit, parum potens sit, qualitatem efficit sibi similem; sin potentius fuerit, similem gignit et speciem et naturam. At nulla vis, nulla virtus, nulla potestas est divina maior; quam ob rem ut multa facit, quae ideas divinas in specie aliena imitantur, ita aliquid gignat oportet, quod divinam vel substantiam vel naturam adipiscatur. Ad haec cum alia mortalia, alia immortalia sint, utraque etiam pars scindenda est. Nam in utraque partitionis regione partim perfectae partim imperfectae res sunt. In parte quidem mortalium filiorum procreatio ad imperfecta non pertinet; elementa siquidem, genus etiam lapidum et plantarum, quamquam gignunt faciuntque similia, edere tamen filios aut gignere haudquaquam dicuntur, quod quidem munus praestantiorum est substantiarum earum nimirum, quae cognitionis sunt vel sensu vel ratione participes, nec illae quidem animantes omnes id possunt, nec item quae id possunt semper possunt. Vermes namque ac pleraque parum perfecta, admodum etiam vel pueri vel senes liberis procreandis idonei non sunt, quod quae tantae rei necessaria est perfectio in

---

6 balnei] balneis *ac. A* 10 agendo … agunt *om. H* | sibi] sibe *ac. A* 11 sicut *A H* 17 Quare] genere *H* 20 quae] qui *A* 29 rationis *V H*

2–3 ut … simile] 2 De anima *N1 N2 V A* 10 Ratio 5 *MSS* 10–11 quae … Timaeus] Tim. 150 *N1 N2 V A* 22 Ratio 6 *MSS*

2–3 ut … simile] de An. 2.3.28 415a 10–14 Ea … simile] Ti. 32b

eis desideratur. Quare aetatem in Republica sua praescripsit ⟨Plato⟩, qua liberorum procreationi operam dandam esse arbitrabatur, uxori quidem ab anno vigesimo ad quadragesimum, viro a trigesimo ad quintum et quinquagesimum licere, iunioribus, senioribus interdicit illud omnino, illis quod robur nondum firmum legitimumque sit, his quod iam debilitatum sit atque effetum. Quam ob rem si filiorum generatio nullius esse potest, nisi perfectae sint naturae, perfectae animantes, perfectae aetates, apertissime convincitur, quocumque in genere sit nonnisi perfectioribus et ex ipsa perfectione convenire. Ex quo fit, ut in genere immortalium id quod perfectum est non possit non generare, cum generatio perfectionem sequatur. Dices, mentes caelestes et caelum ipsum perfectiora esse animantibus, non tamen liberos gignere. Iam istud confutatum est nobis, cum duo genera fecimus, orientium et aeternorum. In utroque genere aliquid praestantius sit, ut hic animal, illic Deus, quem Aristoteles in Metaphysicis perfectum vocat animal; aliquid deterius est, hic sensu carens, illic quidquid primum sequitur. At si quae praestantiora sunt gignunt liberos, gignent sidera et dii, quae praestantiora in suo genere sunt. Ex duobus illis, quae diximus generibus, ea dumtaxat gignunt. Mortalia enim ac immortalia non recte comparantur; quare ea nunc praestantiora gignentiaque facimus, quae suo in genere obtinent vel mortalium vel immortalium principatum. Hunc etenim ordinem non soli ipsi facimus, sed et omnes ferme philosophi faciunt, praeter Platonem, siquidem qui in Phaedone, terram alteram puram, in puro iacere caelo, ubi et suam aquam, suum aerem, suum aethera, situm voluit statuitque illa nostris, deteriora deterioribus, praestantia praestantibus respondere. Aristoteles etiam in libro De animalibus lunam terrae naturam obtinere autumat. Commemorat id quoque Averroes Arabs in libro De caelo, de quo idcirco saepius mentionem facimus, quod aetatis nostrae philosophi non ex philosophia erui putant, quae non Averrois testimonio et auctoritate confirmentur; qui quamquam doctissimus vir extiterit et plane eruditissimus, Graeca tamen non vidit, nisi quae in barbaram transierant linguam, quod cum ex multis, tum ex eo convincitur, imprimis, quod

---

1 Plato] *add. N2* 5 nondum] omnino *add. H* 7 perfectae *om. A* 12 gignunt *N1 V A*, *H* 20 gignentiaque] gignentia quae *A* | quae] quod *corr. in marg. N1* 25 deteriora *om. A* 27 quoque] quod *H* 28 saepe *V H* 30 quamquam] quam quod *V*

22–24 praeter … voluit] Phedon 81 *N1 N2 A*; Phedon 77. 81 *V H* 27 Averroes … caelo] 1 Cae. 16 *N1 N2 V H*

1–6 Quare … effetum] R. 5 460e 22–24 praeter … voluit] Phd. 108e

Aristotelis scripta, in quibus unice studium collocarat, manca, mutilata, mendosissima habuit. Sed iam eo redeat, unde defluxit oratio. Docet eo loco Averroes, caelestia immortalia mortalibus elementis consonare, infima infimis, suprema simili ratione supremis. Eodem etiam volumine libro altero tripartito secat omnia, ut in elementis, ita in caelo; in elementis quidem aliud opacum esse, aliud lucens, alia quaedam media, ut terra et ignis, ut aqua atque aer. Ita luna tenebrarum participem terrae etiam esse similem, astra igni, caelestes orbes aquae atque aeri. Quod si ita se res habet, quod bifariam natura universa secta est, in moribunda et in perpetua, ac quae perpetua sunt, ita moribundis comparantur, ut imis ima, sublimibus sublimia consonent, profecto ut tria sunt apud nos genera inanimata, plantae, animantes, ita immortalis mundi partes tres erunt; caelum, mens, Deus. At fieri non potest, ut inanimata, ut plantae filios gignant; sed, ut a perfecta animantum natura gignantur, necesse est. Igitur generatio haec tam caelo mentique danda non est, quam est Deo principique naturae tribuenda. Quid? quod quae altiora divinioraque sunt, ea magis meliusque se communicant, ut caelestes causae, quam humanae, et mentes caelo, et mentium serie summus ac maximus Deus. Cui sane rei Timaeus astipulatur, a quo Deus creasse mundum dicitur, non ob aliam causam, nisi quoniam bonus est, ac proinde invidia carpi nullo pacto potest, hoc est, non diffundere bonitatem non potest. Boni enim affectio coniunctissima communicatio est. At praeter alias communicandi rationes, una reperitur, quae non in iis, quae accidunt, sed in substantia et natura fit, ut cum parentes liberos pariunt. Quae quidem communicandi ratio est praecipua, maxima, praestantissima. Quod si communicatio bonum sequitur, id certe quod bonum est in natura maximum, praecipuum, praestantissimum, eo communicandi genere potiatur necesse est. Atque haec quidem ratio Dionysio nostro mirifice placuit. Nec idearum rationem omiserim Platoni domesticam ac peculiarem. Nam si species omnes quae ab artifice fiunt, in artifice sunt, cum artificem omnem atque artem faciendarum rerum ideam habere opor-

4 infima infimis] infirma infirmis *N2* 10 quae] atque *A* 11 consonantur *A* 14 a] ad *A* | perfecto *V* | natura] et *praem. V*; a *praem. H* 23 in *om. V H* 25 ratio] rationes … substantia *rescribit ut supra ac. A*

4–5 Eodem … caelo] 2 De cael. 32 *MSS* 16 Ratio 7 *MSS* 19–20 Timaeus … est] Tim. 33 *MSS* 29 Ratio 8 *MSS* 30–217.1 si … Cratylo] Crat. *N1 MSS*

19–20 Cui … est] Ti. 30 30–217.1 si … Cratylo] Cra. 389d

teat, velut in Cratylo, in Gorgia, et in Republica testatus est Plato, mundi rerumque omnium et faber et opifex est Timaeo Deus, omnium in se formas rerum complectatur necesse est, earum imprimis quae nactae sint perfecti rationem. Gignendi vero vis praestantissima est, cum substantiam exhibeat omnium generum longe praestantissimam. Ad id etiamsi nulla adesset ratio, Platonis auctoritas satis esse posset. Is cum in Symposio de generatione animalium loqueretur, non modo excellentem putavit actionem, verum etiam divinam nominavit. Quare tam opinari Deum non gignentem, quam aliqua praestantia carentem licet. "Sed mutabitur," inquis, "Deus, si generationem admittet, generatio siquidem mutationis est species." At Plato et saepe et in Euthydemo, species et ideas nominat, quas in artificis rerum mente collocamus. Nam velut in elementis, ignis unus est tantae potestatis et praestantiae, ut omnia recipiat atque in propriam substantiam transmutet, contrariam tamen formam numquam suscipit donec ignis fuerit; et quamquam frigentia capit quae transmutet, numquam frigus sustinet, numquam in speciem frigidi transmutatur, priusque ignis esse desinit, quam calens esse desinat. Ita multoque constantius divinae naturae omnis specierum lux perfectioque tribuitur; generum tamen imperfectique tenebrae minime tribuuntur. Ut enim absque quantitate maximus, absque qualitate sapientissimus, ita absque mutatione generans dici vult. Species enim dat Deo Plato, non genera, formas in eo statuit, non materiam. Quid enim est aliud, Minervam divino vertice natam esse, nullius matris alvo gestatam fuisse, nisi magnificam divinae prolis genituram, quae quidquid perfecti est, a Patre habet, matrem et quidquid imperfectum est, non habet. Virginitas etiam tam Minervae, quam Dianae dicata est, diversa tamen utrique ratione. Haec namque ut ex Latona orta est, quae, ut plerisque placet, oblivio interpretatur, ita in silvis agit et in materia, ubi Lethaeus fluit amnis, causa atque origo oblivionum. Illa rerum naturaeque arcem tenens in actu eminentissimo sita est, a materia procul atque potestate. Utrumque virginitatis discrimen eo carmine significatum est: "Pallas, quas condidit arces,

---

13 atque] et *H* 17 priusque] priusquam *N2* | esse ignis *tr. H* 19 generum] gnum *abbr. N1 V*; generationum *N2* 28 amnis] omnis *A* 29 naturaeque] naturae quae *V H*

1 Gorgia] Gorg. 72 *MSS* | in Republica] 10 Reip. 2 *MSS* 1–2 mundi … Deus] 28, 31 *N2*; Tim. 28 31 *N1*; Tim. 28 30 31 *V A H* 6–7 cum … loqueretur] Symp. 449 *MSS* 11–12 in … nominat] Eut. *N1 V A* 31–218.1 Pallas … silvae] Virg. *N1 V H*

1 in Gorgia] Grg. 448c | et in Republica] R. 10 601d 1–2 mundi … Deus] Ti. 30c 6–8 Is … nominavit] Smp. 207a 11–12 At … collocamus] Euthd. 289c 31–218.1 Pallas … silvae] Ecl. 2.61–62

ipsa colat; nobis placeant ante omnia silvae." Definita est hoc loco Pallados Dianaeque virginitas; nam neque prolis divinae, neque humanae animae naturam, silva materiaque contingit. Pura simplexque utraque est, et plane incorporea. Sed haec tametsi silvam ut sui partem non habet, silvam tamen in terris incolit, cuius quidem contagione anima labes permultas contrahit, fitque ut imperfecta inchoataque sit, et inter incorporea minime absoluta. Matrem namque materiam vocat Plato, quae etsi animae humanae mortem non machinatur, ut aliis omnibus, quae in ea iacent, ut tamen Academiae placet, ita eam afficit, ut omnium oblivisci compellat. Quam ob rem silva, quae aliis Cocytus est et mors, oblivio Lethaeusque sit animae. Proinde datus est fabulae locus, quod ex Latona matre orta Diana sit. At Minerva, quae divina intelligentia est, ut in Cratylo Plato scriptum reliquit—hoc est, divinae intelligentiae proles, ut alias de Iove idem docet—non modo a materiae fluctibus libera est, in qua mala fere omnia incubant, sed summum obtinet in natura locum summumque praestantiae ac probitatis gradum. Quippe quae cum actus sit non modo a materia, sed ab omni potestate alienissimus, iure optimo absque matre nasci dicta est, quod omni prorsus vacet potestate, quae vel materia vel materiae similis esse solet. Denique ex altero confesso, duci solet alterum; nostrique sacrarum disciplinarum sectatores ex Patris Filiique distinctione, quam ex solis habent oraculis, ut ipsi aiunt, etiam generationem confirmant. Nam si Proles Divina a Parente est alia, cum unde distinguantur, nisi ex iis quae sunt ad aliquid atque ex origine, nihil habeant, alterum oriri ex altero necesse est. Nos addimus rem ita se habere. Quod si distincti inter se sunt, alter ab altero exoriatur oporteat. Sed videant ne circulo demonstrent, neve ubi ex generatione distinctionem duxerint, rursus ex distinctione generationem venentur; quod vitio ab Aristotele dari solet. Id etiam non omittendum putamus, hoc non ex oraculis tantum, sed etiam e philosophiae sinu accipi posse. Quod ut fieri in posterum queat, primi hunc ipsi laborem operamque suscepimus; nec piguit aliena volumina studiosius voluere, ut parum pii quandoque resipiscerent discerentque res sacras, non modo a pia philosophia non discedere, sed illam veluti suffragantem atque astipulantem ancillam com-

1 hoc loco est *tr. N1 N2* 19 vel *sl. H* | materiam *A* | Denique] deinde *H* 30 ipsum *A* 32 non *sl. H*

7 Matrem … Plato] Tim. 124 *MSS* 12–13 Minerva … reliquit—hoc] Crat. 40 *MSS* 19 ex] Ratio 9 *MSS*

7–10 Matrem … compellat] Ti. 50d 12–13 At … reliquit—hoc] Cra. 407b

plecti, quam si quis adeat non Peripateticis perturbationibus perculsam, sed Academica tranquillitate sedatam, inveniet illam sacrae disciplinae uti omnium principi haerentem, uti reginae servientem, uti Dianae sacra facientem. Locus, ubi haec generatio, sive Parentis Prolisque distinctio, scripta est, habetur in Republica Platonis, ubi et gignentem Patrem et genitam Prolem aperte confitetur. Quare si quis in posterum hac de re haesitaverit, sciat se non solum sacrae eruditioni, sed etiam philosophiae institutioni repugnare animadvertatque, si a tantis ducibus desciverit, in altero se impium, in altero ineruditum futurum. Confutata iam sunt, ex his, quae diximus, quaecumque ab adversariis inculcabantur. Omnia fere ex ea progrediebantur radice, quod generatio mutatio sit. Nos vero docuimus, divinam praestantiam speciem tenere, genera non admittere, simplicem amplecti generationem, partibilem mutationem respuere. Genus namque a materia sumitur et matre; nobis ab ea genitura matrem omnem arcendam esse iam convenit. Neque ex non esse generatio illa dicenda est, cum esse Prolis Parentisque sit idem, id quod non aliud usquam est in natura sortitum. Generatio quoque unius, alterius interitus dicitur in iis tamen rebus, quae in silva recubant, quae sola necem interitumque molitur. At ubi silva non est, nec morbus, nec interitus nec aliud prorsus quam vita esse potest. Oracula vero eadem, quae commotionem divinis eripiunt, sacram tribuunt generationem. Nam praeter Psalmum, ubi: "Ego hodie genui te," Filio Pater ait, sunt divi Ioannis scripta, quae supra quam humano captu comprehendi possit, ineffabilis generationis mysteria prodiderunt, quae si quis Augustino duce lectitarit, non hominem divina meditantem, sed Deum hominibus res suas explicantem, existimabit.

68. *Deus Deum genuit vera est oratio*

Orationes praeterea nonnullae sunt, de quibus non ab re dubitare quis possit, verae ne sint necne, uti haec est, "Deus Deum genuit," quae falsa posset fortasse existimari, tum quoniam, cum nihil seipsum gignat,

---

6 de hac re *tr.V H* 10 his *sl. N1* | conculcabantur *A* 12 speciem] *Ed.*; species *N1 N2 A*; specie *V H* | tenere] non *add. ac. N2* | non genera *tr. V H* 13 mutationem] mutati omnem *H* 18 tamen] tm *abbr. N1 N2 A*; tantum *V H* | silva] tantum *add. H* 29 cum *om. N2* | nihil cum *tr. H*

5–6 in … confitetur] 6 Reip. 38 *N1 N2 V A* 9 Solutio Rationum *N2*; Solutio 1.5.6.*N1 V A H* 15 Solutio 2.3.*N1 V A H* 17 Solutio 4 *N1 V A H* 20 Solutio 4 *N1 V A* 28 1 *N1*

4–6 Locus … confitetur] R. 6 508c 21–22 Ego … te] Ps. 2.7

aliumque genitum, alium gignentem esse oporteat, oporteret genitum Deum, alium esse a gignente Deo, atque ita plures esse statuendos Deos; tum quoniam, cum gignens a generante distinguatur, si fateamur Deum gigni a Deo, fateri oportebit pari ratione a Deo distingui Deum. Quae quidem neque oracula neque oraculorum interpretes reciperent unquam. Nam cum distinctio tollat unitatem, ac quaecumque distincta sunt multa sunt, ut multitudo omnis auferatur a Deo, atque integra omni ex parte unitas conservetur, id quod Parmenides demonstrare nititur, nulla umquam vera philosophiae praeceptio daret, si de divina Dei optimi maximi loquamur, distingui a Deo Deum. Nihil est enim unquam, quod non unum simplicemque testetur esse Deum. Iam vero a principiis ordiendum est, nihil enim recte cognoscitur, nisi elementa ac principia cognoscantur, ut Theaetetus saepissime praedicat. Orationum principia nomina sunt partesque aliae e quibus conflatur oratio. Quare, cum de oratione dubitamus, nomina primo cognoscenda sunt nobis, quae quidem ante demonstrationes anticipanda Aristoteles in Posterioribus, et in Euthydemo, in Charmide, in Lachete, Prodicus arbitratur. Porro nomen aliud substantiae est, aliud eorum, quae substantiae accidunt. Utrumque habet, et id, quod significat, et modum rationemque significandi. Rursus aliud est formae solitariae nomen, aliud coagmentati atque concreti. Nomen quidem formae solius, ut doctrina, ut humanitas, formam ipsam significat, tum ex eo quod illam significat, tum ex significandi ratione. Obtinuit enim hoc nominum genus, quod abstractum vocant, ut et formam significet, et hac ratione, ut seorsum ab omni alio seiuncta intelligatur, quod quidem intelligentia sit et ratione. Alterum vero nominum genus, quod coagmentatorum concretorumque est, ut doctus, ut homo, formam quidem in primis significat, ut Aristoteli in Metaphysicis placet, eam tamen non ut seiunctam, sed ut materiae subiectoque iunctam atque in aliquo incubantem significat. Pulchritudo itaque qualitatem formamque nominat, utraque ratione, tum ex eo quod significat, tum ex

9 vera *om. V H*; veri *N1 A* 14 quibus] quis *N1 A* | Quare *sl. N1* 18 substantiae] substantia *ac.V* | eorum *in marg. N1* 19 habet] habeat *ac. A* 21 solius formae *tr.A* | ut] et *A* | humanitas] immanitas *H* 25 sit] fit *N1 H*

3 2 *N1*h 7–8 integra … nititur] Parm. *N1 V A* 9 divina] resta *N2* 12–13 nihil … praedicat] Tht. 30, 131 *MSS* 25–28 Alterum … placet] 8 Met. *MSS*

12–13 nihil … praedicat *e.g.*, Tht. 205d 15–16 nomina … Posterioribus] APo. 1.1 71a 16–17 et in Euthydemo] Euthd. 277e 17 in Charmide] Chrm. 163d | in Lachete] La. 197d 25–29 Alterum … significat] Metaph. 8.6 1045a

significandi ratione. Pulchrum vero et formam significat, Aristotele auctore in Praedicamentis, sed tamen ut in aliquo hominum refulget, illud ex eo quod significat, hoc ex significandi vi ac ratione. Nec illud omiserim, aliud esse essentiam, aliud id cuius essentia est, ut Plato in Parmenide et Aristoteles eum imitatus in libro quem De anima edidit. Interit enim caro, quae essentiam habet; non oritur tamen essentia neque interit. Diximus iam de numero rerum et nominibus numeri earumque rerum, quae ab uno exoriuntur. Nunc de numeri fonte ipsaque unitate dicendum est. Essentia siquidem diversa est ab eo, cui inest, in numero tantum, hoc est in rebus, quae numerum obtinent, nec purae simplicesve omnino sunt. At unitas illa, in cuius natura nullus est numerus, ita simplex puraque est, ut idem omnino sit essentia atque id cui essentia adest. Ex quo fit, ut Unum non essentiam habere dicat Parmenides ac Dionysius, sed aliquid esse essentia superius, ubi non essentiam, sed differentiam negare statuerunt. Ob hanc igitur sublimem admirandamque simplicitatis praestantiam multa divinis accidunt nominibus, quae aliis evenire nullis possunt. Libet hoc loco precibus supplicationibusque agere, si de divinis profitemur nos dicturos esse nominibus. Vates enim sacri ineffabilem esse Deum testati sunt, duobusque nominum generibus vocari, aliis a seipso atque ab eis qui apud Deum beato aevo fruuntur, aliis a nobis qui mortales atque ad res divinas caeci sumus. Quod quidem non modo a Divo Paulo in Epistula ad Ephesios, sed etiam a Platone in Cratylo latissime verissimeque disputatum est. Praefati itaque divinam mansuetudinem, veniam humi procumbentes petemus, si inaccessam altitudinem nominibus appellamus non suis, sique cum homines simus, iis contenti nominibus sumus, quae caecutiens usurpat humanitas. De nominibus quidem suo agetur loco. Nunc, quod ad rem attinet, hoc nomen Deus, eiusque usus attingendus est. Nostrorum Latinorum nonnulli a Graecis id ductum putant, aut quasi Θεός, aut obliquo nominis Ζεύς, quod est Διός. Illud a θεῖν, quod est currere, sumptum Plato vult, quod

1 Aristotele] teste *ac. add. H* 3 ex *om. A* 7 discimus *A* | de *om. N1 A* 12 puraque] unaque *A* 15–17 Ob … possunt] *hanc sententiam digito in marg. indicat N2* 17 Libet] quilibet *ac. N1 A* 23 praephati *A* 26 caecutientes *V H*

4–5 aliud … Parmenide] Parm. 43 *MSS* 13 Unum … Parmenides] Parm. 43 *N1 V A H* 22 a … Ephesios] Ephe. *N1 V A H*, 1; Eph. 1.*N2*, 21 | a Platone in Cratylo] Crat. 30 *MSS*

4–5 aliud … Parmenide] Prm. 135a 5 Aristoteles … edidit] de An. 3.5 430a 13 Ex … Parmenides] Prm. 134d 14 ac Dionysius] Myst. theo. 1.1 21–22 Quod … Ephesios] Eph. 3.9 22–23 sed … est] Crt. 391cd

Barbari caelum rati esse Deum ab admirabili perpetuaque agitatione, hoc nomine appellitandum putaverit. Alteram ac forte potiorem Maro rationem affert, quae non corporeo mundo, sed incorporeo conveniat Deo; ait siquidem, "Deum namque ire per omnes terrasque tractusque maris caelumque profundum," quod ubique sit, penetretque atque impleat omnia. Quod alio idem loco clarius interpretatus est, ait enim, "Iovis omnia plena." Quare non iniuria fortasse hoc nomen sortitus est Deus, quod est per omnia currere, hoc est, ut emendatius loquamur, quod impleat, ut diximus, penetretque omnia. Quod si a Διός proficiscatur, causam rerum omnium demonstrat, quod Deo imprimis convenit. Eodem fere aliorum Latinorum interpretatio tendit, qui non a Graecis id nomen, sed a "dando" Latino verbo natum volunt. Quo quidem nomine causam bonorum omnium confitentur, quod det mortalibus faciatque omnia. Omnia haec nostris in oraculis invenire est, quasi divina sit factum providentia, ut, ne quis non crederet veritati, testes et sacros et prophanos veritas advenerit, cursus siquidem divino datus est verbo. Lyricus enim Vates ait, velociter currere sermonem divinum; atque alio loco, exultasse gigantis more ad percurrendam viam. Quod vero omnia penetret atque ubique sit, oraculum est aliud, quod sive caelum, sive terram, sive inferos adeamus, ubique Deum nobis occurrere profitetur. Quod vero det omnia, locus habet alius, ubi dante Deo, omnia bonis impleri, omnia ubertate redundare intelligimus. Verum enim vero, undecumque id manarit nomen, quoniam non numerum aut multitudine sectum aliquid, sed unitatem purissimam indicat, quae non esse essentiae additum adventitiumve coniungit, sed idem prorsus esse essentiaque est. Et quoniam essentia potestatem, esse actum nominare solet, ideo Plato et Dionysius essentiam Deo dandam esse negant, idem esse tribuendum volunt, ut actum existimantes, nihil potestatis, nihil inchoati imperfectique plane suspicemur. Quod quidem Mosi legislatori idem ipse Deus apertissimo monstravit oraculo, cum non alio se nomine vocitari voluerit, quam Qui est. Roganti enim Mosi, quo vocaretur nomine, "Sum, inquit, qui sum. Hoc mihi aeter-

4 ire *sl. H* 4–5 caelumque -que *sl. N1* 7 Deus est *tr. N2 A* 8 est] eum *N1 A* 10–11 Latinorum aliorum *tr. N1 N2 A* 16 datum *N1 V A H* 27 iidem *N2*

2–3 Alteram … Deo] Virg. *N1 V A H* 16–17 Lyricus … divinum] Ps. *N1 V* 17–18 alio … viam] Ps. *N1 V* 18 Quod … sit] Ps. *N1 V* 19–20 oraculum … profitetur] Ps. *N1 V* 25–26 quoniam … Plato] Parm. 43 *MSS* 29 Mosi … oraculo] Exo. 3 *MSS*

4–5 Deum … profundum] Geo. 4.221–222 6–7 Iovis … plena] Ecl. 3.60 17 velociter … divinum] Ps. 147.15 30–223.1 Roganti … nomen] Ex. 3.14–15

num erit nomen," quasi indicaret diceretque, "currere, penetrare, efficere, dare, aliaque id genus, ex externis mihi rebus actionibus conveniunt, quae antequam mundum gignerem non conveniebant. At esse, antequam aliquid externarum esset rerum, ex interna mihi natura congruebat." Quare si nomen id aptissime inventum est, quod naturam internam, non ea quae externa circumiacent, significat, hoc maxime ac decentissime Deo consonat nomen, tum quod externa non affert, tum quod interna praedicat, tum denique quod actum, quod nobilitatem, quod simplicitatem manifestat, atque ob hanc ipsam simplicitatem multa divinis accidunt nominibus, quae quidem aliorum accidere nullis possunt. Hoc siquidem nomen Deus, quo de nunc agitur, quandoque pro natura ipsa sumitur, ut si creantem, si providentem, si beantem dicimus Deum, nonnumquam non pro natura, sed pro eo, in quo natura est, atque id quidem interdum uni tribuitur, ut si dicas Deus prolem gignit, aliquando duobus, ut Deus Amorem spirat, alias etiam tribus, ut Deus trinus est. Atque hoc quidem huic nomini idcirco evenit, quod rem unitatemque significat longe simplicissimam, quae res aliarum rerum nominibus idcirco non contingit, quod alia est essentia, aliud esse, aliud natura quae habetur, aliud singulum quod naturam habet. In Deo autem idem est quod habet omnino et quod habetur. Quam ob rem decepti nonnulli sunt, rati hoc nomen Deus ex se quidem essentiam naturamque significare; sed quoniam aliquid additur notionum, (ita enim sacri nominant), idcirco non pro natura sed pro persona nonnumquam usurpari, ut in hac oratione, "Deus gignit Deum," quam prae manibus ad praesens habemus. Sed quamquam acute subtiliterque id dicatur, tuto, tamen minus dici videtur. Nam si idcirco tantum pro persona ponitur, quod notio generandi addita est, licet ex se naturam significet, pari daremus etiam ratione divinitatem gignere Deum, cum divinitas ex se naturam dicat; addita tamen notione gignendi pro parente poterit in oratione collocari. Quod quidem absurdissimum est, numquam vel a senatu vel a patribus receptum. Ita enim generatio Deo tributa est, ut postea patebit, ut neque gignatur natura, neque gignat. Nos itaque dicimus, quod hoc nomen, divinitas, quemadmodum, humanitas, naturam significat, tum ex significandi actione, tum etiam ex modo, cum naturam, ut in se ipsa est, non in alio, dicat. Haec vero nomina, Deus, homo, ut paulo ante diximus, naturam significant, sed in habente illam. Quare ex significandi ratione, pro persona legitime poni potest.

---

5 aptissime] apertissime *N1* (*ac.*) *V A H* 7 quod *om. N1 A* | affert] minime *add. V H* 11 de quo *tr. A* 12 non *sl. H* 16 idcirco] accidit *eras. N2* 34 in *sl. N1*

Haec itaque, quam proposuimus, oratio vera est. Deus Deum genuit, non ex addita notione tantum, sed ex ratione significandi, unde et pro persona capiatur. Hoc nomen Deus sortitum est, sed a significandi quidem ratione assequitur, ut personam dicat, ex notione vero, ut pro gignente vel genito distincta manifestatione intelligatur. Bis siquidem Dei nomen ponitur in hac oratione, Deus Deum genuit nunc pro parente, nunc pro eius prole. Ex quibus itaque rebus constat, hoc nomen naturam per se demonstrare, ex significandi ratione personam, ex notione addita hanc vel illam. Quod si ita dixerimus, Syrtes evadimus, in quas iniici in sermonis initio videbamur. Si enim pro natura divina hic Deus sumeretur, tunc sequeretur duas esse naturas deosque duos, sed cum natura sit eadem omnino, ut idem ipse testatus est Deus, cum ait, "Ego et Pater unum sumus"; atque hoc nomen Deus pro persona sumatur; idcirco neque a seipso quicquam gigni, persona enim a persona distincta est, neque deos plures esse confitendum est. Neque procedit quod de distinctione adiungebatur. Gignere namque actionem demonstrat, actiones vero non naturarum sunt, sed singulorum. Non enim humanitas generat, sed homo, atque ideo haec liquido atque indubitate concedi vult, Deus Deum genuit; quod actio personam respiciat, non naturam. At distinctio, quae actionem nullam indicat, ad utrumque referri potest. Quare eam orationem Deus distinguitur a Deo, haud tuto dare possumus, ne quis gignentis naturam a geniti natura, distinctam suspicaretur.

69. *Deus alium Deum genuit falsa est oratio. Homerus caecus. Oraculorum defectus*

Sunt praeterea orationes aliae nonnullae, quae in ancipiti plerumque esse solent. Quare ne quis loquentibus error contingat, asserendae in medium sunt et plane cognoscendae; nihil est enim in quo vel iudicetur difficilius, vel erretur gravius, vel etiam dubitetur periculosius. In aliis nimirum disciplinis, licet cuique quod probet vel sentire vel dicere, hic a vero divertere vel loquendo vel sentiendo absque impietate nulli licet. Commendat

6 genuit Deum *tr. N1 N2 A* 7 constat] consonet *corr. in marg. N1* 15 quod] id *praem. N2* 19 aspiciat *V H* 27–28 difficilius iudicetur *tr. V H* 28 nimirum] vero *V H*

9 Solutio 1 *N1 N2 V H* 10 So. 2 *V H* 15 Solutio 2 *N1 N2*; So 3 *V H* 30–225.2 Commendat … orationis] Phed. 18 *N1 N2 V A*

30–225.2 Commendat … orationis] Phdr. 243a

Stesichorum Phaedrus, Homero damnato, quod is expiationem agnoverit petulantis in Deum orationis; hic contra ignoraverit, quare is caecus cum esset, recuperarit visum, hic fuerit perpetua caecitate damnatus. Nos si quid in divinis temere sentientes oberraverimus, non oculorum caecitas, in qua Metellus felix dictus est, sed inferorum aeternitas manet, qua nulla horribilior miseria dici potest. Ne itaque tanto discriminum salo periclitemur, iam vada scopulosque intueamur:

> Deus Deum alium genuit.
> Deus se Deum genuit.
> Deus Pater alterum se genuit.
> Deus genuit Deum, qui est Deus Pater.
> genuit Deum, qui non est Deus Pater.

Hae atque aliae orationes his similes sunt huius, quod tranamus, pelagi et brevia et Syrtes. Unde precibus votisque Deo, de quo loquimur, adorato, ut tuti elabamur, annitendum est. Deum pro persona usurpari paulo ante diximus, veluti cum fassi sumus Deum a Deo genitum fuisse. Quodcumque igitur personae adiicitur, Deo adiici potest. Quare cum verum sit personam personam aliam genuisse, verum erit Deum quoque alium genuisse Deum. Genuit Deum, qui est Deus Pater; haec quoque non neganda esse videtur. Nam si unus omnino est Deus, idem itaque Deus est Deus Filius, qui est Deus Pater. Quam ob rem enim genuit Deum, nec est Deus alius, nisi unus, atque ille est Pater, quid obstat, quin verum sit Deum genuisse Deum, qui est Deus Pater? Altera etiam haud falsa videtur: Genuit Deum, qui non est Deus Pater. Cum enim dicimus, Genuit Deum, Filium intelligimus. Filius autem Pater non est. Quam ob rem vera videbitur haec oratio: Genuit Deum qui non est Deus Pater. Quod si divus Augustinus meae reipublicae conditor in epistula quam ad Maximum scribit, hanc scribit: Deus Pater de se alterum se genuit, cur haec quoque scribi non poterit, Deus se Deum genuit? Id namque quod tantopere Plato negat, quicquam a seipso gigni, utraque asseverat oratio. Quare aut recipienda utraque, aut contra utraque explodenda atque exsibilanda est nobis. Sane Plato dubiis in rebus monet oracula consulenda esse, ut

---

2 is] si *A* 4 quod *H* 7 vata *V*; nata *H* 9 Deum] et *V H* 10 Deus] qui est *eras. H* 13 atque] haec *N1 V A H* 15 tuti] uti *V H* | annitendum] an nitendum *N1 V A H* 20 esse *sl. N2* 22 quin] cum *A* 29 quod] quid *N1 V A H* 29–30 tantopere] tanto tempore *H*

15 Ratio 1 *MSS* 19 Ratio 2 *MSS* 23 Ratio 3 *MSS* 26 Ratio 4 *MSS*

27–28 Augustinus … genuit] Epist. 170. ad Maximum medicum, n. 5. *cf.* Pet. Lomb. Sent 1. d4. cap.2 32–226.1 Sane … Legibus] Lg. 9 871d

de homicidarum suppliciis in Legibus, de magistratibus, de nuptiis, de honorandis mortuis in Republica. At oracula non solum Delphica, Dodonea, Lycia cessant, id quod Plutarchus deplorat, sed etiam Christiana iam silent; ac iure quidem optimo. Nam velut olim daemones Deo imperante cessarunt, ita nunc daemonibus in mortalia debachantibus vera Dei oracula tacuerunt. Credidit antiquitas multos esse deos, vera Mosi et Christi Dei pietas unum statuit. Nostra aetas successit, quae nullos plane esse arbitraretur, in qua ne illi quidem desunt, qui oratione unum, animo multos, vita moribusque nullos teneant. Nova merito non habemus oracula: haec, quae quaerimus, in antiquis non continentur. Quare ratio consulenda est, quae, quid cuique conveniat rei diiudicare solet. Principio, sicut ante diximus, nomina alia substantiae, alia eorum sunt, quae accidunt. Nomina eorum quae accidunt, dum significant aliquid non in se, sed ut in alio, sicut pulchrum indefinite illud offerunt animo, sed tunc definite offerunt, cum substantiae alicui copulatur. Nam ut pulchrum commune est tribus, ut Hippias testatur, iis quae oculis, quae auribus, quae mente comprehenduntur, cum tamen alicui additur, illius decorem ostendit, ut si pulchram urbem, pulchros hortos dicas, pro pulchritudine urbis, aut hortorum tantum in ea oratione collocatum est id pulchri nomen. Ita ferme cum alium dicimus, quidnam aliud intelligamus non apparet, nisi vel hominem, vel Deum, vel rem aliam quampiam addiderimus. Quare ut idem unitatem, ita alius multitudinem ponit in ea re cui sese addiderit. Cum itaque alium deum dicimus formam essentiamque et partitur et numerum facit. Quam ob rem recipienda ea oratio non est, Deus alium Deum genuit, cum recte defendebatur in sententiae initio. Nam hoc nomen aliud commune est, ex nomine vero, cui iungitur, contrahi vult, illudque dividit cui sese addit. Si generi asciscitur, genus ipsum secat, si speciei, speciem, ita si personae, personam, si naturae, naturam. Qua de re cum dicimus aliam personam generari, verum dicimus, personas enim plures facimus quae utique plures sunt. At cum alium gigni Deum enunciamus, quia Deus essentiae ac formae nomen est, nec personam ex se, sed ex significandi ratione significat, ut iamdudum diximus, idcirco

4–6 Nam … tacuerunt] *Hanc sententia digito in marg. indicat N2* 6 Mosis *N2* 10 quae *om. A* 11 quid] quod *H* 20 aliud *A* 25 alium] aliud *ac. A* 26 aliud commune] a. commune *A*. (aliud *iter. ac.*) *H* 32 se] sese *eras. N2* = se *pc. N2* (*ac*. sese)

15–16 Hipp. mai. 33.34 *N1 V A H*; 33 *N2* 24 Solutio 1 *N1 V H*

1 de magistratibus] R. 3 409a | de nuptiis] R. 5 460a 1–2 de … Republica] R. 7 540c 15–16 ut … testatur] Hp. ma. 288a

formam naturamque partimur quod facere est omnium sapientum sententia plane nefas. Altera erat haec: Deus genuit se Deum, in qua id ponitur, quod eiusdem rei referendae vim habet. Refert itaque eundem qui genuit. Quare idem haec dicit: Deus genuit se Deum, atque haec: Deus Pater se Patrem genuit; quae Platone teste audienda non est, cum nihil, ut in Hippia scripsit, gignere sese possit. Quam ob rem et illa audienda non est: Deus se Deum genuit. Atque ita apparet utrumque refutandum esse, Deum gignere alium Deum, aut gignere se Deum. In altero enim substantiae unitas, in altero personarum distinctio tolleretur. Nec Augustinus meus contradicit; dat enim gignere alterum se, ut in Ethicis amicus alter ipse vocitatus est, non eandem substantiam, sed ad arctam coniunctionem exprimendam. Nemo namque nisi unus est; cum vero alter ipse amicus dicitur, falsus sermo est, sed ad concordiam ac necessitudinis vinculum indicandum usurpatur. Ita divus Augustinus sermone usurpantis usus est, eo tamen iustius, quod Aristoteles voluntatis, Augustinus substantiae unitatem demonstrabat. Quod simile est amicitiae definitioni; roganti enim quid amicitia esset, respondisse Aristotelem Laertius ait, quod non aliud esset, quam μία ψυχὴ ἐν δυσὶ σώμασι, "una anima in duobus corporibus"; quod tamen verum non est, cum sua cuique corpori forma sit, ut adversus Pythagoram statuit Aristoteles. Falsis tamen utimur, cum aliquid affirmare magna asseveratione contendimus, ut "tunica tectum adamantina" et "admorunt ubera tygres." Tertia oratio est, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater, quae quamquam a nonnullis distinguitur, quod aliquo pacto vera esse possit; ut puta si quid extrinsecus petitur, superaddatur, ut si dicas, genuit Deum, qui est Deus, et Deus est Pater. A nobis tamen iure refutabitur. Haec enim additamenta portenta sunt, et quae graves aures audire non possint. Falsam itaque fatemur esse hanc, Deus genuit Deum, qui est Deus Pater, quae enunciat Filium esse Deum Patrem, quod verum esse non potest. Licet enim unus sit Deus et Pater et Filius, non tamen Filius est Deus Pater, ex qua sequeretur Filium esse Patrem, quod est a religione remotissimum. Quamquam enim haec in

---

3 qui *om. V H*; *iter. ac. N2* 11 alteram *H* 13 falsus sermo] sermo falsus *tr. V H* 15 quod] quam *N2*; est *praem.H* 20 formas *V* 22 tectum *sl. A* 24 alio *A* 28 enunciant *V H* 31–228.1 haec … oraculis] in oraculis haec *tr. V H*

5–6 nihil … possit] Hipp. mai. 31 *N1 N2 V A* 9 Solutio 4 *N1 N2 V A* 27 Solutio 2 *MSS*

5–6 genuit … scripsit] Hp. ma. 287a 10–11 dat … est] EN 9.4 1166a 17–19 roganti … corporibus] An. 2.33.10 19–20 cum … Aristoteles] EN 9.8 1168a 21–22 tunica tectum adamantina] Car. 1.6.13 22 admorunt ubera tygres] Aen. 4.367

oraculis legatur, Ego ac Pater unum sumus, atque haec etiam, Ego in Parente, ac Parens in me est, haec tamen, Ego sum Pater, Pater Filius est, Filius Pater, nullis arcanorum penetralibus legi possunt. Quartam itaque ut superiori adversariam admittemus, genuit Deum, qui non est Deus Pater, hoc est, genuit Filium, qui dici quidem vult Deus, sed Deus Pater appellari non potest. At si dicas, tertia illa non procedit ratio, nam si genuit Deum, qui non est Deus Pater, genuit Filium, qui non est ille Deus, qui est Pater. Dicimus rationem recte quidem procedere, quam tamen haec non sequitur, quae inde eruta est. Nam ille idem Deus est Pater et est Filius. Et ideo concedimus Filium illum esse Deum, qui est Pater, hoc est, eandem obtinere naturam, quam obtinet Pater, non tamen Filius est Deus Pater. Si enim hoc darem, dari etiam oporteret Filium esse Patrem. Quod si quis existimaret, et a pietate desciscceret, et tota erraret via. Nam neque unitas neque distinctio omnino tollenda sunt. Qui iungeret omnia, atque unum faceret, nihilque distinguendum putaret, is multum aberraret. Patrem enim esse Filium fateretur. Qui rursus secaret omnia, naturam in plures scinderet deos, quorum utrumque auditum perniciosum est. Media igitur eundum est via: unitas siquidem sola in Scyllam, multitudo in Carybdim nos rapit, unde sacra nos eripit felixque navicula, quae inter monstrum utrumque tendens iter, in portum nos tutissimum convehit, ubi et Macrobium audimus, qui eandem naturam tribuit pluribus, ut Saturno, Iovi, Veneri, modis tamen rationibusque distincta haec esse inter se fatetur.

70. *Affirmari de Deo multa possunt. Aegyptiae litterae. Etrusca Theologia*

Cadere etiam in controversiam solet, quando de orationibus agi coeptum est, quinam de Deo possit quicquam enunciari. Enunciatio namque omnis aliquid de aliquo enunciat, ut de filio Pelei perturbationem, cum dicimus, Achilles iratus est. Sed aliquid de alio dici sine multitudine non potest. Aliud est enim Achilles, aliud ira, erat namque Achilles ante

---

1 ac] et *V A H* 2 ac] et *N2* 7 genuit] dicas *praem.V H* 8 rationem *iter. H* 10 Pater] *pc.* (non tamen Filius *ac. N2*) 13 discederet *V H* 18 quidem *V H* 19 felixque *sl. N2* 26 quando] cum *H*

3 Solutio 3 *MSS* 27 Ratio 1 *MSS*

21–22 Macrobium … Veneri] Sat. 1.21

iram, fuitque postea, iam sedata extinctaque ira. Siquidem quod ablatum commovet, id sedat atque pacat restitutum. At Deus ita est unus, ut multitudini in eo locus non sit. Quare nec enunciationi locus erit. Oratio praeterea omnis complexio coniunctioque quaedam est, ex quo fit, ut quicquid oratione percipiatur, non absque coniunctione intelligatur. Dei vero natura nullas admittit res, quas una iungat, cum una tantum res sit, eadem nullo pacto concreta. Imago etiam rei oratio dicitur, similis itaque enunciatae esse debet rei. Deus autem simplex est omnino, at quae simplex sit, nulla reperitur oratio, quippe quae partes semper habeat necesse est. Quas ob res nulla oratio, nullus sermo institui de Deo posse videbitur, cuius esse imagines non possunt. Principio meminisse oportet, nos esse homines, ut Timaeus ait, aliaque ratione res vocari a diis, alia ab hominibus, ut demonstratur in Cratylo de Priami filio, qui hinc Astyanax, hinc Scamandrus nominabatur. Causa iustissima est, nam nominatio cognitionem sequitur vocesque eorum, quae sunt in anima indicia sunt, ut Aristoteles accepit ex Platone; alia initia, alios eventus efficiunt. Quam ob rem dii, qui longe secus res norunt, longe secus et nominent et enuncient oportebit. Deus namque Optimus Maximus sicuti simplex purusque est, ita se simplicissima novit intelligentia. Aequat enim mens divina divinam pulchritudinem, atque ideo universam simul concipit simplicissima cognoscendi ratione. Nos quorum mens imbecillissima est, quod uno non possumus obtutu intelligentia nosse aggredimur varia, numerosa, multa, ut Alexandri cursorem in occidentem centum passuum millia die uno conficere dicunt consuevisse, quod sane iter puer infirmus si peracturus sit, multos ad id desiderabit dies. Merces quoque, quas una vehit navis, diu homines multi laborabunt, antequam omnes prorsus exhauriant. Mare etiam universum unum est, uno tamen a nobis conspici aspectu non potest. Et quamquam Emanuel Lusitanus Rex Taprobanem, Hispanus Ferdinandus novum in occiduis invenerit mundum, mare tamen non universum viderunt. Ita nos divinam immensitatem quoniam simul nosse non possumus, multis congressionibus ad illam contuendam assurgimus. Mentis autem humanae mos hic est, ut aliquid

---

3 enunciationis *ac.V* 8 quae] atque *N1 A* 21 imbecillima *A* 28–29 Tabrobanen *N2*; Taphranem *A*; Taprobanen *H* 29 occiduis] incidens *corr. in marg. V* 30 Ita … divinam] Tali etiam pacto nos universam *V H* 31 quoniam] quando *N2*; qn *abbr. N1 V A*; quam *H* 32 est hic *tr. H*

3–4 Ratio 2 *MSS* 7 Ratio 3 *N1 N2 V A* 11–12 meminisse … Timaeus] Tim. *N1 V A* 12–13 aliaque … Cratylo] Crat. *N1 V A*

11–14 nos … nominabatur] Cra. 392d

cognitura formet sibi enunciationes, in quibus aliquid de aliquo praedicat affirmatque, ut elementa sunt quattuor, caelum est rotundum, anima rationis est particeps. Statuit autem mens nostra in his omnibus semper hinc unitatem quandam, hinc quandam rursus etiam multitudinem; unitatem quidem rei, multitudinem vero rationis intelligit. Caelum siquidem orbis formam obtinens, res una dumtaxat est, una est et res anima ratione utens; alia tamen est caeli, alia orbis, alia animae, alia rationis est ratio. Caelum namque atque anima substantiae sunt, forma autem, rotunditasque caelo, et ratio animae additamenta quaedam sunt, quae substantiam uti posteriora consequuntur in his etiam, quae non accidunt sed substantiam indicant, ut si dixerimus caelum esse corpus, aut caelum esse caelum, eadem mens efficit tum unitatem tum etiam multitudinem. Una enim substantia est, quae est caelum et corpus, alia tamen caeli, alia est corporis ratio; illa soli aeterno adest, haec etiam mortalibus est communis. Cum etiam idem dicitur atque enunciatur de seipso, ut caelum est caelum, unitas adhuc et multitudo quodammodo servatur. Unitatem quidem nemo est, qui non videat, multitudinem vero animus et cogitatio facit, cum praecedentem partem pro singulo aliquo naturam participante capiamus; sequentem vero partem (quod praedicatum vocant) pro specie, pro communi forma, quae participatur a singulis, passim usurpare consueverimus. Orationum enim partes, quae verba sequuntur, formae antecedentium nominari volunt. Eadem tamen mens, quae in orationis complexu multitudinem parit, in intellectae rei natura collocat unitatem. Rem tamen unam simplicemque nosse intelligentia una simplicique non potest. Quaecumque enim excipiuntur, Averroe teste, ex recipientium qualitate recipiuntur, quemadmodum de gypso, de auro metallisque aliis videre est. Haec enim ubi liquentia fuerint, rerum, in quas coniiciuntur formas imaginesque suscipiunt. Ita cognitio atque intelligentia sese habet. In Deo quidem simplicissima est, cum a divina non differat natura; in diis aliis multitudinem habet, tanto plane numerosiorem, quanto fuerit naturam nacta inferiorem; in hominibus numerosissima est, utpote, qui quanto mente segniores sunt, tanto ad intelligendum plura desiderant. Verum crescat quantumvis istaec multitudo, crescat cognitionum, crescat formarum numerus, non fallitur tamen sapientis animus, neque in

4 hinc quandam *om. V H* 11 aut *sl. N2* 20 quae] quam *H* 26 qualitate] in *praem.N1 V A H* (qualitatem *H*)

25–26 Quaecumque … recipiuntur] 3 De anima *N1 V A H*

tanta rerum numerositate confunditur. Intelligit namque id, de quo haec omnia dicuntur, esse unum, tantumque abest, ut haec multitudo impedimento sit, nulla ut alia pateat via ad divina, dum hic vivimus, contemplanda, quam per hanc, quam diximus vel orationum vel cogitationum multitudinem. Quas ob res colligimus, multa de Deo per veras enunciationes affirmari, nec tamen idcirco non recte intelligimus, cum unitatem divinae puritati, multitudinem naturae infirmitati tribuamus. Eclypsim defectumque solis, quia recta acie spectare haud possumus, idcirco oculos ad specula aquasque convertimus. Ita unitatis divinae radios cum sustinere non possit humana mens, ad hanc se multitudinem convertit, per quam Deum non multitudine ulla in seipso sectum, sed multitudine a nobis intelligendum censet. Non tollunt itaque enunciationum veritatem ea, quae initio sententiae huic pugnare videbantur. Nam quamquam orationibus dissimilibus utamur, sensum tamen intellectae rei facimus similem, cum orationibus partibilibus rem cognosci impartibilem animadvertimus. Nam si intelligentis naturam intelligentia sequitur, taliaque esse oportet, quae excipiuntur, qualis natura est excipientium, ut Deus humana tametsi concreta, permixta, coagmentata, simplici tamen ratione intelligit. Nos contra, quae simplicia sunt atque impartibilia, orationibus multitudinem partium habentibus contemplemur necesse est. Ita enim agunt omnia, velut apta sunt agere, nec a natura discedere quicquam potest. Signa porro quaedam eorum similia sunt, quae significantur, ut flores fructuum, quorum utrumque visu pulchrum est. Alia tamen sunt indicia iis, quae indicantur, longe dissimillima, ut fumus atque ignis, alterum lucens ut videamus efficit, alterum obscurum obstat officitque ne videamus. Sit tamen quamquam obscurus fumus, signum indiciumque manifestissimum rei est, quae omnium orientium obeuntiumque est multo fulgentissima. Aegyptii sacerdotes ne divinae unitatis indicia haberent dissimilia, novam adinvenere scribendi rationem, statueruntque divina omnia non partibili ratione mandare posteritati, sed simplicibus rerum imaginibus, quas sacras appellabant litteras. Extat Hori libellus, extant Romanae urbis monumenta, obelisci, atque animalium imagines, in quibus illae adhuc visuntur effigies, per quas monitos mortales, cum

3 ut *sl. N1* | via] vita *ac. A* 7 naturae] nostrae *H* 8 quia] qua *H* 9 unitatis] divinitatis *corr. in marg. A* 12 nobis *iter. V* 20 multitudo *H* 25 lucens *om. H* | obstat *sl. N2* 30 omnia divina *tr. A*; divina nomina omnia *H* 31 Hori] restat *A* 32 monumenta *in marg. A* 33 quibus] inquis *A*

12 Solutio Rationum *MSS.* 31 sacras … litteras] ἱερογλυφικά *N2*

omnes tum praecipue divinarum rerum studiosos volverunt, ut quoties simplices intuerentur. Imagines, quamquam innumerabilia disputentur de Deo, semper divinam unitatem omnium simplicissimam esse recordarentur. Idem per eadem tempora statuerunt Hetrusci (simul enim uterque populus post aquarum illuviones floruit auctore Platone in Critia). Ii namque unitatem divinam demonstraturi cum essent, illam quidem in uno Iano cognoscendam constituerunt, sed tanto quam Aegyptii doctius, consultius, sapientius, quod naturae unitatem absque omnis distinctionis significatione non ostendendam mortalibus consueverunt. Quocirca Ianum omnia esse dixerunt, ubi unitas significata est, sed ut etiam gignentis genitique distinctionem animadverteremus, bifrontem confinxerunt. Nec obstat, quod trinario, non binario a nobis res divina celebrata sit. Nam sat illis fuit gemina sui Dei fronte hac iuniore, illa vetustiore significare, hinc aliquid quod producit, hinc deinde aliquid quod producitur. Quod aetatis differentia etiam a Daniele indicatum est. Parentem enim, interpretum sententia omnium, antiquum dierum nominavit. Nec tamen in Iano bifronte Trinitatis formulam non intelligendam reliquerunt, cum geminae facies surgere voluerunt a reliquo corpore. Quam quidem Dei imaginem, in ipsa eorum etiam regione monstrari voluerunt, quam hinc in Ciscyminiam, hinc in Transcyminiam, ipso Cyminii montis vertice dispescente, partiti sunt; ut arcana divinarum disciplinarum, ut divina unitas, ut annexa distinctio tum ex habitatoris Dei effigie, tum ex habitatae orae partitione cognosci, intelligi, animadverti possent. Adolescentesque aliarum nationum, qui quotannis in Hetruriam mittebantur rerum divinarum ediscendarum gratia, non modo ex Lucumonum vocibus, et ex Volturno Fano, atque Lycei Luco, verum etiam ex gentilis Dei effigie, et ex regionis forma philosopharentur, ut per illa intelligentiae, per haec memoriae disciplinaeque firmitati consuleretur. Quae quidem instituendi ratio Hetruscos reddidit, teste Diodoro, humanarum divinarumque rerum contemplandarum gloria universo orbi admirabiles.

5 illuviones] illuminationes *A* 6 Ii] Hi *V H* 13 fuit] fluit *N1 N2 V*; sint *A* 14 aliquid *om. N2* 23 ore *N1 V A H* 25 addiscendarum *H* 26–27 gentilis gentibus *ac. N1*

4–5 simul … Critia] Critias *N1 V A* 28–29 Quae … Diodoro] Diod. 6 *MSS*

4–5 simul … Critia] Criti. 111a 15 Quod … est] Da. 7.9

71. *Divinitas est Pater, Deus est Divinitas, altera vera ex eodem, altera ex forma*

Duo adhuc orationum genera supersunt, quae omittenda non sunt, cum Parens aut Proles aut Amor de natura, vel cum divinitas de Deo enunciatur, quemadmodum si quis dixerit, Deus est Pater, aut Deus est divinitas, prior quidem eam ob rem revocari in dubium potest, quod id quod de alio vel enunciatur, vel praedicatur, semper formae obtinet rationem. Atqui formae ratio non Parenti, qui velut e singulis est, sed naturae tribuitur. Quare ea oratio, Deus Pater est, vel falsa vel minime congrua existimanda est. Sequens etiam oratio calumnia non caret. Nam si natura et id quod naturam obtinet idem non sunt, quinam fiet, ut vera ea enunciatio esse possit? Neque enim oculus, qui visum habet, visus, neque philosophus, scientia praeditus, scientia, neque homo in quo humanitas sita est, humanitas dici potest. Quare ne Deus quidem divinitas appellatur. Tria quam brevissime explicanda sunt hoc loco nobis, enunciandi ratio, naturae ac naturam obtinentis differentia, ac quonam modo a naturis aliis in hac re dissentiat divina simplicitas. Enunciationum quidem duplex est ratio, altera euisdem, altera formae. Eiusdem quidem rei enunciatio est, cum id quod dicitur, atque id de quo id dicitur, idem sunt. Formae vero enunciatio est, in qua id quod enunciatur, non modo idem est ei de quo enunciatur, verum etiam eius forma est. Ut enim in artis, ita in naturae rebus est videre. Nam ars omnis aliquid sibi deligit, veluti materiam, in qua deinde artifex artis beneficio formas collocat. Lignarius enim faber in silva ac lignis, argentarius in argento excolendo exercendoque versatur; alterius lignum, alterius argentum materia est. Quidquid faber in ligno, quidquid argentarius in argento cudit, forma nominatur. Materia a natura subministratur, forma de artis ingenio proficiscitur. Idem oratori evenire solet. Cicero sane de Rege in Aegyptum reducendo acturus Pompeium delegit. Hunc ita laudat, ut universae Romanae nobilitati, ob prudentiam, moderationem, fortitudinem, ac res domi militiaeque praeclare gestas iure anteponendus videatur. Materia ac subiectum, ut philosophorum verbis utar, Pompeius erat, cui omnia haec tribuebantur. Haec vero omnia, quae de illo dicta, quae illi tributa, quae de illo a Cicerone praedicata sunt, et praedicata et formae vocari consueverunt. Praecedit itaque semper materia, ut id quod ex se est, sequitur illam postea forma; ut id

8 atque *H* 10 id] ad *praem.ac. N1* 11 quinam] qui natura *H* 14 appellabitur *N1 N2 A* 21 in *sl. H* 23 artifex *sl. N2* 29 universe *A*

quod materiae ab efficiente tribuitur. Si itaque ita res se habet: quod materia antecedit, forma sequitur, atque ea quae praedicantur formae locum tenent, ea enunciatio formae esse dicitur, quae hunc naturae ordinem servat, ut materia subiectumque praeeat, forma ac praedicata consequantur. Quare haec oratio, Hector est fortis aut victor, enunciatio formae est. Haec vero, fortis aut victor est Hector, eiusdem quidem enunciatio atque praedicatio est, formae tamen non est, cum Hector non fortitudinis, sed fortitudo Hectoris forma sit. Dixi enunciandi rationem; dico naturae ac naturam habentis differentiam. Natura rerum ea esse dicitur, quae eadem communis in pluribus ut eorum substantia reperitur, sicut leonis vulturisque species eadem est omnino singulis, in leonibus altera, altera in vulturibus. Ita et humanitas una est, quae in Scipione, in Hannibale, in Pyrrho, in Fabricio reperitur. Id vero quod naturam habet, est hic leo, hic vultur, Scipio, Hannibal, ac singuli denique qui eandem participant naturam. Natura in multis est; naturam habens Scipio hic non in multis esse ullo pacto potest. Natura communis est substantia; Scipio communi substantiae multa addit, ut ea omnia, quae sibi uni accidunt, ut formam, ut mores, ut aetatem, ut alia denique, quae ei tribui possunt, quae omnia dici debent, additamenta naturae. Quare ut calor, et calidum, ita humanitas, et homo inter se differunt. Calor quidem sola qualitas, sola forma est; calidum licet formam significet, ut in Praedicamentis censet Aristoteles, illam tamen cum materia corporeque coniungit. Ita humanitas forma speciesque sola dicenda est, homo humanitati ac naturae hunc vel illum addit, quem singulum suppositumque nominare consueverunt. Ex quo fit, ut si aliud sit argentum, aliud argentum plumbo mixtum, aliud erit natura ac forma, aliud singulum ac suppositum, quod suis affectionibus naturam permiscuit. Hae igitur utriusque differentiae sunt, quod natura formam communem, solam, partem, obtinet; naturam habens materiae singuli, concreti, totius locum habet. Quae cum longe inter se dissentiant, manifestissima facta est Parmenidis sententia, aliud esse essentiam ac naturam, aliud id cui ista tribuuntur. Postremo ut ad divina ex humanis ascensus pateat, haec quae de humanis seu naturis seu singulis disputata sunt, partim divinis attribuuntur, partim attribui nullo modo pos-

---

2–3 sequitur … quae *in marg. A* 5 victor] est Hector *add. A* | enunciatio] eiusdem *praem. ac. A* 19 et] est *praem.ac. N2* 20 quidem] siquidem *N1 N2 A* 27 natura *V H* | Haec *N1 V A H* 31 cui] cuius *ac. A*

30–31 Parmenidis … tribuuntur] Parm. 43 *MSS*

21–22 calidum … coniungit] Cat. 3a 29–31 Quae … tribuuntur] Prm. 135a

sunt. Quare idem et diversum Platonica principia demonstranda sunt. Idem quidem in utrisque naturis invenitur tam divina quam alia, quod utrobique et natura et naturam habens reperitur; quorum quidem alterum quantum in se est, in pluribus esse potest; alterum in pluribus nulla ratione esse potest. Sed haec diversa omnino ratio habet in divinis atque in aliis; in aliis siquidem, cum naturam dicimus, solam formam dicimus; cum habens naturam, cum singulum, cum suppositum nominamus, multa addimus, ut paulo ante diximus, quae peregrina atque extraria sunt naturae. In Deo autem etsi natura formam quodammodo ostendit, habens tamen naturam, ut Parens ut Filius nullam rem addit naturae, id enim, quod ultra naturam obtinet Filius, nec res ulla, nec aliquid, sed ad aliquid dumtaxat nominatur. Res vero quae absoluta, et non ad aliquid dicta sit, nulla Filio, nulla Parenti, nulla Amori dari potest, quae naturae non detur. Quam ob rem facit divina simplicitas, quae una solaque rerum omnium nihil admittit naturae peregrinum, ut natura ac naturam habens, nulla in re dissentiant, sed nusquam alias esse potest, idem sint. Cumque alia omnia concreta sint, semperque in iis aliud natura, aliud naturam habens intelligitur, solus Deus proinde simplicissimus, purissimus dici vult, in quo uno non alia atque alia, sed idem ista sunt, additque alterum, alteri prorsus nihil. Prorsus, inquam, nihil, de iis quae absolute et ad se res, non de iis quae ad alia referuntur, ut paulo ante dicebamus, repetendumque putavimus, ne quis, cum prorsus nihil diximus, etiam ad aliquid sublatum arbitraretur. Constare iam potest, quid de orationibus dicendum sit, quas proposuimus. Prior siquidem oratio eiusdem est, formae enunciatio non est, Deus est Pater; quae etsi vera sit, ex eodem tantum vera est, quoniam idem est, ut docuimus, et Deus et Pater, nec naturam habens est aliud a natura. Formae tamen enunciatio non est, non enim habens naturam, naturae forma est, sed naturam potius habentis est forma. Quam ob rem formae locus posterior, non prior; cum praedicata formam praeseferent, ut supra disseruimus non subiecta. Enunciatio itaque eiusdem, non tamen formae est, cum non forma de aliquo, sed aliquid de forma enunciatur. Quare vera ea est, Deus est Pater; vera etiam haec, divinitas est Pater; verae et hae aliae, Deus ac divinitas est Pater et Filius, est Trinitas, est Amor. Causa quare verae sunt, est admirabilis illa simplicitas divinae naturae, quae nihil secum patitur omnino alienum.

---

2 divina] in *praem. A* 4 in *sl. H* 4–5 alterum … potest *om. V H* 10–11 nullam … obtinet *om. A* 10 rem *sl. N2* 15 admittit] *iter. ac. H* 24–25 forma *V* 27 aliud] aliquid *N2* 28 naturam] natura *N2 V A* 32 ea *om. V H* 35 secum patitur] se compatitur *V H*

Hae vero orationes, Pater est Deus, Pater est divinitas, sive solus Pater, sive cum Filio, sive etiam cum Amore iungatur, non solum ex eodem, sed etiam ex forma verae sunt. Divinitas namque ac natura omnis formae locum semper obtinuit. Quare si de habente illam praedicatur, legitima maximeque accommodata oratio constituitur non modo ex eiusdem, verum etiam ex formae ratione. Atque hoc erat, quod contraria ratio suadere nitebatur, hanc enim Deus est Pater, non falsam, sed minus propriam esse demonstrabat. Altera oratio multo iam manifestior facta est, quam ut plus verborum desideret. Haec enim, homo humanitas est, ideo non conceditur, quod aliud est natura in humanis, aliud id quod naturam formamque participat. At si quid sit, in quo illa non differant, sed res eadem sint, ut de Deo iam demonstratum est, alterum de altero absque ullo discrimine dici praedicarique potest. Cumque nulla intercedat res, quae alterum dispescat ab altero, ea propter natura de habente naturam absque ulla falsi suspicione affirmabitur.

1 Hae] haec *ac. N1* 7 nitebatur] suadebat *V H* 11 quid] quod *H* 14–15 natura *H* 15 affirmatur *V H*

DISTINCTIO V

72. *Natura sive essentia non generat*

Explicavimus iamdudum ambiguas quasdam orationes, quae animum obscuritate erroribusque vel suspendere vel confundere fortasse potuissent. Nunc ex iis sophismatum scopulis erepti, in tranquilliori pelago vela dabimus. De rebus enim divinis praecipue, quam de orationibus multo agi solet tum facilius tum optatius, in quibus velut defatigata errorum ambagibus, tamquam in portu requiescit oratio; nihilque habet in terris animus, quo sese recipiat velut in arcem et tutissimam et tranquillissimam, quam contemplationem atque spectaculum rerum divinarum, ubi cum a rebus ad orationes nonnumquam divertimus, nescio quomodo ex alta specula in imas valles descendere et quasi labi videmur. Nunc, itaque de divina natura, sive essentia, ut vocant, agendum est, quemadmodum ad generationem sese habeat. Ac primo quidem id vestigandum occurrit, generetne essentia vel natura? Si enim tanta est divina simplicitas, ut et divinitas Deus, et rursus Deus divinitas promiscue dicatur; si Deus generet, quam ob rem divinitas non generet, nulla esse ratio videtur. Pater etiam tametsi re a Prole distinguatur, re tamen a natura atque divinitate non distinguitur. Est itaque non aliud a divina natura, sed plane idem; quod hoc generat, id generet oportet quod huic idem est. Damasceni quoque testimonium huic favere sententiae videtur, qui cum de dialecticis ac de natura multa scripserit, in divinis certe rebus disserendis decernendisque plurimum sibi etiam apud Latinos comparavit et nominis et auctoritatis. Ait is generationem opus esse naturae. Quod si cuius generatio est, id generat, atqui generatio naturae est, ut ille vult. Quare cur natura divinitasque non generet, non facile est videre. Post multos qui naturam gignere putarunt, Ioachim Abbas unus supervenit, qui cum vaticinia futurarum rerum agressus esset, quas imminere diceret et Christianae Reipublicae et mortalibus, de iis etiam coepit agere,

---

13 natura divina *tr. N1 N2 A* 18 videbitur *V H* | etiam] et *A* 20 idem *iter. H* 21 qui] quod *H* 22 certo *H* 23 decernisque *corr. in marg. A* 26 cur] cum *N1 V A H*

14 Ratio 1 *MSS* 18 Ratio 2 *MSS* 21 Ratio 3 *MSS*

quae divinae conveniant naturae, deque actionibus et divinis et immortalibus; ratusque non minus sibi nominis se in divinis disserendis, quam in vaticiniis praedicandis consequuturum, ut novarum rerum cupidus eorum opinionem excitavit, qui divinam gignere naturam arbitrarentur. Quam sane sententiam eo argumento satis defensam ac comprobatam putavit, quod si gignere Deum Parentemque fateamur, naturam divinitatemque negemus, divinam simplicitatem labefactemus, constituto discrimine inter divinitatem ac Deum. Statuebat itaque homo aurae popularis aucupator aut naturam gignere aut Deum coagmentati aliquid passurum, quo nihil dici potest divina vel praestantia vel maiestate indignius. Nos contra defendimus essentiam neque gigni neque gignere. Quod ut necessaria confirmetur ratione, nonnulla prius e Platonis philosophia et recensenda sunt et enarranda. Primo quidem de controversia, quae inter eum Aristotelemque versatur, actio ne toti, an essentiae, quae pars rei est, tribuenda sit, dicunt Platonem actionem omnem ideis essentiisque tribuisse. Locus Platonis est Reipublicae liber, ubi ideas causas facit et mundum qui ratione cognoscitur intelligibilem, hunc vero mundum, qui sensu comprehenditur, non causam, sed effectum vocat opus. In Phaedone etiam ideas praedicans atque attollens, elementa et alia, quae hic sunt, causas esse negat. Quibus ex verbis Platonem soli essentiae actionem dedisse insimularunt. Profecto quamvis nonnulla sint, in quibus Platoni contradixisse Aristoteles videatur, maxima tamen eorum pars est, in quibus Platonis non sententiae sed verba coarguuntur. Quod tunc cognitu facile ita est, ut nullus supersit dubitationi locus, cum ea, quae alibi obscurius scripta accusantur, alibi ab eodem auctore verbis apertissimis produntur manifestanturque. Ex quaestione, quam modo tractamus, alia decernenda pensandaque. Nam in Timaeo, ubi de orbe condito naturaeque institutione actioneque omni late disputat, ita inquit: quod est ad generationem essentia, id est ad fidem veritas. Quid vero essentia ideaque in generatione agat, paulo ante dixerat. Nam opificem mundi cum

8–9 aurae popularis aucupator homo *tr.V H* 10 maiestate vel praestantia *tr. A* 11 essentiam] sententiam *corr. in marg. A* 12 e] ex *A* 14 actio ne] actione *corr. N1*; *A*ctione *A* 15 tribuenda … essentiisque *om. A* 16 Reipublicae] 6 *add. N2* 17 intelligibilem *in marg. N1* 18 causa *V H* 25 ab] ad *V* 26 producuntur *H* 28 actioneque] actio neque *N1 V H*

16–18 Platonis … opus] 6 Reip. 41 *N1 V A H*; 41 *N2* 18–20 Phaedone … negat] Phaedon. 59, 61, 62 *N1 N2 V A* 27–28 Timaeo … disputat] Tim. 32 *MSS*

16–18 Locus … opus] R. 6 508e 18–20 In … negat] Phd. 103e 27–29 Nam … veritas] Ti. 29c

quaereret, non ideam aut exemplar ostendit, sed id quod ideam in condendo orbe aspexerit veluti exempla; non quod artifex sit, sed quo mens utatur artificis. Si pulcher est (inquit) hic mundus, mundique opifex bonus, sempiternum certe exemplum maluit imitari; statimque ratione explicata ita iterum colligit: cum mundus omnium genitorum pulcherrimus sit, atque auctor causarum omnium optimus, dubium non est, quin sempiternum sit exemplum sequutus. Quod si Plato essentias ideas vocabat, hic actionem non ideae, sed artifici utenti idea dandam putat; luce clarius constat, non essentiae, sed essentiam habenti actionem esse tributam. Quod vero quandoque ideam vocet causam, non quae agat, sed qua agens agat, intelligit. Quae quidem loquendi ratio, usitatissima est, cum etiam Peripatetici dent animam semper intelligere, quam, ut iidem dicunt, si quis intelligere fateatur, eandem texere et pensa trahere dicat necesse est. Saepe etiam calorem affirmant calefacere, ita tamen affirmant, ut calor sit non qui urat, sed quo flamma atque ignes urant. Patet itaque utriusque Philosophi concilium, quos nihil nisi verborum discrimen in certamen adducit. Quid autem quisque sentiat, non ex verbis, sed ex sententia diiudicandus est. Qua de re ita in Theaeteto scribit Plato: adverte itaque qua succurram via. Si quis minus verborum vim animadverterit, quae plerumque affirmare quicquam ac negare solemus, absurdiora etiam superioribus confiteri cogetur. Haec Plato, ex quibus colligimus, utriusque Philosophi testimonio, actiones singulis tribuendas esse, non naturis, nec humanitatem generare, sed hominem. Porro sicut supra ostendimus, natura et id quod naturam habet re differunt in humanis, ut Parmenides statuit. Natura namque atque essentia, quam eandem nunc facio, et communis, et substantia sola est. At id quod naturam habet, singulum est, ac multa quae id circumsistunt, aggerat miscetque naturae. In divinis vero naturam habens re ulla a natura non differt. Nam si different, simile dissimileque in uno coirent; quod etsi fieri in essentiam participantibus potest, in eo, quod ex se est nec essentiam ullam participat, ut Parmenides ait, fieri non potest. Quam ob rem factum est,

---

4 exemplar *H* 15 ignis *H* 16–17 discrimen] concilium *corr. in marg. A* 19–20 animadvertit *V H* 23 sed *sl. V* 24 habet *om. N1 A*; *sl. N2* 25 namque *om. V H*

3–4 Si … imitari] Tim. 31 *N1 V A H* 18–19 Theaeteto … via] Theaet. 42 *MSS* 24–25 natura … statuit] Par. 43 *MSS* 29–31 quod … potest] Par. 7 *MSS*

3–7 Si … sequutus] Ti. 30b 18–19 Qua … via] Tht. 190c 23–25 Porro … statuit] Prm. 158d 29–31 quod … potest] Prm. 127e

ut sicut natura de habente dicitur, ita actiones quaedam in utrumque referri etiam possint. Ut enim dicimus Patrem et Deum esse divinitatem, ita tam Patrem quam divinitatem creare dici fas est; quod rebus aliis evenire non potest. Sed actiones divinae partim naturae habentique tribuuntur, partim utrique tribui reformidant. Idcirco de earum differentia, nonnihil agendum est. Sunt sane divinarum actionum genera duo: aliae namque naturae, aliae naturam habenti propriae sunt. Naturae quidem actiones sunt creare, providere, administrare, atque alia id genus. Habentis vero naturam ac personae actiones sunt, generare, generari, spirare, manare, atque his similia. In quibus quidem illud intelligendum est, quod priores actiones, quae naturam sequuntur, etiam naturam habentibus sunt communes. Naturam habentes personas semper intelligo. Hypostasis siquidem Graeca dictio, nondum Latinum adinvenit nomen, nostri "personam" interim usurpant, cuius loco nos vel "singulum vel naturam habentia" libentius reposuimus, non tantum ut Latinius loquamur, sed ut sententiam expressius explicemus. Dicimus itaque divinitatem, dicimus Patrem etiam creare. Habentis autem naturam actiones, aliae propriae sunt, aliae ascititiae atque accommodatae. Ascititiae, ut intelligentia Filio, amare Spiritui, quamquam accommodantur, tribui tamen naturae consueverunt. Quis enim divinam naturam aut nosse aut amare negaverit? Causa est, quoniam si Filii sapientia est, certe non Filii qua Filius a natura distinctus est, sed qua idem est Filius cum natura. Actiones aliae sunt, quae propriae habentis naturam esse dicuntur, ut gignere, ut gigni, atque aliae eius generis habentis naturam sunt, non qua naturam habens idem cum natura est, sed qua a natura distinguitur. Gignere etenim Patris est actio, qua a Prole distinguitur. Qua etiam ratione fit, ut Parens non a Prole dumtaxat, sed ut etiam differat a natura. Quam ob rem actiones eiusce sive gignentis, sive geniti, sive etiam Amoris extiterint; ita conveniunt his singulis, quod naturae convenire non possunt. Quem ad modum de saevitia Sullae, de clementia fortunaque Caesaris, de Augusti pace, de Numae sanctimonia, de Alexandri successu, de Pythagorae auctoritate, de Diogenis animi in contemnendis humanis magnitudine; haec sane omnia ita leguntur, ut singula deferantur in singulos, ac singulis ita dentur hominibus, ut humanitati non dentur universae. Ita vesci cibis, libros lectitare, arma capere, dormire, expergisci, aegrotare, convalescere, actionesque aliae innumerabiles eiuscemodi, singulorum

1 de natura habente *tr.V H* | ita] et *add. A* 25–26 Gignere … distinguitur *sl. N2* saevitiae *N1 A*; saevitie *N2* | Syllae *MSS*

dicuntur, non naturae. Quae enim a natura proficiscuntur, et communia, et semper et in omnibus reperiri solent. Ita igitur sentiendum est, divinam naturam minime gignere. Nec simplicitas obstat, ut Abbati visum est, qui vaticiniis in plebe pingendis, quam divinis inter sapientes disserendis erat fortasse melior. Nam, ut supra disputavimus, non modo quid nomina divina significent, verum etiam quo pacto significent perspiciendum est. Divinitas quippe naturam in seipsa, Deus vero naturam in habente significat. Quam ob rem Deus pro Parente vel Filio suapte natura usurpari potest, ob significandi rationem, qua cum divinitas careat, ex se minime habet ut pro Parente aut Prole capiatur. Non itaque simplicitas facit, ut divinitas gignat, quamquam Deum gignere confiteamur. Impedit (sicut saepissime diximus) quod significandi ratio est diversa, ut candidum cygnum canere saepe dicimus, candorem tamen canere numquam dicimus. Sunt tria genera nominum, formae solitariae, formae in habente, et habentis tantum, ut divinitas, Deus, Pater; divinitas solam naturam praesefert, Pater solum habentem naturam, quantum in se est, quamquam nec natura ab habente, nec habens a natura separari possit; sed quam plurima sunt, quae quamquam fieri non potest ut separentur, ratione tamen atque intelligentia seiunguntur, quemadmodum in Physicis adversus Empedoclen scripsit Aristoteles. Ita vis nominum est, ut divinitas solam naturam, Pater habentem naturam, Deus autem mediam quodammodo vim inter utrumque sortitur. Ex eo quidem quod significat, divinitati, ex significandi ratione habenti naturam propius accedit. Quam ob rem si ex re, quam indicat, Deus censeatur, a divinitate non differt, ac quicquid alterum efficit, alterum efficiat necesse est. Sin vero indicandi formula animadvertatur, quando id rem in se, hoc in alio, id seorsum hoc in habente indicat; hoc pacto cum sit habenti naturam, quam naturae similius, idcirco naturam habentis opus Deus participat, divinitas non participat; hoc est, ut rectius dixerim, Deus ut Pater generat, natura tamen non generat. Velut aer, aquae ignisque medius, humore aquae, calore igni coniungitur, quamvis igni ita similis, sicut aquae, sit, in pugna tamen adversus arentia cum aqua conspirat, cum qua tamen ignis conspirare non potest. Ita ferme Deus significandi ratione Patri

---

1 naturas *H* | enim *om. H* 3 obstat] obest *eras.* obstat *N2* 7–8 naturam … habente] in naturam habente *tr. A* 9 qua] quoque *ac. A* 13 candidum] quod *add. ac. A* | saepe *om. H* 28 Deum *A* 32 in] ita *ac. H* 33 fermae *N1*

10 Solutio 1 *N1 N2 A* 18–20 quam … Aristoteles] Phys. 1 *MSS*

18–20 sed … Aristoteles] Ph. 1.4 187a

iungitur, divinitati non iungitur. Divinitas siquidem non ea ratione significat, ideo Deus generat, ut Pater; divinitas tamen, id quod persaepe dixi, non generat. Hanc variam significandi legem Plato saepissime docet. Alterum vocat pulchrum, bonum, magnum; alterum ipsum pulchrum, ipsum bonum, ipsum magnum, hoc est, primam pulchritudinem, bonitatem, magnitudinem. Quae in Hippia, in Phaedone, in Parmenide, in Republica plerumque disputata sunt. Deum etiam a divinitate re dissentire nolumus, ratione tamen significandi volumus. Modus enim omnibus in rebus vim magnam semper obtinuit. Idem enim diversis usibus sumptum nunc malum, nunc bonum fit. Damascenus denique naturae opus dicit, sicut animae est nosse, non corporis, atque urere caloris est opus, non quidem quod alterum norit, alterum urat, sed quod veluti principio altero nos intelligimus, altero ignes urunt.

73. *Essentia est res generans, quomodo vera falsaque sit*

At vero ne quis in re tam ardua ambigendi locus supersit, cum quidam dicendi modus sese offerat superiori sententiae contrarius, uti videtur, idcirco ne praetermittendum quidem illum putavimus. Vera ne sit haec oratio, quaeri solet, essentia est res generans. Si negaverimus, multis e scriptoribus, et iis quidem gravissimis, repugnabimus, qui essentiam quidem uti negarunt esse generantem, ita rem generantem esse concesserunt. Quod si est et natura et Pater idem, ut saepe constituimus, quis neget naturam esse eam rem, quae generet? Sin hanc recipiemus, eritque essentia res generans, erit etiam et aliquid generans, atque omne quod est aliquid generans generans est. Sequitur necessario, ut generans sit, ac generet natura. Quod si ita est, superior sententia iam sublata est. Tripartito haec nobis ad praesens findenda res est. Eorum siquidem, quae in divino negotio dicuntur, alia naturae conveniunt, alia non conveniunt. Rursus quae conveniunt, partim ex eodem ac parum proprie, partim ex

---

1 coniungitur *corr. N2* 11 est] esse *corr. in marg. N1* 15 re] res *ac. A* | quidem *H* 17 illum quidem *tr.A* | illum *om. H* 21 et *om N1 A*; est *pc. N2* 24 est *om. A* 25 naturam *H* | iam *om. H* 26 fingenda *H* 27 divino in *tr. H* 28 proprie parum *tr. H*

6 Hippia] Hipp. mai. 50 *N1 N2 V A*; Hipp. ma. 10 *H* | Phaedone] Phaed. 32 *MSS* | Parmenide] Par. 2 *MSS* 7 Republica] 6 Reip. 36 *MSS* | So. 2 *MSS* 10 So. 3 *MSS*

3–6 Hanc … Hippia] Hp. ma. 287c 6 in Phaedone] Phd. 65d | in Parmenide] Prm. 130b 6–7 in … Republica] R. 5 476b

forma ac proprie. Idem nunc dico ex forma proprie, apposite, apte. Quae ex forma conveniunt, communia sunt, ac quae non parentem dumtaxat aut prolem, sed totam ambiunt sequunturque naturam, veluti nosse, sapere, velle, amare, frui, orbem vel condere potentia, vel etiam providentia gubernare, sicut iam prius diximus. Quae vero ad aliquid sunt, hoc modo de essentia non dicuntur. Essentia namque ipsa communis, indiscreta, indistinctaque est, ad aliquid vero contra, id discernit distinquiturque, in quo ut forma se continet. Alia quae non ex forma congruunt naturae, ad aliquid sunt, quae partim ex eodem tantum naturae iunguntur, partim nulla ratione iungi volunt. Quae ex eodem naturae iunguntur, sunt ea quae ad aliquid sunt. Dum tamen nominibus utimur, quae non adiecte aut apposite alicuius rei, sed vel subsistentis vel substantiae modum habeant, res dictu profecto nova est, cum grammatici nomina dividant, aliaque substantiae, alia adiecti rationem servare velint. Nos idem nomen et substantiae et adiecti additique rationem habere posse censemus. Si enim substantiae rationem habuerit hoc nomen Pater, vera haec oratio erit. Ex eodem tamen essentia est Pater; Pater enim substantiae modum habens pro habente naturam ponitur. Atqui natura, et naturam habens in Deo non aliud atque aliud, sed idem, ut dixi, sunt; idcirco ex eodem ea oratio recepta passim est. Sin vero Pater adiecti modum praeseferret, ea oratio recipienda non esset. Alius enim sensus, alia significatio esset. Etenim Pater si substantiae modum habeat, aliquid signat, quod quamquam cum natura est idem, non tamen aequat omni ex parte naturam. Natura namque etiam Filius ex eodem, non ex forma, ut dixi. Pater tamen hoc modo non est Filius; Filius quippe Patri opponitur, naturae non opponitur. Quam ob rem Pater hoc modo de natura dicitur, si substantiae, ut dixi, vim induat veniatque pro habente naturam, quod neque convertitur neque aequat naturam. Sin vero adiecti nomen accipiat locum, non pro habente naturam sed pro ipsa pariente natura usurpetur, significatioque evaderet altera a priore diversa et plane aliena. Illa enim indicabat, naturam esse idem cum habente naturam quod generat; haec autem nihil de habente naturam cogitari vult, sed naturam ipsam communem ex se ipsa parere ac prolem ex se edere praedicat, quod in sententia superiore damnatum est. Est perinde ac si dixerimus, nos videmus sapientes, ac videmur sapientes. In altera haec dictio "sapientes" et

8 ut] ea *H* 8–9 ex forma non congruunt *tr. H* 10 naturae *om. N2* 11 Dum] tum *H* 20 ea *sl. H* 25–26 naturae … opponitur *om. H* 28 Sin] si *H* | nomen *om. N1 N2 A* 28–29 locum accipiat *tr. N1 N2 A* 29 pariente *in marg. N1* 33 aedere *N1*

substantiae modum habet, ac pro re a nobis alia capitur; in altera nobis aliquid adiicit, nec pro re a nobis seposita sed pro nobis ipsis aliquid in nobis habentibus intelligitur. Sapiens enim formam ostendit, quam, si substantiae modus adsit, in alio collocat, si adiecti atque additi, in nobis reponit. Prior sensus tria offert animo, geminas substantias, qualitatem unam; sequens vero duo tantum refert, hinc substantiam, hinc fultam ac delatam ab ea ipsa substantia qualitatem. Pari etiam ratione, licet in re non simili, naturae orationi contingit. Cum enim dicimus essentia est Pater, si Pater substantiae speciem retinuerit, tria modo quodam significata sunt eo quo possunt tria nominari, natura, habens naturam, et generandi vis non naturae, sed habenti tributa. Sin vero additi atque appositi formam susceperit, duo tantum in medium adducuntur, natura, et generandi vis eidem decreta; ubi nulla de habente naturam mentio fit. Quam ob rem nomen quod ad aliquid signat, hoc modo dumtaxat, si substantiae affectionem servaverit, de natura dici non ex forma, sed ex eodem poterit, atque ea recipietur oratio, Essentia Pater est, ac non haec modo, sed haec etiam essentia est paternitas (artis nominibus artifex utatur necesse est. Saevissima quippe est ac clementissima res necessitas. Cum enim nulli oratio pareat rei, nulli errori eadem non indulget). Nonnulla denique sunt, quae cum ad aliquid sint, iungi se naturae loquendo non patiuntur. Ea sunt ad aliquid cum nominibus adiectis, ut dixi, cum verbis, cum verborum participiis, cum etiam praepositionibus indicantur. Quas ob res nulla harum omnium orationum recipienda est. Essentia est Pater, si additi modum habeat. Essentia generat. Essentia est generans. Essentia ab essentia est; quae quidem omnes nec recipi nec audiri volunt, nisi forte aliquid intercederet, ut Essentia est res generans, vel etiam Deus generans, si tamen et res et Deus pro parente, non pro Essentia, ut dixi, capiantur. Quare dici idcirco utrumque potest; Essentiam esse rem generantem, ac rursus rem generantem non esse, si in altero Essentiam, in altero Parentem res dicat. Ubi de his generibus orationum satis actum est, satis illa, qua de quaesitum est, patere ex his potest. Haec enim Essentia est res generans, si res substantiae modum habeat, ut de Patre iam diximus, vera est, sin res adiecti additique officio fungatur, ac non pro habente naturam, sed pro Essentia

---

1 nodum *V H* 6–7 fultam] furtam *ac. H* 13 eadem *H* 17 est] pater *praem.ac. V* 22–23 praepositionibus] propositionibus *N1 V A H*; (*ac.*) *N2* 23 omnium *om. N1 N2 A* 27 vel … generans *om. H* 31 de qua *tr. A*

interpretetur, oratio falsa est. Haec vero omnia, idcirco vel dicenda quae diximus, vel neganda quae negavimus fuere, ne essentiam generare fateamur.

74. *Deus generat vera est oratio, ordoque nominum ponitur, quae ad essentiam quodammodo pertinent*

Quod si refugit ratio fateri, essentiam gignere, quid est, quod non refugiat etiam Deum gignere? Profecto commune utrumque est tam gignenti quam genito. Secus enim si esset, Pater non simillimum progenuisset, quod nec veritas, nec Plato ferre potest. Et si propterea id tollunt, ne in essentia distinctio ulla multitudinem faceret. Distinguit etenim semper genitura gignentem a genito; sequitur nihilo secius hoc etiam tollendum esse, ne eadem causa plures daret deos, quod in Parmenide atque in Timaeo non admittit Plato, ubi unum facit dumtaxat mundum atque omnia procreantem. Non enim magis essentiarum, quam deorum vitandus est numerus. Quod si ideo potius de essentia negandum esset, quoniam formae solius ab habente seiunctae nomen est, sicuti humanitas ac pulchritudo, nihil ad rem facere videtur. Nam alia habentur permulta generis omnino eiusdem, ut sapientia, bonitas, natura. Has tamen gignere auctores clarissimi testes sunt, ut divus Augustinus meus libro quem edidit de Trinitate. Ait enim naturam de natura, lumen de lumine esse, atque de sapientia sapentiam. Quod si ita se res habeat, quid prohibet dicere etiam essentiam de essentia? Ex quo sequeretur, quod aequum iudicium esset, quantum ad generationem pertinet, de essentia ac de Deo. Praeceptum, quod a Prodico manasse Plato ait, servandum hoc loco nobis est, qui in Euthydemo proprias nominum significationes ediscendas ante omnia praecepisse dicitur. In Cratylo vero de divinis nominibus ait Plato: "decens enim consentaneumque est in primis reperire nos, quae

---

9 propterea] principia *H* 10 enim *V H* 13 dumtaxat facit *tr. N2* 24 ait Plato *tr. H* 27 nos quae] nos que *N1*; nosque, *V A H*

2–3 fateamur] ἐν ἔτει αψπς εἰς τὰς έ. σεπτεμβρίς μηνὸς ἡμέρᾳ βψά. Πασχάλιος Βαφιος. *add. in mar.N2* 8–9 Secus … potest] 6 Reip. 38 *MSS* 9 Ratio 2 *MSS* 12 ne … Parmenide] Parm. *N1 V A* 13 Timaeo] Tim. *N1 V A* 15 Quod] Ratio 3 *MSS* 18–20 Has … Trinitate] lib. 7 *N1 V H*; lib. 8 *A* 25–26 Euthydemo … dicitur] Eut. 10, Charmi. 20 *MSS* 26–27 Cratylo … Plato] Crat. 23 *N1 V A H*

18–20 Has … Trinitate] de Trin. 7.2.3 24–26 Praeceptum … dicitur] Euthd. 277e, *cf.* Chrm. 163d 26–246.1 In … posita] Cra. 397b

in rebus sempiternis et naturae ordine constitutis recte sunt posita." Ut vero in eiusdem libri initio dicebat Hermogenes, lege atque usu vocantium rerum appellationes et nomina contineri. Quare de aeternis divinisque agentes rebus, summa niti nos ope decet, quid in illarum nuncupationibus usus obtinuerit hominum consultissimorum. Prima itaque partitio sit, quae a Platone in Sophista posita est, quod vocum aliae actionem, aliae id quod agit significant. Actionem vocat operationem, sive agendo fiat, sive patiendo; id quod agit, id quod actionem vel exercet vel excipit. Alteram vocem verbum, alteram nomen appellitatum dicit, ut generare, ut Deus. Deinceps, sicut in Parmenide scriptum est, aliud essentia est, aliud id cuius est essentia, ut homo, atque humanitas, quae etsi in Deo non aeque locum habeant, alia tamen cogitatione essentiam, alia Patrem, in quo essentia est, contemplari solemus. Cum vero oratio niti nos animi et cogitationum, nomina alia in oratione collocantur, quae essentiam significant, aut ea etiam quae ad essentiam pertinent; alia sunt, quae Parentem vel Prolem, et denique id in quo essentia est, ostendunt. Sunt itaque hactenus tria vocum genera: verbum actionis et generationis, nomen essentiae vel eorum quae ad essentiam pertinent, et nomen eius in quo essentia est, quod Personae appellatione nostri vocant. Generare itaque proprie in oratione de nomine dicitur, quod id significat in quo essentia est. Maxime enim propria oratio est, cum dicimus Parentem generare. De aliis quae ad essentiam pertinent, communiaque sunt, etiam dicitur, de essentiae vero nomine nullo pacto dicitur. Trifariam itaque se habent nomina. Aliud solius solitariaeque essentiae, ut hoc ipsum essentiae nomen. Aliud est habentis essentiam, ut Pater, ut Proles, ut Amor, atque illis communia (veluti ut a Graecis dicitur Persona, ut a nostris suppositum ac Persona). Tertium est quoddam nominum genus, quae tamen etsi essentiam ostendunt, modo tamen aliquo Personam respiciunt. Atque ita usu venit, ut nominibus illis tamquam inter absolutissimam essentiam distinctasque Personas mediis saepis-

---

1 posita] εἰκὸς δὲ μάλιστα ἡμᾶς εὑρεῖν τὰ ὀρθῶς κείμενα περὶ τὰ ἀεὶ ὄντα καὶ πεφυκότα*N2* 2 lege] longe *H* 4 nos niti *tr. V H* 4–5 nuncupationibus] occupationibus *V H* 14 niti nos] sit imago *H* 19 quod] quod (*lnp. ultimae duae litterae*) *N1* 22 quae] quam *H* 23 etiam] et *H* 28 quae] quod *N1 V A H* | modo] non *H*

2–3 in … contineri] Crat. 2 *N1 V A H* 5–7 Prima … significant] Soph. 88 *MSS* 10–11 Parmenide … essentia] Parm. 43 *MSS*

1–3 Ut … contineri] Cra. 383a 5–7 Prima … significant] Sph. 262a 10–11 sicut … essentia] Prm. 130c

sime gignendi actionem coniungamus, ac loco nunc geniti, nunc gignentis utamur. Porro ea nomina, quae nunc media appellare placuit, non aeque inter se omnia habent sese. Alia siquidem essentiae, alia essentiam habenti viciniora propioraque sunt; haud secus atque in coloribus aut elementis evenire solet, in quibus extrema aliqua, remotissima; alterum discedit ab altero, inter quae quicquid spatii intervallique iacet a mediis quibusdam eius generis occupantur obtinenturque. Ea proinde, quae intermedia sunt, alia in alteram, alia in alteram vergunt partem potius, ut purpureum ac fuscum nigro, flavum ac pallidum candido propius accedunt, quemadmodum nosse licet ex iis, quae et prius in Timaeo a Platone, et postea in libello De anima ab Aristotele scripta sunt. Ita fit, quod cum nomina essentiae ac Patris extremorum locum quodammodo teneant, nomina alia partim Patri viciniora, partim remotiora esse comperiuntur. Cum Patris dico nomen, Prolis etiam Amorisque nomen intelligo. Quae enim eiusdem sunt generis, eadem ratione diiudicanda sunt. Hoc siquidem nomen Persona tribus, quae diximus, coniunctissimum est. Quod enim illorum singulum nominat, id omne Persona complectitur. Tria enim illa a distincta affectione (quam proprietatem vocant), Persona a communi sumpta est. Hoc tamen nomen Deus paulo remotius est a tribus. Licet enim quodlibet trium claudat, non tantum distinguit, nec a distincta affectione, sed a communi essentia ductum est. Currere enim, unde θεός Platone teste, originem sumpsit, hoc est ut Maro Platonis interpres elegantissimus interpretatus est, "Ire per omnes terrasque tractusque maris caelumque profundum." Haec, inquam, penetrandi affectio non Patris aut Prolis est tantum, sed essentiae naturaeque communis. Sunt praeter haec, quae diximus, nomina formarum nonnulla, quae vulgo abstracta nuncupari solent. Haec etiam certe inter se ordine ita se habent, ut aliud propius, aliud longius a tribus sibi locum vendicet. Alia etenim actionis ordinem spectant, ut natura, ut virtus, ut bonitas, ut lux. Actio autem non essentiae, sed essentiam habenti tribui solet. Ideo sacrarum rerum scriptores haec quandoque pro aliquo trium

---

1 ac] hac *ac. A* | nunc] naturae *A* | nunc] naturae *A* 2 utamur] ut amor *A* 4 proprioraque *N1*; propinquioraque *A* | haud] aut *A* 9 nigrum *A* 13–14 comperiuntur] periuntur *H* 14 etiam prolis *tr. V H* 17 personae *A* 19 Persona] quae sola *A* 20 tantum] tamen *H* 27 Haec] sed *H*

7–11 Ea … Platone] Tim. 176 *MSS* 11 postea … Aristotele] 2 De anima *MSS* 21–22 Currere … sumpsit] Crat. 54 *MSS* 23–24 Ire … profundum] Virg. *N1 V A H*

7–11 Ea … Platone] Ti. 68c 11 et … Aristotele] de An. 2.7 418a 23–24 Ire … profundum] Geo. 4.221–222

essentiam habentium usurpavisse deprehenduntur, ut cum de lumine lumen, sapientiam de sapientia esse dicunt. Referam hoc loco quid Plato commonitos voluerit omnes, qui se ad divina nomina investiganda contulerint. Ait enim in Cratylo, "Primo quidem diis praestati nihil de ipsis consideraturos, neque enim posse confidimus, sed de hominibus potius, qua potissimum opinione circa deos affecti nomina ipsis instituerint." Satis his verbis testatus est Plato, res divinas cognosci a mortalibus non posse, quippe quae solis illis manifestae sint, qui et moribundi corporis tenebras abiecerint, et immortali animo ad lucem divini solis evaserint, ubi, ut Phaedri verbis utar, integra ac simplicia spectacula contemplantur pura in luce puri. Haec sunt quae de divinorum intelligentia disserit Plato. Haec sunt unde divinus est habitus. Haec sunt, quae si a nostris lectitarentur, efficerent, ut divinam illi quidem pulchritudinem docerent profiterenturque cautius, cuperent et amarent ardentius, sectarentur accuratius atque imitarentur. Nostra itaque imbecillitas hic facit, ut obtusa nostra acie plenitudinem divinam quasi fluminis impetum, ut in Psalmo dicitur, minus substinentes, in viros plurimos distinguendo partiendoque derivemus, atque ex uno multa efficiamus. Iure integra illa vocabat Plato, quae nihil discerpuntur, iure simplicia quae nulla multitudine permiscentur. Quod vero ad rem attinet, est quod nihil se de divinis acturum ait. Quod quidem mirum videtur, quod is qui adeo scatet undique rerum institutione divinarum, ut videatur voceturque divinus, de divinis tamen rebus nihil se dicat consideraturum. Adde quod in Epistolis idem scribit, nihil scripsisse se unquam, nihilque divinis de rebus scripturum esse. Ipse idem Plato in iis, quae paulo ante recitavimus, sententiam interpretatur suam. Ait enim, nihil se de divinis consideraturum, hoc est divina, ea qua se habent ratione, non dicturum; et causam daturus addidit, "non enim posse confidimus." Divina enim quid sint, ut prius demonstravimus, minime comprehendimus, sed quicquid hic de

---

1 usurpavisse *in marg. N1* 2 lumine *H* 3 nomina *om. A* 6 qua] quam *H* 14 dicerent *H* 16 plenitudinem] pulchritudinem *corr. in marg. A* 18 partiendoque] *verbum sequens lnp. A* 21 quidem] est *add. ac. N1* | adeo] a Deo *N1 V A H* 23 quod] *add. N2* 26 se de divinis nihil *tr. H* 27 qua] quae *N1* (*ac.*) *H* 29 hic] id *praem. ac. A* 29–249.1 de illis hic *tr. V H*

4–6 Cratylo … instituerint] Crat. 30 *MSS* 10–11 Phaedri … puri] Phaed. 26 *N1 N2 V H* 24–25 Epistolis … esse] 7 Epist. 29 *N1 N2 V H*

4–6 Ait … instituerint] Cra. 401a 8–11 quippe … puri] Phdr. 250c 15–18 Nostra … efficiamus *cf.* Ps. 45.5 24–25 in … esse]

illis nosse aggredimur, per aenigmata ambagesque cogitamus; id quod, iubente Deo, et ab Apostolo et a Platone saepissime commemoratum est. Si quis rem hanc procul dubio admirabilem legere apud hunc philosophum velit, legat Charmidem, Theaetetum, librum de Republica et multo si apertius cupias, Epistolas legas, ubi Apostoli fere verba recognosces. Quam sane rem longe fecit manifestiorem, cum ait non de divinis acturum se, id est, non quid sint et quo se modo habeant divina, sed quonam modo affecti sint homines, quidve cogitaverint cum nomina instituere. Quomodo enim illa se habeant, non licet homini affirmare, teste Apostolo. Verum in hac difficultate angustiaque sermonis si qua offendimus, quae vel a Deo Homine vel a Deo per homines ad nos pervenirent, accurata veneratione suscipienda sunt, ita quod si aperta tutaque appareant, teneri, sin ambigua aut suspecta, interpretari velint. Haec itaque lumen e lumine, sapientia e sapientia est, ita exponendae sunt, ut cogites Prolem, quae sapientia lumenque est, oriri de Parente qui etiam lumen et sapientia est. Aliud est praeterea nomen inter seiuncta, ita enim vocaverim, quae nostri abstracta nominant. Aliud, inquam, est nomen, quod licet seiunctum sit, non agendi actum aspicit, sed substandi. Subsistendi dicturus fueram, sed magnum in utrumque discrimen posuit nostra aetas. Substantia siquidem a singulorum affectione ducitur, quae subsistendi ratio est ac singulis substantiis apte congruit. Quam ob rem substantiae nomen quamquam seiunctum secretumque est, singula tamen spectat ordine affectionis, quam illa habent imprimis subsistendi, unde nomen substantiae trahi coeptum est. Supremum omnium nomen est essentia seiunctissimum, secretissimum, absolutissimum, nihil actionum, nihil ordinum secum patiens. Rem enim purissimam significat, rem se ipsa constantem, non pendentem, non excurrentem extrinsecus, sed undique parem, undique absolutam, quam caeli figuram imitatam fuisse Timaeus arbitratur. Est siquidem caelum undique concisum, undique par, undique aequabile, unde nullus angulus, nihil prominens, nihil exuberans exit,

1 aggredimur] apprendimus *corr. in marg. N1* | per … cogitamus] cogitamus per aenigmata ambagesque cogitamus (cogitationes *ac.H*) *tr. N1 V A H* 9 enim *sl. A* 11 hominem *A* 13 e] de *N2* 14 est] ista *praem. ac. A* 19 in] inter *N2* 19–20 substantiae *A* 26 ipsa] ipsam *N1* (*ac.*) *A*

4 Charmidem] Charm. 17 *MSS* | Theaetetum] Theat. 18 *MSS* | Republica] de Republica *N2 V*; 5 Reip. *MSS* 5 Epistolas … recognosces] 2 Epist. 5 *MSS* 26–29 Rem … arbitratur] Tim. 48 *N1 N2 A*

3–4 Si … Charmidem] Chrm. 165a 4 Theaetetum] Tht. 151c | librum de Republica] R. 5 449d 5 Epistolas legas] Ep. 2 231d | ubi … recognosces] 1 Cor. 13.12 26–29 Rem … arbitratur] Ti. 50b

quod quidem de divina imitatione caelo contigisse Plato credidit. Hoc itaque nomen est, quod infinitam illam divinitatem nominat, quae sibi ipsi sufficiens, nec actionem desiderat, nec ad Personae subsistentiam vergit, ut alia quae diximus plane omnia, sed ab illius ratione abiunctissima atque remotissima est. Huic ut secretissimo, ita et sacratissimo nomini aliud nescio qua sorte iungit sese. Id, inquam, quod a Patre seiungitur deduciturque ea ratione, qua a pernici pernicitas, a veloci velocitas, a vero veritas, ab uno unitas deduci solet. Sed quoniam a Patre ratio prohibet, a paterno paternitas, si dici posset, deduceretur hoc a Patre abiunctum quoniam abiunctam quasi formam dicit; ideo sublimi nomini essentiae persimile visum est. Colligamus iam omnia, sententiamque iam tandem explicemus. Nomina alia maxime ima sunt, ut Parens, Proles, Amor. Alia his proxima, ut Hypostasis, hoc est, subsistentia, et Persona, actus notionum gignendi spirandique trium illorum maxime peculiares sunt. Nihil enim magis est dictu congruum, quam cum Parentem gignere dicimus. Proxime accedit Persona, quae generare satis commode apteque affirmatur. Sequitur paulo altius Dei nomen, quod quidem non Personam sed essentiam in habente significat, quare et generare dicitur, non ex significatu, sed ex significandi ratione, minus tantum apte minusque proprie gignere dicitur, quam Parens vel etiam Persona. Alia vero sunt nomina non coniuncta, ut illa, sed seiuncta, ut natura, lux, bonitas, sapientia, quae ex actionis ordine, cum actiones singulorum sint, nonnihil ad Personas vergere existimata sunt; atque ideo sapientiam gignere, naturam gignere, nonnumquam scriptum legimus, atque eadem ratione lumen esse de lumine, et alia similia, quae uti diximus, interpretari amant. Substantiae quoque nomen quamquam his remotius altiusque, deorsum tamen despicit semiapertis (ut ita dicam) ocellis. Quo ex aspectu fit, ut substantia etiam de substantia dicatur. Ultimum summumque denique essentiae nomen una cum Patris seiuncto adeo sese evehit attollitque, ut essentia gignere dici non patiatur. Idem de Patris abiuncto dicimus; et quod de generandi, idem de spirandi notione decretum sit. Quare et de nominum generibus, et quae gignere concedendum sit, quaeve negandum, cur denique gignere Deum receptum sit. Essentiam receptum non sit, dictum hactenus sit. Nunc ubi de gignente egimus, de genito iam egendum est nobis.

2 nominat *om. N2* 4–5 abiunctissima] est *add. ac. N2* 8 quoniam] quando *H* 15 magis *om H* | est magis *tr. V* 20 parens *om. H* 26 remotius *om. H* 27 altiusque] altius *H*

75. *Filius de substantia Patris*

Hactenus itaque si de gignente satis multa disputavimus, par est etiam ut et de genito verba faciamus. Principio igitur de Parentis substantia naturaque genitus fortasse non videbitur. Si enim, ut Cicero ait, animus humanus ex divina mente excerptus est, quod nos de Minerva genita sapientia saepe diximus quod de Parentis mente genita sit, sitque, ut Plato ait, magnae cuiusdam intelligentiae proles, tam itaque anima, quam Verbum divinum de divina mente originem sumpsisse asseverandum est. Atqui animam de divina substantia nemo sapientum putaverit, sed si qui id sentiunt, viri quidem probi fortasse fuere, sed, ut video, parum eruditi. Quare ne filius quidem de parentis substantia ortus dici poterit. Praeterea quod ex alio fit, vel ex alio quod insit factae rei, ut ex marmore aereque Mercurius, aut ex alio quod minime insit, ut ex nocte diem serenum ex tempestate, et ut Aristotelis exemplo utamur ex inmusico musicum. Nihil tamen horum est, (ut forte quis crederet), quod de divina Prole fas sit dicere. Patriam enim substantiam alterum Filio subriperet, alterum materiam esse confiteretur. Aes namque ac lapis unde statua fit, statuae materia est. Quid? quod quae natura gignuntur, non ex alterius gignuntur essentia, ut Hectoris nemo ex Priami humanitate aut essentia genitum arbitraretur. Quas ob res neque de divina prole id credi poterit. Prius de aliquo, aut ex aliquo quonam pacto quid fiat commemorare, deinde rationibus sententiam confirmare nos oportet. Aristoteles etenim atque interpres Arabs diversa id ratione dici in Physicis testantur. Nonnumquam enim ex aliquo veluti e silva et materia fieri, ut e cupresso arca, ex cedro mensa, ex ebore lectulus. Quandoque non materiam, sed ordinem dumtaxat significari, ut ex hieme ver, ex iuventa senectam. Addimus his nos alia; plerumque enim hoc loquendi genere originem ostendimus, ut divina ex providentia fieri omnia, e sole oriri lumen gignique orientia. Aliquando simul et originem et materiam, ut ex aquae substantia nubes, e nubium materia imbres compluere, atque ex Anchises

---

5 genita] a *praem. ac. N1* 5–6 sapientia genita *tr. H* 7 cuiusdam *om. H* | tam] iam *A* | verbum] verberum *ac.N1* 9 divina] anima *H* | substantia *in marg. N1* | id] *sl. N1* 12 rei] nocte diem *praem.ac.H* 14 musicum] in *praem. N2* 18 quae *om. A* 19 Hectorem *N2* 22 enim *V H* 23 ratione] *verbum sequens lnp. A* 27 nos his *tr. A*

3 Ratio 1 *MSS* 6–7 sitque … proles] Crat. *MSS* 11–12 Ratio 2 *N1 N2 V A* 18 Ratio 3 *N1 N2 V A* 22–23 Aristoteles … testantur] 1 Phy. 57, 61; 8 Phy. 4 *N1 V A H*

4–5 Si … est] de Div. 1.22.70 7 proles] Cra. 407b 22–23 Aristoteles … testantur] Ph. 1.7 189b 36

substantia genitum Aeneam. Si autem haec ad divina transferamus, omnia in illis praeter materiae sordes inveniemus. Est enim divina substantia defecatissimus purissimusque actus, unde non modo materia, sed omnis prorsus potestatis suspicio abest; ut si quis materiae corporique deditus, et voluptatum luto labefactatus impurissimae mentis acie purissimam hanc (de qua loquimur) lucem intueri autumet, is et hallucinatur et desipit. Purum enim, ut saepe ex Platone recitavimus, ab impuro attingi fas non est. Nostrum quoque oraculum mundi cordis homines appellat beatos, quippe qui soli Deum, soli divinae lucis obtutum assequuturi sint. Non enim materiam ullam in divinis invenias, sed substantiam nitidissimam divinissimamque, quam puri actus appellatione nominavimus. Si itaque ex aliquo manare in superis, quonam pacto quid dici possit, quaeritemus, his sane modis (quantum quidem viderimus), dici inveniemus. Quandoque itaque pro substantia intelligitur, ut Proles de substantia essentiaque divina. Nonnumquam pro origine, ut de Patre, vel de persona Patris est Filius. Interdum pro solo ordine, ut de aeterno mortalis effectus. Saepe et substantia et origo iuncta est, ut de Parentis substantia Proles exorta est. Si enim solam substantiam absque origine intelligeres, non minus Parens de Filii substantia, quam Filius de Parentis substantia dici posset, cum uterque ex eadem constet substantia; sed Filius potius de Parentis substantia dicitur, tum quod obtinet substantiam eandem, tum quod ab illo veluti a fonte dimanantem excipiat. Statutis itaque quattuor his dicendi rationibus, iam rationes explicandae sunt nobis, quibus Filium de Parentis substantia ortum confirmemus. Principio, veluti in Cratylo testatur Plato, quae natura gignuntur, similia gignenti esse oportet. Atqui similitudo genitorum non quaevis, sed naturae esse debet. Si itaque naturae generatio necesse est, ubi Proles a Parente accepit naturae similitudinem, necesse est Filium divinum de Parentis substantia esse genitum. Idem non solum ex natura, quae simile semper gignit, sed etiam ex Parente ostendi potest. Pater siquidem Deus est, cui nihil omnino inest coagmentati, sed plane simplex est, nihil proinde in eo est, quod quidem

---

6 autumet] autum … et *H* 6–7 hallucinator *A* 9 appellat] appellant *ac. N1* 10 enim] modo *H* 12 qui *A* 13 sane] sine *corr. N1* 14–15 de divina substantia essentiaque *tr. A* 15 ut *sl. A* 19 Filii] Filio *ac. N2* 22–23 his quatuor *tr. A* 23 ratione *A*; res *H* 27 necesse] haec *H*

7–8 Purum … est] Phaed. 14 *MSS* 24 Ratio 1 *MSS* 25–26 Cratylo … oportet] Crat. 16, 17 *N1 N2 V A* 29 Ratio 2 *MSS*

24–26 Principio … oportet] Cra. 393b

eius substantia non sit. Idem enim et diversum, teste Parmenide, in uno non sunt, hoc est in Deo ultra essentiam, quae est undique idem, non aliud quicquam diversumque est, quod non divina illa essentia sit. Gignitur autem Filius de Patre ut subsistens persona ac per naturae modum. Quare accipit a Patre naturam ac de Parentis substantia generatur. Porro ex Filio etiam ratio duci potest; ut etenim in Protagora dicitur, non ex tenui aliqua similitudine proprie similia vocanda sunt. Id praecipue est in Filio gignendo intelligendum. Nam si pictor ad speculum imaginem pingat suam et quam simillimam reddat, simile sibi aliquid fecit, Filium tamen idcirco non fecit. Quoniam ea in re speciei naturaeque similitudo desideratur. Quam ob rem, ut id quod gignitur filius vocetur, adeptus sit oportet et naturam parentis et speciem. De Patris itaque substantia divinam Prolem genitam esse, dubitari non potest. Denique ex natali confirmari potest. Nam si natale illud divinum ex magna quadam intelligentia est, velut in Cratylo Plato scriptum reliquit, hoc est, ex aeterna atque infinita, itaque ex Parentis scientia sicut in intelligente verbum erumpit. Atqui divina scientiaque actioque omnis, ut in Metaphysicis Aristoteles docet, divina utique substantia est. Quapropter qui de Patris vertice (ut de Minerva fabulantur veteres) hoc est de Patris intelligentia oritur, de Patris substantia oriatur necesse est. Anima vero non ita exoritur. Naturae enim similitudinem non modo non assequitur, sed immenso ab illa spatio recedit; voluntate nimirum illam Deus procreat, non natura. Cicero autem id quod scripsisse videtur, non sensit, aut in re omnium prope difficillima, et in qua plurimi philosophorum lapsi sunt. Non mirum si Cicero, fori alioqui et reipublicae rebus occupatus, verum non viderit. Genitum etiam ex substantia dicimus, non autem ex materia. Ex materia enim fieri par est quae ex materia constant, quam ne nominari quidem in divina natura fas est. Inest nimirum Filio id, ex quo gignitur, quae Patris non materia, sed substantia nominanda est. At Hectorem de Priami substantia naturaque progenitum nihilominus asseverandum est. Unde enim semen manavit, nisi de parentis substantia? Sed id forte movere

---

3 diversumque] diversum *V H* 4 ut] et *H* 6 potest dici ratio *tr. A* | enim *N2* 21 immenso] immensa *ac. A* 23 autem] *om. V H*; *eras. N2*; | in] *sl. N1* 27 par] pars *ac.A* 29 est] sunt *A*

1–2 Idem … sunt] Par. 36 *N1 N2 V H*; 33 *A* 5 Porro] Ratio 3 *MSS* 6–7 Protagora … sunt] Prot. 23 *MSS* 13 Ratio 4 *MSS* 14–15 Nam … reliquit] Crat. *N1 V A* 20 Solutio prima *MSS* 26 Solutio 2 *MSS* 29 Solutio 3 *MSS*

1–2 Idem … sunt] Prm. 142d 6–7 ut … sunt] Prt. 331d 14–15 si … reliquit] Cra. 407b 17–18 divina … est] Metaph. 13.1 1076a18

quempiam potest, quod Hector partem substantiae patris accipit, totam non accipit. Id autem idcirco accidit animantibus, qui partibiles sumus atque corporei. Id vero quod incorporeum est, ac beata simplicitate unum significet naturamque communicet, totam communicet necesse est. De substantia itaque patrum etiam nos gignimur, sed proh dolor, qui universam patrum substantiam non capimus, quam indignum est, ac quam miserum, ut universa vitia imitemur, nec patimur deinde ab eo curari medico, qui non vitia, nihil enim nisi sanctum in Deo cogitandum, sed solus substantiam Patris universam complectitur.

76. *Filius non ex nihilo*

Pullulat ex hac quaestione, quam solvimus, nova quaestio. Nam si in rebus divinis, hoc est, in Deo, et iis quae in Deo et circa Deum ponimus, materia nulla est, mortem enim nesciunt, quam obire oportet quaecumque ex materia et necessitate conflata sunt, ita namque materiam vocat Plato in Timaeo, ubi duo generationis initia esse statuit, mentem et necessitatem, hoc est, agentem tolerantemque causam forma siquidem, cum fiat, principii nomen sibi vendicare non audet. Nam quae efficiuntur, initium habent, initii vero initium esse non debet, tum quod ex initiis alia fiunt, ex aliis ipsa, teste Aristotele, non fiunt, tum quod oportet prima rerum initia, eodem auctore, semper permanere. Duo enim principia tantum per se esse in genitis rebus. Peripatetici volunt in Physicis, privationem per accidens principium esse statuunt. Si itaque quodcumque gignitur, ex duobus constet initiis oportet, ut inter utrosque philosophos iam constitit, divina proles, quae unitas absolutissima est, ut parens, initia haec non habet. Unitas namque nullas habet partes, si Parmenidi divina vestiganti atque enucleanti crediderimus. Quare ex nihilo creata existimari poterit. Deinceps sententia, qua Peripateticus utitur, aliosque usos esse ait ad creationem tollendam, ea est: ex nihilo, nihil fit. Quam quidem

---

5 gignimur] gignimus *N1* (*ac.*) *A* | proh] proli *N1 A* 9 amplectitur *H* 14 et necessitate *om. A* 15 et] *om. A* 19 ex] et *V H* 20 initia] permanere (20) *hoc loco inser. ac. N1* 22 accidens] actus *corr. in marg. N1* 24 absolutissima unitas *tr. A* 27 deinde *N2 A*

14–16 ita … necessitatem] Tim 115 *MSS* 18–19 quod … fiunt] 1 Phys. 42, 50 65 *N1 V A H* 27–28 sententia … fit] 1 Phys. 33 *N1 A*

13–16 quaecumque … necessitatem] Ti. 28c 18–19 quod … fiunt] Ph. 1.9 192b29 27–28 sententia … fit] Ph. 1.9 192b28

non alia defendunt ratione adversus veritatem, nisi quod, uti in Physicis aiunt, in omni actione subiici aliquid necesse est, quod gerat vehatque et actionem et formam. Quam sane rem non ab Aristotele inventam, ut vanus mentitur Arabs, sed longe prius in Timaeo a praeceptore demonstratam accepimus, quod subiectum et acceptabulum sit omnis tum generationis tum formae. Si itaque fit nihil ex nihilo, ob eam causam quod materia uti vehiculum in omni generatione requiritur. At vero haec causa sublata est in iis, quae materiam non recipiunt. Recipere autem materiam divina natura non potest. Quare si proles genita est absque ulla materia, genita est omnino. Ex nihilo igitur genita sit oportet, ut exigere ratio videtur. Nisi alius esset locus, ubi clarissime haec controversia disserenda componendaque esset, id primo in consultationem veniret, an fieri quicquam possit ex nihilo. Ea tamen quaestio tunc tractari solet, cum de mundo hoc agetur, qui simulacri atque umbrae speciem prae se fert. Nunc exemplar persequimur, atque eo de mundo agimus, qui cum, sicut Ioannes ait, vera lux sit, hoc est, non corporea, non tempori ac momentis obnoxia ut solis vulgaris lux, Verbum Deusque est, per quem et mundus hic, et quae in eo sunt omnia, creata factaque sunt. In id itaque tempus tractandus nobis hic locus relinquetur, si tamen hic animus ad verum in ea re quaerendum excitabitur. Contendit etenim obstinatissime Peripateticus, nullo posse pacto ex nihilo quicquam gigni, quod actum potestas praecedere in omni actione semper debeat. Quam quidem sententiam saepe Peripateticus affirmat fuisse omnium philosophorum sententiis confirmatam. Quid hic Plato sentiat, tunc late ostendemus. Nunc sat erit docuisse, eam rationem non procedere, quam efficacissimam ratus, ut victor exultat Averroes. Nam cum potestatem anteire ait, quaero ex eo, quonam id pacto intelligat, anteire potestatem tempore, an natura? Si natura, nihil agit adversus nos, quippe qui volumus mundum conditum ex materia priore atque antiquiore natura, non tempore; sin vero tempore antecedere potestatem velit, Ioannes Grammaticus Peripateticus aderit,

---

7 requiritur] reperitur *H* | haec] ea *A* 11–13 ubi … nihilo] *signum digitis indicantis apposuit N2* 16 est *sl. N1* 17 solis *om. H* 18–19 tempore tractando *A* 20 enim *V H*

1–3 nisi … formam] 1 Phys. 60 *N1 V A H* 4–6 longe … formae] Tim. 18, 121 *N1 N2 V H* 15–16 sicut … sit] Ioannes I *N1 V A H* 22–24 Quam … confirmatam] 1 Phys. 33, 8 Phys. 4, 1 Cael. 106, 3 Cael. 35, 1 De gen. 11, 12*N1 N2 V H* 30–256.1 Peripateticus … tueatur] 8 Phys. 4 *N1 N2 V H*

1–3 uti … formam] Ph. 1.9 192b27 4–6 longe … formae] Ti. 49a, 50b, 53a, 57c 15–16 sicut … sit] Io. 1.1–3 20–24 Contendit … confirmatam] Ph. 1.9 192b28, Ph. 8.4 254b7, Cael. 1.11 281b34

qui nostras partes non insulsa ratione tueatur. Ait siquidem, non necessario semper potestatem tempore anteire, veluti cum gignuntur ignes, potestas ascendendi ascensum non antecedit. Nullum enim esse tempus potest, quo ignis et ignis sit et non ascendat. De libero semper loquimur, non de eo quem aliquod forte fortuna repagulum obiice obiecto remoretur. Nec sunt contraria simul. Contraria enim inimica sunt; at potestas ita actui amica est, ut nihil actum assequi possit, sine conciliatrice potestate. Duo igitur potestatum genera Ioannes constituit, seiunctam, ac coniunctam; quorum quidem oportet vel neutram actui repugnare, vel si quid actus potestati repugnet, absenti pugnare fortasse poterit, praesenti coniunctaeque non poterit. Sed iam unde digressa est revertatur oratio. Ex nihilo fieri aliquid vario potest intellectu dici. Aut ut omnem tollat prorsus causam, nullumque omnino initium statuatur; atque hoc pacto nihil fieri ex nihilo verissimum est. Omne enim quod gignitur, ex aliqua gigni causa Timaeus ostendit. Altera significatio erit, ut ex nihilo veluti ex materia vel subiecto internoque principio capiatur; atque hoc etiam modo ex nihilo fit nihil. Tertia significatio est, ut ex nihilo dicat ordinem, quod scilicet prius nihil esset, postea aliquid factum sit. Potest et quartus sensus adduci, intellecta negatione, ut id ex nihilo fiat, quod non ex aliquo. Harum vero significationum nulla est, quae divinae possit geniturae accommodari. Non enim ex nullo initio Verbum id gignitur, quod magna intelligentia gigni ostendit Plato. Intelligentia enim Verbum ab intelligente initio semper gignitur. Neque ex nihilo tamquam ex materia quicquam fit. Quare neque ita gignitur Proles illa. Neque etiam post nihil, cum aeternus, ut Pater, divinus sit Filius. Sed ne negatio quidem congruit. Non enim dicere quisquam audeat Filium ex nihilo, hoc est, non ex aliquo constare. Constat enim ex divina paternaque substantia. Quas ob res, qua Filius ille divinus esse dicatur ex nihilo, nulla iam patet via. Neque duo illa initia ad aeternorum ortum desiderantur. Nam

---

2 velut *H* 7 conciliante *N2* 8 potestatum] ptum (potestatem *in marg.*) *abbr. N1* 9 neutra *N2 A* 10 pugnare] inpugnare *ac. N1* 13 prorsus tollat *tr. H* 16 velut *H* 17 est *om. A* | dicam *A* 18 scilicet] si *H* 23 Neque] tamquam *corr. in marg. N1* 27 est] *verbum sequens lnp. N2*

14–15 Omne … ostendit] Tim. *N1 V A* 21–22 Non … Plato] Crat. *N1 N2 V* 29–257.1 obeuntium … constituit] Tim. *N1 V A*

1–3 Ait … antecedit] Physic. 8.1 251a 14–15 Omne … ostendit] Ti. 28a 21–22 Non … Plato] Cra. 407b 29–257.1 Nam … constituit] Ti. 50d

obeuntium initia in Timaeo patrem matremque constituit, at divinam Prolem solo de Patre natam commemorat in Republica, ut …

77. Essentia generationis est terminus. Iris, Thaumantis

In Hydra hac nostra, ac divinarum rerum vestigatione, quo magis disserendo definiendoque pugnatur, eo dubitationum capita numerosiora suboriuntur. Omnem orationis et vim et robur exercuimus hactenus, ut ab essentia generationem seiungeremus. Nunc nescio quo pacto prima saltem fronte nobis ire obviam molimur cogimusque illud Pythagoricum praestare συνταρράτον τὰ στρώματα, "stragulas confundere," ut qui e lecto surgunt efficere iubentur. Qui itaque hactenus essentiam neque gignere neque gigni voluimus, nunc etsi idem volumus, facimus tamen illam geniturae terminum et postea quam multum dissidii inter utramque serere studuimus, nunc contra, utramque conciliare procurabimus. Quod si nec genitam nec gignentem fas est dicere essentiam, fateri tamen oportet et geniturae et generationis munera finientem, divinaeque esse actionis illius, quam generationem vocamus et terminum et finem. Dicam de more excitandi animi gratia, quae huic sententiae dissentire atque obstare existimantur. Ut enim ad cibum fames, ita ad veri vestigationem dubitatio excitat. Idcirco admiratio dubitationis et inscitiae comes philosophiam peperisse dicitur apud Aegyptios sacerdotes, auctore Aristotele, atque Irim, quae divinarum rerum mortalibus nuncia est, ut saepe et Homerus et Maro fingunt, idcirco Taumantis filiam fabulati sunt, quod philosophiae ac sapientiae lux, per quam divina mortalibus enunciantur, ex primorum philosophantium admiratione orta sit, ut apud Platonem Ion, Cratylus, Theaetetus volunt. Danielis quoque ac Thomae Apostoli curiosior haesitatio magnam religioni peperit certitudinem, alter siquidem temporum atque ortus, alter redivivi corporis

---

2 Republica] 6 *add. H* | ut *om. H*; *textus hic deficit N1 N2 A* 8 cogimusque] cogimurque *A* 9 … στρώματα] *om. A* 11 volumus] voluimus *N1 A* (*ac.*) 16 actionis esse *tr. H* 18 existimatur *H*

1–2 divinam … Republica] 6 Reip. *N1 N2 V A* 18–25 Ut … volunt] *signum digitis indicantis apposuit N2* 19–21 admiratio … Aristotele] Met. *N1 N2 V H* 23–25 philosophiae … Ion] Ion 20 *MSS* 25 Cratylus] Crat. 42 *MSS* | Theaetetus] Theet. 24 *MSS*

1–2 at … Republica] R. 6 507a 19–21 admiratio … Aristotele] Metaph. 1.1 981b24 23–25 philosophiae … Ion] Ion 531b 25 Cratylus] Cra. 408b | Theaetetus] Tht. 155d

fidem facit. Quinam, amabo, fieri potest, ut essentia terminus sit generationis? Terminus siquidem actionis cuiusque forma est, sicut in Physicis Peripateticus scribit; forma autem omnis, quae actionis est terminus, potestate est, non actu, dum in actione res versatur. At dum divinus Prolem gignit Pater, essentia non potestate, sed plane actu est. Terminus igitur aut forma generationis esse non poterit. Scriptum est quippe in Physicis, id quod gignitur, non esse dum gignitur. Sed prolem formamque gigni solam Plato putat, cum pater materque, hoc est idea ac materia, non gignatur. Non id omne gigni dicendum arbitrabatur, cuius pars aliqua haud utique gignitur. Quam ob rem si forma, terminus, atque id quod gignitur, idem sunt, id vero quod gignitur, non est cum gignitur, essentiam itaque tunc non esse oporteret, quod ne somniavit quidem ullus umquam. Paulo etiam inferius idem Peripateticus statuit, id quod factum sit minime gigni; vana nempe actio omnis fuerit, qua non aliud praeter ea quae prius fuerint procreetur. Quod si semper essentia illa est, quae quidem si quid non potest, non esse non potest, quonam modo quis dixerit aeternam illam essentiam ullius esse terminum actionis? Adde ex eodem auctore, quem lubens in hac sequor quaestione, quod cum aliquid gignitur aliquid interire necesse est; alterius enim, ut ipse ait, generatio alterius est interitus, ut cum fontes gelidis ex antris erumpunt, tanta aquarum copia non flueret, nisi magna intus vis aeris interiret. Nullus in divinis interitus. Nulla itaque generatio, nullus denique generationis finis esse potest. In libro etiam, qui De caelo inscribitur ita habetur, δεῖ δ' εἴδει διαφέρειν ἐξ οὗ καὶ εἰς ὅ, "specie differre oportet ex quo atque in quod." Sed essentia in gignente est; quare non eadem, sed altera generationis terminus esse debet. Quid? quod motus generatio non est. Eo enim seiunguntur discrimine, quod id quod movetur, actu est, id vero quod generatur

---

10 utique] utrumque *in marg. N2* | gignitur] essentiam itaque tunc non esse oporteret *sequ. ac. V H* 11–12 essentiam … oporteret] *om. H*; *hoc loco asteriscum ad errorem praecedendem indicandum apposuit V* 14 qua] quare *ac. N2* 18–19 gignitur aliquid] *in marg. N1* 19 generatio] est *add. ac. N2* 21 deflueret *H* 22–23 Nulla … potest] *asteriscum huius sententiae notandae causa in marg. apposuit N2* 23–24 … ὅ] *sl. A* 26 Eo] non *H*

1 Ratio 1 *MSS* 2–3 Terminus … scribit] 4 Phys. 14, 15 *MSS* 6 Ratio 2 *N1 N2 V A* 7 Physicis … gignitur] 5 Phys. 8 *N1 N2 V A* 13 Ratio 3 *N1 N2 V A* 13–14 Peripateticus … gigni] 5 Phys. 12 *N1 N2 V A* 17 Ratio 4 *MSS* 17–19 ex … est] 1 de gen. 17; 8 Phy. 1 *MSS* 23 Ratio 5 *N1 N2 V H* 23–24 In … quod] 1 Cae. 86 *N1 N2 V*

2–3 Terminus … scribit] Ph. 4.3 210b22 6–7 Scriptum … gignitur] Ph. 2.1 224b8 13–14 Peripateticus … gigni] Ph. 5.1 225a16 17–19 Adde … est] GC 1.3 317a32; *cf.* Ph. 8.1 250b20 23–24 In … quod] Cael. 1.8 277a19

potestate. Non enim generationis est terminus, antequam pergens generatio compleatur. At essentia semper, ut saepe diximus est. Quare quomodo possit generationem vel sequi vel finire, non video. Denique si partus ille non corporis alicuius, sed, ut Cratylo apud Platonem placet, intelligentiae proles est. Atqui intelligentiam scientiamque generatione carere Physica auscultatio docet. Quam ob rem nec generationis finis est ullus, si nulla scientiae generatio est. Lineam praetergressi sumus instituti nostri, quippe qui opus hoc agressi eo consilio sumus, ut quam brevissime fieri posset, divinam disciplinam bonae philosophiae conciliaremus, doceremusque idcirco hanc ab Aegyptiis Etruscisque inventam, repetitam a Pythagora, a Platone confirmatam, atque absolutam fuisse, ut illi veluti augustissimae reginae obsequeretur. Argumento, quod utraque inventrix regio studiosissima fuerit religionis atque pietatis utrique populi homines principes habuere, qui omne studium, curam, diligentiam in veri vestigatione collocarent, aetatemque omnem tererent, ut notitiam assequerentur et posteris traderent rerum et humanarum et divinarum; unde ortum est Scientiae ac Sapientiae nomen. Altera naturae, altera auctoris Dei indagatrix fuit, quos illi Osiridem et Isidem, quasi solem et lunam, rerum causas, ii Ianum et Volturnum, Vertumnum atque Cybelem vocaverunt, statueruntque illum marem, hanc feminam, ut causam sub causa, fluvium sub fonte, plebem sub summo principe collocarent. Ex quo factum est, ut Plato in Phaedone, in Legibus, in Timaeo, eos audiendos non esse duxerit, qui Deo quodammodo neglecto, omnia plane referant ad naturam. Quam quidem sententiam non potest ipse non magnopere admirari, quod eo usque impiorum quorundam temeritas processerit, ut Deo Optimo Maximo naturam prope anteposuerint, quod nemo umquam fecit, nisi quod peccandi licentiam tueri voluerunt, atque ut humana divinaque iura impune miscere cuivis liceret, principem rerum memorem fandi atque nefandi, (ut Maro inquit) de medio tollendum ac capite

---

2 saepe *om. N2* 2–3 quomodo *sl. N1* 4 ut] in *V* 19 ii] *om. ac. H* | Ianum] Ian. *abbr. H* 23 plane] omnia *add. A* | referunt *A*

3 Ratio 6 *N1 N2 V A* 3–5 si … est] Crat. *N1 V A* 5–6 intelligentiam … docet] 7 Phy. 20 *N1 N2 V A* 16–17 unde … nomen] *signum Christi* (*XP*) *apposuit in marg. N2* 22 ut … Phaedone] Phd. 59, 61, 62 *MSS* | Legibus] 10 Leg. 7; 12 Leg. 33, 34 *MSS* | Timaeo] Tim. 3 *MSS* 28–29 principem … inquit] Virg. *N1 V A H*

3–5 si … est] Cra. 406d 5–6 intelligentiam … docet] Ph. 7.3 245b3 21–22 Ex … Phaedone] Phd. 98c 22 in Legibus] Lg. 10 889b 22–24 in … naturam] Ti. 50b 28–29 memorem … inquit] Aen. 1.543

damnandum constituerunt. Desipientis enim hominis est (sicut in Psalmo canitur) dicere non est Deus. Dicunt autem hoc omnes corde animoque, si non oratione, non lingua, qui faciunt Deum res humanas in universum curantem, singula veluti se indigna negligentem, naturaeque procuratrici relinquentem. Hunc errorem, hanc pestem non amputandam sed stirpitus etiam evellendam esse iudicavimus. Atque ideo scribere uti potuimus agressi sumus, rati homines secus persuasos non acie, non copiis argumentorum, quibus facile resistitur, oppugnandos esse, sed summa principis philosophi auctoritate totiusque Academiae testimoniis expugnandos; eoque res adducatur, ut aut veritatem recipiant, aut, si senex psittacus non condiscat, dictitare desinant sacris disciplinis philosophiam esse contrariam; ac denique intelligant, a nobis non discrepare Aristotelis mentem, etsi verba dissentiant, ut gravissimi auctores testati sunt, aut, si id minus placet, quoniam ut Euripides atque Aristophanes οὐδὲν ὑγιές, hoc est, nihil sanum, praeponere nos patiantur Deum naturae, verum falso, pietatem impietati, discipulo praeceptorem. Hoc etsi consilium nobis est, ut, cavillis argumentorum posthabitis, publicae rei in vero explicando simpliciter candideque prospiciamus, in huius tamen loci calce praetereundum non esse visum est, quin rem paulo altius repeteremus, ut, quatenus nostra et institutio et imbecillitas fert, omnem calumniae aditum praecluderemus. Accipimus itaque Boni Deique Filium esse Deum. Testis est Vetus Lex apud Isaiam, qui Emanuelem vocat atque nobiscum Deum. Testis est in novo oraculo ipse Deus, qui se ac Patrem unum esse testatur. Testis est in libro de Republica Plato, qui Filium fatetur Patri esse simillimum. Hic nisi et ipse Deus esset, simillimus Patri esse non posset. Hoc itaque velut ab Academiae philosophia demonstratum, atque ab antiquo novoque oraculo confirmatum accipientes, Aristotelem Averroemque in partem laboris vocemus, ut vel ipsis

---

4 velut *H* 6–10 Atque … expugnandos] *asteriscum huius sententiae notandae causa in marg. apposuit N2* 7 non] *verbum sequens lnp. N1* 9 totiusque] totius *V H* 11 aut] *iter. H* 14 minus] tempus *A* 17–18 posthabitis] obhabitis *A* 18 publice *N1 V* | prospiciemus *N1 V A H*

1–2 Desipientis … Deus] Ps. *N1* 22–23 Isaiam … Deum] Isaii. *N1 V A* 24–25 Republica … simillimum] 6 Reip. *N1 N2 V A* 26 Ratio 1 *MSS* 26–27 Hoc … demonstratum] 2 Phys. 14 *MSS* 28 Aristotelem] 4 Phys. 48 *MSS* | Averroemque] 1 De cae. 8, 26, 36 *MSS*

1–2 Desipientis … Deus] Ps. 53.1 14–15 ut … sanum] Cyc. 259, Ecc. 325 22–23 Testis … Deum] Isa. 7.14 24–25 Testis … simillimum] R. 6 508b 26–27 Hoc … demonstratum] Ph. 2.7 198a14 28 Aristotelem] Comm. de Cael. 1.8 277a17 | Averroemque] GC 1.4 320a32

iudicibus sententiam tueamur. Statuunt hi philosophi in Physicis naturae actiones de finibus terminisque speciem nomenque sortiri, ut quamquam eadem sit ad verticem et ad radicem montis via, nunc tamen ascensus, nunc descensus vocatur. Ut enim fines discrepant, ita et quae finium gratia instituta sunt. Fines autem actionum tot esse possunt, ut iidem volunt, quot res sunt, quae naturae actionibus comparantur. Actiones etiam totidem: sunt autem quattuor, sicut in libro De generatione demonstratur, ad substantiam, ad quantum, ad quale, ad locum. Si divina haec actio, quam generationem vocamus, non ad quantum, non ad quale, non ad locum tendit, ad substantiam itaque velut ad terminum tendit. Nulla illic substantia praeter essentiam. Generationis itaque terminus essentia est. Deinde generatio duplex ponitur: alia enim simpliciter et substantiae, alia eorum quae accidunt, non simpliciter, sed quaedam generatio dicitur. Atqui divinam (nisi desipiamus) non eorum quae accidant generationem putabimus, absolutissimae siquidem naturae accidere potest nihil. Quare non nisi substantia finis erit. Forma etiam, quae in generatione comparatur, terminus generationis haberi solet, ut in Physicis, et in libro De caelo disputatum est. At si quid formae locum obtinet in divinis, Essentia est, quae, ut diximus, et in Parente et Prole reperitur, de quibus haud secus atque forma praedicatur. Eadem itaque terminus nominanda erit. Praeterea, actio omnis non modo ad finem pergit, sed etiam est idem cum fine. Quod si actio omnis divina eadem cum essentia est, finis quoque essentia dici vult. Ad haec actio omnis in termino quiescit, ut legimus in Physico auditu, ut pluvia, grando, et labentia flumina numquam in medio itinere sistunt, nisi quicquam obstiterit, donec imas attigerint sedes, ubi expleto lapsu conquiescunt. At nulla res Deo inest a substantia aliena. In substantia itaque opus est generatio quiescat atque terminetur, nisi vana ea futura actio sit nihilque habeat, cuius gratia instituta sit. Rursus actio quae fine caret, manca ex libro de Caelo habenda est et imperfecta, ut

---

12 simpliciter] sed quaedam generatio dicitur (13) *hoc loco inser. ac. H* 14 atque *V H* | desipiamus *N1* 15 absolutissime *N1 V H* 25 sedes] sed es *ac. A*

5–6 Fines … comparantur] 3 Phys. 5 *N1 V A H*; 8 Phys. 5 *N2* 12 Ratio 2 *MSS* 12–13 generatio … dicitur] 1 Phys. 62 *MSS* 15 absolutissimae … nihil] 8 Phys. 46 *MSS* 16 Ratio 3 *MSS* 16–17 Forma … Physicis] 4 Phys. 14, 15 *N1 N2 V A* 17 De caelo] 4 Cae. 22 *N1 N2 V A* 20–21 Ratio 4 *MSS* 21–22 actio … fine] 5 Phys. 31, 32 *MSS* 23 Ratio 5 *MSS* 23–24 actio … auditu] 6 Phys.12; 8 Phys. 76 *N1 V A*; 8 Phys. 25 *N2* 28 Ratio 6 *MSS* 29–262.1 manca … arbusta] 1 De cael. 12 *N1 N2 V A*

23–24 actio … auditu] Ph. 8.6 258b10 28–29 actio … imperfecta] Cael. 1.2 269a22

steriles vel agri vel arbusta. Nisi enim poma frugesque pariant, Ἀδώνιδος κῆποι, id est, "Adonidis horti," nuncupari solent; hoc est inanes atque infructuosi, ut Plutarchus, et Platonicus Phaedrus interpretantur. Atqui inanem Dei maximi actionem facere absurdissimum est. Aliquid igitur adipiscitur. Cum vero coagmentatio nulla in Deo sit, est enim, ut semper dicimus, simplicissimus, non igitur, nisi essentia, forma finisque esse potest divinae illius magnificentissimaeque actionis. Habet etiam actio omnis terminum, quaecumque ea sit, quod eodem libro meminit Aristoteles nullaque prorsus in natura reperietur, quae τὸ πέρας non habeat. Quin et in Physica auscultatione ne formicas quidem vias frequentare, neque araneas molles telas texere, nisi finis gratia alicuius: Quod nisi formicis araneisque vaniorem putemus Deum, fine agendo carere nullo pacto potest, quem cum in omnibus actionibus praestantissimum spectet necesse est, tum in eis praecipue, quas in se ipso exercet necessarias atque sempiternas; generationis vero nullus finis, nisi substantia est, nec alia est in Deo substantia, quam essentia. Essentia igitur est, in quam velut in terminum spectat tenditque divina generatio. Virtus praeterea potestasque omnis ex fine terminoque diiudicanda est, ut idem censet auctor. Nisi itaque alicuius actionis divinae infinitus immensusque sit terminus, ansa impietati daretur, ut divinam vim immensam atque infinitam esse pernegaret. Cum vero nihil infinitum ex se sit, nisi divina illa essentia, quae sola mensura vacat, ut Parmenidi placet, illa igitur est, quae in genitoris Dei genitura esse terminus potest. Ad haec praestantior semper est terminus iis, quae complentur terminanturque. Est enim in actionibus tamquam in regno rex, atque in cursu meta, et in iis, qui sagittis certant, uti scopos. Atqui generatio via est ad finem, est etiam haud aliud ab essentia. Quare finis qui praestantior esse solet, aliud ab essentia non erit, qua divinus nihil esse potest. Si enim actio omnis finis formaeque gratia sumitur, sicut servi dominorum, ac possessa omnia sunt gratia possiden-

---

7 magnificentissimae *V H* 23 Dei] *om. V H* | haec] quae *add. ac. A* 24 enim *om. A* 25 in *sl. V* | sagittis] sagyptis *N1 H*; sagiptis *V A* 26 uti ut *H* 29 gratia] gra *V A*; genera *H*

2–3 hoc … Plutarchus] Plut. De Ser[a] Nu[mmis] Vi[ndicta] *N1 N2 V H*: Plu. D Se. Nu. 6 *A* 3 Phaedrus] Phd. 47 *N1 N2 V A* 7 Ratio 7 *MSS* 7–9 Habet … habeat] 1 Cael. 65 *MSS* 10–11 Physica … alicuius] 2 Phys. *MSS* 17 Ratio 8 *MSS* 18 ut … auctor] 1 Cae. 116 *MSS* 21–22 Cum … placet] Parm. *N1 V A* 23 Ratio 9 *H* 23–24 praestantior … terminanturque] 1 Cae. 73, 74 *N1 N2 A*; 1 Cae. 74, 75 *V H*

2–3 inanes … Plutarchus] de Sera num. vin. 17 3 et Platonicus Phaedrus] Phdr. 276b 7–9 Habet … habeat] Cael. 1.2 269a21 10–11 Quin … alicuius] Ph. 2.8 199a27 21–22 Cum … placet] Prm. 140c

tium; fieri non potest, quin generationis finis aut praestantior sit, si quid tamen praestantius esse posset, aut certe non generatione deterior. Quam ob rem ut essentia terminum statuamus, suadet tam ratio quam necessitas, cum qua velut ait Plato, ne Deus quidem pugnat. Nonne agunt omnia, quidquid agunt, cum boni, tum perfecti absolutique gratia, sicut in Gorgia legere est? Idcirco enim ad quicquam agendum stimulantur omnia, ut aliquid assequantur perfecti ac melioris notae. Idcirco inchoatae imperfectaeque rei agitatio motus dictus est, quoniam via est, qua res ad id nanciscendum vehitur, quod non obtinet. Cum vero actio omnis duorum claustro terminorum occludatur, is a quo egreditur, imperfectus, is ad quem proficiscitur, perfectus Peripatetico habetur. Ex quo omnis aliarum rerum velut e fonte perfectio permanat. Boni autem fons omnis in divinis essentia est; quare ut eadem etiam terminus statuatur necesse est. Adde quod homo hominem gignit, ut placet Peripateticis; quare et Deus Deum. Essentia itaque divina aut gignitur, aut generationis est terminus; gigni id quidem non potest, quod omnis generationis rerumque aliarum omnium causa atque origo est. Ex quo fit, finis terminusque esse et possit et debeat. Causae quoque humanae non ex se causae sunt, quippe quae a caeli imperio pendent universae, teste Platone, Aristotele, Averroe. Quamquam ita res se habet, gignunt tamen aut naturam, aut aliquid in quo collocent naturam. Gignit siquidem equus pullum, in quo equi species ac natura ex ea generatione esse incipit. Ac Deus, qui non alia de causa, neque alio de principio pendet, secumque absolutus habet quidquid humana causa caelesti iuncta habet, quinam fieri potest, cum generat, ut essentiam non communicet proli quam generat? Communicandi autem ratio inveniri nulla potest, nisi generationis sit terminus. Quapropter si quis huic rationi non cedere, sed diversum aliquid comminisci cogitabit, caelo (ut aiunt) stellas addere cogitabit. Parens praeterea, atque id

---

8 quoniam … res] quoniam quia res *A* 22 Ac] At *A H* 24 habet *om.*H | quinam] qui nam *N2 A*; qui na *N1 V*; qui natura *H*. 24–25 generat] gignat *A* 26 ratio … nulla] ratio nulla modo inveniri *H*

3–4 suadet … pugnat] 7 Leg. 32 *MSS* 4 Ratio *N1 N2 V A* 4–6 Nonne … est] Gor. 24 *MSS* 7–8 inchoatae … est] 3 Phys. *N1 N2 V A* 9–11 Cum … habetur] 11 Peripatetico] 4 Cae. 22 *MSS* 14 Ratio 11 *MSS* | Adde … Peripateticis] 2 Phys. *MSS* 15 Essentia … terminus] 8 Phys. 46 *MSS* 18 Ratio 12 *MSS* 18–19 Causae … Platone] Tim 111 *MSS* 19 Aristotele] 12 Met. *MSS* 19–20 Averroe] 8 Phys. 46 *MSS* 28 Ratio 13 *N1 N2 V A*; 12 *H*

9–11 Cum … habetur] Cael. 4.3 311a3 14 Adde … Peripateticis] Ph. 2.1 193b13 18–19 Causae … Platone] Ti. 28a 19 Aristotele] Metaph. 12.8 1073a 19–20 Averroe] Comm. de Ph. 8

quod gignit, rem genitam perficit completque, Averroe teste. Quidquid enim ova, quidquid ex ovis orti pulli accipiunt, quod ad naturam pertineat, nonnisi de parentum actione suscipiunt. Non habet Parens divinus quod Proli det grandius vel perfectius, quam essentiam. Haec non nisi gignendo Proli tribuitur; quod si gignendo tribuitur, consentaneum erit, ut in ea generatione sit terminus, ad quam velut ad optimum Filio communicandum generationis vis inhiat. Genitum vero omne in finem, hoc est in principium tendere Averroes praedicat, veluti ad perfectum, quod omnia natura et cupiunt et persequuntur. Atqui actionis omnis divinae essentia initium est. Quare ad essentiam tendit generatio; id vero quo tendunt omnia, finis terminusque nominatur, ut columba de malo navis suspensa, quam Homerus in Ithaca, Maro in Sicilia, in arcuum ac sagiptarum ludo proposuerunt, ut summum humanae vitae bonum, quo natura omnis cura, cogitatio, actio, spectare ac niti debet. Id itaque quo tendit generatio, essentia est; terminus igitur generationis essentia est. Nonne, Aristotele teste, gignenti ac genito communem esse oportet materiam ac subiectum? Semen enim prius parenti coniunctum est, postea in prolem convertitur. Quare materia quaedam subest, quae prius in parente prolem potentia continet, eadem postea prolis formam induit, est et initio potentia tale, quale actu id, unde manaverit, ut Aristoteles docet. Quare si materia eadem utramque gestat speciem, et gignentis quodammodo, cui iuncta est, ac deinde geniti, in quod denique migrat, necesse est materiam esse utriusque communem. Ubi materia nulla est, si proles gignitur, substantia saltem communis sit oportet Parentis et Prolis, quare etiam in prole essentia erit. At id quidem nonnisi ex generatione; terminus itaque generationis essentia, cum ratio alia non appareat, qua proli communicetur. Porro Empedocles amicitiam litemque introduxit, e quis generatio omnis fieret. Illam chaos continuisse, hanc contra et mundum generasse et rerum ordinem distinxisse. Et quamquam a divina tranquillitate

---

2–3 pertinet *A* 7 omnem *A* 9 natura … cupiunt] et natura concupiunt *V H* | actionis] actio^{nis} *V* 11 navis] pacis *H* 16 gignenti … genito *om. V H* 19–20 eadem … potentia *om. V H* 19 induit] instituit *corr. in marg. A* 21 eadem materia *tr. A* 27 quis] equis *N1 A. H* 28–29 generasse] genuisse *A*

1 Averroe teste] 8 Phys. 46 *MSS* 7 Ratio 14 *N1 N2 V A*; 13 *H* 7–8 Genitum … praedicat] 8 Phi. 49 *MSS* 12 Maro] Virg. *N1 V A* 15 Ratio 15 *N1 N2 V A*; 14 *pc. H* 16–17 Aristotele … subiectum] 4 Cae. 37; 1 De gen. 22 *MSS* 19–20 est … docet] 2 De gen. 1 *MSS* 27 Ratio 16 *MSS* 27–28 Empedocles … fieret] 1 De gen. 2 *MSS*

15–17 Nonne … subiectum] GC 2.6 333b36 19–20 est … docet] GC 2.1 329a29ch 27–28 Porro … fieret] GC 1.1 315a8

lis omnis procul abest, adest tamen quaedam et litis et amicitiae ratio, cum quaedam eadem, quaedam distincta esse confiteamur. Inest namque Proli, unde a Parente distincta sit; inest rursus, (ut saepe demonstravimus) quo idem sit Parenti. Quo distinguitur, est ad aliquid, quo iungitur idemque est, est aliquid et essentia, qua Filius non potitur, nisi quatenus terminus est generationis. Quapropter terminus dicatur essentia necesse est, ne beata essentiae amicitia in Deo desideretur, quae tanto humanorum patrum affectibus divinior est, quanto homine Deus, ac tota divina essentia excrementi nostri parte praestantior habenda est. Ex parentum siquidem excremento semen constare Aristoteles putat, ubi monitos nos esse oportet, cum nihil sit hominibus carius, nihil dulcius, nihil suavius bonis filiis, licet de patrum excremento propagati sint, quam felix, quamque beata sit ea Filii divini generatio, qui ex universa constat Parentis essentia, ne cogitari quidem mortalibus posse. Illud non omiserim, ex generationis aliarumque mutationum discrimine, quod in libro qui De generatione inscribitur, disputatum est, in aliis quidem partem in partem transire, ut quale in quale, aut quantum in quantum, stante tamen substantia semper formaque substantiae. At generatio ea est, quae omnia occupat, omnia corripit, totumque in totum ducit. At Deus qui in hac generatione nullius alterius causae est indigus, sed sibi sufficiens omnium vim obtinet principiorum, quae generationi desiderantur. Est plane et id a quo, et id ex quo Filius ortum ducit; id a quo veluti a gignente principio, id ex quo veluti substantia, ex qua constat Filius. Licet enim materia nulla sit, sine substantia tamen agi res non potest; cum vero nec ut materia, nec ut genita res essentia in Filio sit, ut generationis terminus ponatur necesse est. Simpliciter etiam generatio ab Aristotele dicta est, qua praestantius aliquid efficitur, velut ex aqua aer, ex aere ignis. Absolutissima itaque generatio divina ut sit, ad praestantissimum aliquid accedat opus est, quare non potest essentiam saltem veluti terminum non accidere. Augendi quoque generandique ratio longe diversa est. Nam etsi utraque

4 idem] id *H* 6 est terminus *tr. H* 7 essentiae amicitia] essentiae amicitiae *N1 A*; essentia amicitiae *N2*; et sententiae amicitia *H* 10 semen *om. V H* 11 oportet *om. H* 13 divini filii *tr. H* 14 ne] nec *A* 17 in quantum quantum *tr. N1 N2 A* 21 Est] estque *H* 22–23 principium *A* 25 generationi *N2* 26–27 praestantior *A* 27 aqua] qua *H*

9–10 Ex … putat] 2 De gen. 3 *N1 N2 V H* 14 Ratio 17 *MSS* 15–18 quod … substantiae] 1 De gen. 10 23 *MSS* 26 Ratio 18 *MSS* 26–27 generatio … ignis] 1 De gen. 18, 23 *MSS* 30 Ratio 19 *MSS* | Augendi … est] 1 De gen. 25 *MSS*

9–10 Ex … putat] GA 2.4 737b 14–18 ex … substantiae] GC 1.1 314b4 26–27 Simpliciter … ignis] GC 1.3 318b22

substantiam faciat, illa tamen partem, haec universam parit. Proles itaque, quam divina genitura edidit, divinam quidem substantiam eandem universam complectitur, non quidem ut id quod genitum sit; igitur ut id quod in generatione sit terminus. Procedit profecto ratio in re, qua de nunc agitur, ubi nulla materia torpet, nihil est quod substantiae accidat, nihil quod fidem huic confirmationi (nisi cavillis detur locus) abrogare possit. Denique quaecumque aliquid agunt, similia sibi reddunt, quidquid agunt, ut ignes quae corripiunt in ignem convertunt. Avis etiam avem procreat, et bos bovem. Sed quamquam similia, simillima profecto non gignunt. Bos enim iam vetus et adulta non veterem neque adultam parit bovem, sed buculam et novam et parvulam. At Bonum id maximum, ut est apud Platonem, Filium non modo similem, verum etiam simillimum genuit, utpote non minorem, non iuniorem, non posteriorem tempore, non ulla plane virtute inferiorem; quare paterna praeditus essentia esse debet. At, ut saepissime diximus, nulla alia patet via, qua illam sit assequutus, nisi ut sui ortus terminum; quas ob res qui diximus essentiam non gigni, eandem generationis terminum constituimus. Qua ratione fit, ut illae omnes orationes verae sint. Lumen de Lumine, de Deo Deus, atque aliae, quae harum similes occurrere possint unquam, quibus quidem significatum est, ut essentiam divinam divinae inesse proli, et eandem ut generationis terminum traditam fuisse. At vero id cognitu hoc loco dignum est, generationem pluribus nominibus appellari consuevisse. Nonnumquam etenim motus aut mutatio, quandoque actio, interdum quaedam, ut ita dicam, assimilatio nuncupata est. Cum mutatio dicitur, tunc terminos habet esse ac non esse, privationem atque habitum; atque idcirco in Physicis ita finiebatur. Generatio est mutatio ex non esse in esse, ubi, cum motus actus sit eius quod potestate esse dicitur qua potestate est, ideo terminus prior est non esse actu, sed potestate tantum, atque id quod potestate tantum fuerat, generationis mutatione fit actu. At vero cum generatio actio dicitur, media est inter gignens ac genitum, ab altero enim manans procurrit in alterum. Quare termini generationis huiusmodi sunt gignens ac genitum, id, unde incipit, hoc, in quod

1 facit *N1 N2 A* | illam *A* | haec] *iter. H* 11 bovem] bovem *eras.* (*pc.* bovem) *A* 17 constituimus terminum *tr. A* 23–24 actio … quaedam *om. A* 27 quod] q. *abbr. V*; que *H* 31 terminus *A*

7 Ratio *N1 N2 V A* 11–12 Bonum … Platonem] 6 Reip. 38 *MSS* 24–26 Cum … finiebatur] 5 Phys. *N1 N2 V A*

11–12 At … Platonem] R. 6 508b 24–26 Cum … finiebatur] Ph. 5.1 224b9

desinit motus. Quod si qua similitudinis pariendae via accipiatur, generationis similitudo non quaevis, sed ipsius formae est atque naturae. Ideo generationis initium est forma atque natura gignentis, finis autem ac terminus est forma ac natura orientis rei. Maximum quippe similitudinis genus est expressio imitatioque naturae, cum prolis forma parentis et formam ac naturam imitatur. Quam ob rem in Physicis via in naturam generatio nominata est, quod argumento esse nobis potest, generationis terminum hoc pacto nihil esse aliud, quam naturam. Si itaque haec ad divina referamus, cum mutationis res divina sit expers, esse ac non esse termini non erunt. Divina enim omnia semper sunt, neque vicissitudo ulla in Deum cadit. Quod si uti actio quaedam generatio sumitur, termini erunt gignens et is qui gignitur. Nam quatenus concipit imbecillitas mentis humanae, generatio inter Parentem ac Prolem media est. At si generatio ut assimilatio naturae gignentis in genito capiatur, termini statuendi sunt hinc gignentis natura, hinc geniti. Divina enim natura quatenus in Parente est, cuius virtute generatio fit, alter generationis fingendus est cardo, quem terminum vocamus, eadem quatenus in Prole est beneficio generationis expressa, terminus alter appellari solet, non quidem quod posterior a priore res alia sit, sed plane eadem, nisi quatenus ratione intelligentiaque seiungimus, quod alia in Patre, alia in Filio se habeat ratione. Neque id quidem dictu absurdum fuerit. Nam et apud Aristotelem in Elenchis idem coruscus alius in foro, alius in theatro vocitatus est. Refellenda iam sunt quae ab adversariis obiiciebantur. Quod forma potestate tantum est, dum generatio fit, iam non parum multa dixisse superius crediderim, quibus et haec et aliae rationes conficiuntur. Non enim generatio divina mutatio est, ut diximus, sed modo quodam actio atque naturae assimilatio, ubi nullus omnino est vel privationi vel potestati locus. Quare satis omnia confutata fore arbitror, si dixerim, in ambiguo laborare nos. Generationem siquidem, quae mutatio dicitur, nos in divinis non ponimus. Adversarius ita nos calumniatur, quasi mutationem esse voluerimus. Docta quippe calumnia, sed, ut Luciani verbis utar, "οὐδὲν πρὸς ἔπος," nihil ad carmen. Ita quod gignitur, non est cum gignitur, ubi motus ac tempus alteratio interveniunt. Quas quidem

1 pariendi *A* 4 natura] naturaque *ac. A* 6 ac] et *A* 7 nobis esse *tr. H* 13 ac] et *V H* 16 alter] alterum *ac. H* 22 coriscus *MSS* 32 quod ita *tr. ac. H*

6–7 Physicis … est] 2 Phys. *MSS* 23 Solutio 1 *MSS* 32 Solutio 2 *MSS*

6–7 Quam … est] Ph. 2.1 192b22 31–32 ut … carmen] Hrm. 36.1

sordes quisquis Deo tribueret, naturam divinitatis everteret, ut enim nihil in humanis est firmum, nihil in divinis infirmum est. Sed neque factam esse naturam divinam volumus, ut Cavillus volebat; ac si in Filio est quae in Parente fuerat, modo tamen sese habet alio atque illud est, quod generatione comparatur, non ut alia gignatur essentia, quae non fuerat, sed ut ea ratione in Prole sit, qua in Parente non erit. Pater namque a nullo alio habuit, Filius a Parente suscepit. Quae vero de interitu inculcantur, miror, cum de eo loquimur, qui vita cum dicatur, omnia, quae complectitur, viventia efficit. De morte quicquam loqui non pudeat, quae ei tantum generationi necessaria est, quae in mutatione materiaque constitit. Neque specie differre oportet terminos, nisi cum ex obitu vita fit, atque ex altero occidente alterum nascitur. Id enim quod occidit, atque id quod inde exoritur, specie discrepantia sunt. Sed ubi nihil nisi genitor prolesque requiritur, atque omnis gignendi ratio ac vis penes gignentem est, non modo specie non differre parens ac proles possunt, sed specie differre non possunt. Id sufficit, quemadmodum diximus, ut natura in Filio alio sese modo, quam in Parente habeat. Manat namque in Filium ex Parente, in Parentem ex alio manasse non potest. Denique aliud est esse generationem ex scientia, quod dicimus, aliud ad scientiam, quod non dicimus, quodque animorum scientia accidit animis corpora inhabitantibus. Cumque spiritalis quaedam forma sit, adventitia, tamen nobis atque peregrina, utpote qua carere possumus. Quotus enim quisque reperitur, qui circulum adeptus sit disciplinarum; idcirco generationem non admittit. At divina intelligentia tantum abest, ut peregrina habeatur, ut aliud a natura non sit. Quod si divinae mentis actio idem cum natura est, generatio autem ad naturam pertinet, cum sit, ut docuimus, assimilatio gignentis naturae in eo quod gignitur, ideo scientiae humanae generatio tollitur, quae divinae tribuitur. Quam ob rem in suum ipsa mucronem, ut dicitur, incurret oratio. Nam generationem a scientia depellere cum vellet, scientiae generationem ascivit. Citavit enim Platonem, qui Iovem in Cratylo magnae intelligentiae prolem facit. Atqui proles sine parente

---

1–2 in humanis nihil *tr. V H* 2 firmum *A* 5 generatio^{ne} *H* 7 alio *om. N2* 7–8 inculcamur *H* 8 eo] Deo *A* | loquamur *H* 9 non *sl. H* 15 possunt] sunt *V H* 20–21 in^{h}abitantibus *A* 24 At] ad *N1 V A H* 28 mucronem] Maronem *corr. in marg. N1* 31 magni *A* | atque *H*

2 Solutio 3 *N1 N2 V H* 7 Solutio 4 *MSS* 11 Solutio 4 *MSS* 16 Solutio 4 *eras. A* 18 Solutio 6 *N1 N2 V A* 30–31 Platonem … facit] Crat. *N1 V A*

30–31 Citavit … facit] Cra. 406d

nulla est, nec parens prolesve ulla ubi generatio omnis sublata est. Quare in hoc conflictu non Achillis ensis in Hectora, sed mucro Aiacis in auctorem conversus est. Atque haec causa est, quod Minerva, quae intelligentiam, Platone teste, significat, licet ad humanam quoque trahi possit, quoniam tamen filia dicitur, quae nonnisi generationis munere gignitur, idcirco non apte nisi de divina sobole dici potest. In mentis enim illius intelligentia et generationem invenimus et prolem. Quarum quidem utramque humana respuit. Differt autem ratio ac verbum divinae intelligentiae a nostro tribus praecipue discriminibus. Nam ea Sapientia vera generatione genita, ac proinde prolis et filii nomen non usurpat, sed propria sibi vendicat ratione. Scriptum est enim, "ab initio et ante saecula creata sum" (interpres "creata" pro "genita," ut saepe fit, reposuit. Ita Maro "creatricem" Venerem pro "genetrice" vocat.) Vere itaque generatio in divina intelligentia est. In nostra neque generationis actionem, neque filii nomen sustinere potest. Praeterea si et generaretur et filii nomen susciperet intelligentia humana, non tamen gregem habet idearum, quibus uti res contemplando intelligeret, ita etiam efficiendo generaret. Gregem namque formarum divinum complectitur Verbum, quibus non modo novit, sed gignit facitque omnia. Denique etiamsi ita quispiam mortalium fortunatus esset, ut virgula (ut aiunt) divina eadem adeptus esset vim, ut quicquid nosset, procreare etiam posset, non tamen idcirco una e tribus personis dicenda esset. Divinam enim naturam non haberet, quam tribus illis dumtaxat communem esse disputatum est. Haec itaque discrimina tria sunt, quae inter divinum humanumque verbum inveniuntur; quae quidem ab Homero uno versiculo significata sunt, quod filia, quod gregem agens formarum omnium, quod una e tribus sit. Versiculus is in Odyssea est ἀλλὰ Διὸς θυγάτηρ, ἀγελείη Τριτογένεια, ubi Dei filia gregatrix (ut ita dicam) tritogenia Minerva nuncupatur, quippe quae haec tria sortita est, quae humana mens, non modo non obtinet, sed ne suspicari quidem potest.

---

8 Differt] differre *N1 V H* 9 tribus] quibus *A* 12 pro genita] progenita *A* 13 genetrice] creatrice *corr. in marg. A* 16 tamen] tantum *H* 27 … θυγάτηρ] *in marg. V* | ἀγελείη Τριτογένεια *add. N2* 29 sed] verum *N2 A H*

2–3 in … est] Crat. *N1 V A* 13 Ita … vocat] Virg. *N1 V A*

13 Ita … vocat] Aen. 8.534 26–28 Versiculus … nuncupatur] Od. 13.158

DISTINCTIO VI

78. *Deus Filium gignit voluntate, modo quodam, alio non*

Nunc theogoniae huius, quam hactenus in divinis esse demonstravimus, principium atque gignendi ratio vestiganda est. Si enim silvae, in qua claudimur, mores intueamur, duo genera initiorum occurrunt, e quibus veluti ex se causis oriuntur omnia. Agunt sane omnia, quae ex se causae rerum sunt, aut natura aut cognitione, ut et Plato in Menone et in Metaphysicis Aristoteles. Natura quippe caeli actio est, quae luminis ardore ac conversionum varietate agitat omnia. Quattuor etiam corporum, atque eorum omnium, quae ex eis constant, ortus, occasus, alterationes, motus atque alia generis eiusdem, ad naturam tamquam ad auctorem referuntur. Cognitione vero fiunt opera omnia artium, electionum, appetitionum. Necessitas praeterea superiorem causam comitari solet, posteriorem non solet, nam necessitatem secum ducit. Gaudet cognitio libertate. Videndum itaque voluntate ne, an natura; rursus necessario, an non necessario gignat Deus. Voluntate quidem id agi, ex eo persuaderi possumus, quod si nobis ipsis constamus, (nihil enim inconstante disputatore ineptius) voluntas cognitionem sectatur. Cognoscit plane Deus quaecumque agit, quippe qui absque intelligentia agit nihil; quare sequitur, ut voluntate agat quicquid agit. Atqui gignit, uti ostendimus, Filium. Sequitur ut eundem voluntate gignat. Cum praeterea, Timaeo teste, sit bonus, bona omnia velit perspicuum est, Filii vero generatio optima cum sit, non modo ea esse videbitur, quam Deus velit, sed quam vehementissime velit. Ex quo fit, ut voluntate prolem genuisse videatur. Verum sacrarum rerum vestigatores, atque eorum princeps Augustinus meus, non voluntate, non necessitate, sed natura gigni divinam prolem volunt. Adde quod

---

2 gignit] gnat *abbr. N1 V A*; generat *N2* 11 eiusdem generis *tr. H* 18–19 quaecumque] quidquid *N2* 20 atque *V H* 22 est *om. H* 24 genuisse] progenuisse *N1 A*

6–7 Agunt … Menone] Men. 61.22 *MSS* 7–8 in Metaphysicis Aristoteles] Met. 9 *MSS* 15 Ratio 1 *MSS* 21 Ratio 2 *MSS* | Cum … bonus] Tim. *N1 V A* 24 Verum] Contra *N1 V*

6–7 sane … Menone] Men. 70a, 100a 7–8 et … Aristoteles] Metaph. 9.8 1050a19 21–22 Cum … est] Ti. 30a

procreatio prolis est, qua gignitur, similitudo naturae. Quo igitur modo voluntate fit, cuius quidem ratio longe a naturae ratione disiuncta est? Sane id, quod est, a Platone in Republica in causam secatur, atque in id quod fit. Causa deinde in eam, quae ex se, atque in eam, quae non ex se, causa est, ut natura, ut casus. Causa etiam ex se alia utrumque agere, alia alterum tantum ex oppositis potest. Haec autem ex Menone atque ex libris Legum colliguntur. Primo quidem differentia artis ac naturae videnda est. Artis nomine causam intelligo, sive mentem, sive voluntatem, quae ad aliquid efficiendum cognitione proficiscitur. Phidias nempe Venerem e marmore effincturus, mille animo formas versat, quibus illam effingere potest. Potest enim nudam, potest amictu opertam, stantem, sedentem, pubetenus e mari apparentem, aut totam se Marti vel Paridi ostentantem. Ars itaque et mens innumerabiles ferme formas conspicit in seipsa, quarum postea hanc vel illam voluntas eligit persequendam. At natura velut unam tantum obtinet formam, ita unum potest dumtaxat efficere; cumque ea, quae agunt, qua actu existunt agunt, sicut in Physicis constat, unus est tantum actus naturae, una quoque eius actio esse potest, ut ignes actu formaque supremi elementi praediti sunt, quare in agitatione ascendere, non descendere, in alteratione, excalefacere, non efficere algorem etiam possunt. Eadem itaque Protogenis ars et nivosos Ripheos et flagrantem Aetnam pinget, natura eadem ignes nivesque non gignet. Gignit enim natura sibi simile, ars non simile sibi opus facit. Omnigenas enim formas susciperet ebur, ut opifex in se servat. Natura praeterea tale aliquid gignit qualis ipsa est, artifex non qualis ipse est, sed quale ipse vult, effingit opus. Potest cypressum Apelles pingere, potest idem et Laurum. Natura tamen baccarum laurum procreat cypressum non procreat. Quare natura semper in unum fertur; contra in multa ars atque voluntas. Eorum itaque voluntas est causa, quae alia atque alia ratione se habere possunt; eorum vero natura, quae ita sese habent, ut secus esse non possint. Descendunt etenim e motibus tum torrentes, tum animantes. Illi

3 in] *iter. H* | in] is *V H* | sectatur *H* 4 ex[1] … quae *om. A* 5 causa … se *om. V H* 12 Paridi] Parti *A* 15 unam velut *tr. H* | formam tantum obtinet *tr. H* 18 ut] si *H* 20 potest *N1 V A H* | Protogenis] Protegenis *MSS* 21 nivesque] flammasque *MSS* 22 opus *iter. A* 26 procreat] procreant *N1 N2 A* | procreat] procreant *N1 A* 29–30 possunt *N1*

3 id … secatur] 6 Reip. *N1*; *V A H*, 41 5–6 Causa … Menone] Men. 61.62 *MSS* 7 ex libris Legum] Leg. 7.11 *MSS* 16–17 cumque … constat] Phys. 3 *N1 N2*; Phys.3, 3 *V H*

3–4 Sane … fit] e.g., R. 6 493b 5–6 Causa … Menone] Men. 72e 6–7 atque … colliguntur] V 16–17 cumque … constat] Ph. 3.3 202a36

enim ascendere pondere delati non possunt, hi contra voluntate praediti perfacile possunt. Nota est fabula de Pythagorae littera atque Herculis bivio. Idcirco enim utraque adolescenti ostenditur via, ut utram malis eligat, asperam an facilem, virtutis an voluptatis, sapientum an vulgi. Id ideo fit, quoniam non natura bene vel male agimus, ut Plato et Aristotles volunt sed electione atque consilio; quod qui animadvertunt, non Elpenoris more grunniunt, nec in haras feruntur, sed et alas recuperant, et cum volunt in Dei ac felicium convolant domicilia. Diximus voluntatis ac naturae differentiam. Dicenda nunc nobis sunt duo voluntatis officia. Haec enim efficiendae rei quandoque praeest, quandoque tantum interest. Praeest, cum agendi principium ipsa est, ut in virtutibus capessendis; adest, cum principium sane non est, sed ut principii comes accedit, sicuti in liberis procreandis. Iam vero de eo, quod praesens quaestio petit, ita constituimus, Parentem gignere divinam Prolem voluntate, si voluntas ut comes interesse intelligatur. Nihil enim praeter mentem, nihil a voluntate alienum agit Deus. Quidquid enim agit, nisi agere vellet, numquam ageret. Si quid enim esset, quod praeter voluntatis imperium ageret Deus, invitus ac coactus id agere videretur, quod nemo audire aequo animo potest. Si vero voluntas initii locum teneat, gignere Deum voluntate negandum est. Nam quae voluntate tanquam initio efficiuntur, effici ac non effici possunt. Nec ante omne tempus illa gignuntur, nec quae voluntate fiunt naturam generantis accipiunt, nec unam tantum habent formam imitandam quae voluntate gignunt. Neque Arii temeritas ferenda est, qui nec natura gignere Deum, sed voluntate, libens asseveravit, ut impiam opinionem ascisceret, qua Dei filium non Deum, sed Deo inferiorem esse arbitrabatur. Accipiamus itaque duo, quae a Platone divinae geniturae consentientia scripta sunt: alterum in Cratylo, hominem ab homine, equum ab equo, simile a simili natura generari; alterum ex libris de Republica Patrem Filium genuisse sibi quam simillimum. Quod si similis generatio natura esse dicitur, non voluntate, haec divina similis generatio est; non est igitur dicendum quod voluntate agatur, sed natura.

---

3 via *om. V H* 5 non *sl. H* 7 aras *A*; horas *H* | alas] alias *A* 10 efficiendi *A* 13 sicut *V H* 18 id *om. H* | id agere] *iter.A* 26–27 divinae] naturae *add.ac.V* 28 a simile simili *tr. A* | a *om. V H*

2 Nota … littera] Littera Pyth. *N1 N2 V A* 5 quoniam … Plato] Men. 62 *MSS* 5–6 Aristotles] Eth. 2 *MSS* 26–28 Accipiamus … generari] Crat. 16 *N1 N2 V A* 28–29 alterum … simillimum] 6 Reip. 38 *MSS*

4–5 Id … Plato] Men. 89c 5–6 et Aristotles] EN 2 1103a16 27–28 alterum … generari] Cra. 393b 28–29 alterum … Republica] R. 6 508c

Atque ita videre tandem possunt nostri senatus patres, quam facile aliena confutemus, quam etiam efficaciter nostra confirmemus, si non impia dogmata, sed cognatissimae Academiae philosophiam recipiamus: non quod philosophia fidei opus sit, nihil enim est fide aut religione constantius, ut ante demonstravimus, sed quoniam eo ventum est aevi, ut delicata saecula aniles putent fabulas, quae de philosophiae penetralibus eruta non sint. Idcirco hunc laborem suscepimus, si quid modo effecimus, ut huius opinatissimi philosophi auctoritate et nostra confirmaremus, si qua firmissima in re confirmatio desiderari potest, qui quidem adeo divinis propius accedit, adeo favet, adeo it pedibus in sententiam, ut iam non de Philone dicendum videatur, 'aut Philo platonissat,' sed, 'aut Plato christissat,' aut verius 'mossisat.' Duae superiores rationes voluntatem assistentem et comitem defendunt, sequentes explodunt, ut initium et ut geniturae muneri praesidentem.

79. *Necessitate genuit. Tres Parcae*

Quod si voluntate genitam divinam dicimus prolem, cum penes voluntatem sit libertatis arbitrium, ut possit tam volens agere, quam nolens non agere. Quae autem hoc pacto aguntur, nulla necessitate agi solent; quam ob rem Deus non necessitate genuisse credi fortasse poterit. Deinceps a potentiori fortiorique vi compellitur, quicquid ad agendum necessitate compellitur, quem ad modum errantes stellae a primo orbe quotidiana conversione occiduas oras versus rapiuntur, cum ipsae in diversas ferri plagas ament. Obeunt quin etiam animantes vitam, quam mallent immortalem atque perpetuam, quod quidem haud alia contingit ratione, nisi quod maior vis inferiorem superat. At si Deo maius potentiusque nihil umquam est, non est, cur quicquam necessitate agere credatur. Verum enimvero quaecumque aeterna sunt, nulla ratio est, ut umquam non esse possint. Quae autem fieri non potest, ut non sint, nec ut non essent fieri umquam potuit, ea necessaria propria appellatione nuncupantur. At Deus Optimus Maximus, ut ipse aeternus est, et sua

---

3–5 non … constantius *om. V* 10 fovet *V* 22 oras] horas *A* 25 inferiorem] superiorem *corr. in marg. A* | si] *iter. H* | Deus *H* 27 est] cur *add.ac. N2* 28 autem] aut *H* | potest] possunt *praem. ac. N2*

4 religione] *symbolum Christogrammatos* XP *adhibuit N2* 12 Solutio Rationum *N1 V A* 16 Ratio 1 *N1 N2 V H* 19–20 Ratio 2 *MSS* 27 Ratio prima contra *N1 N2 V A*

omnia quapropter tam ipse, quam sua omnia necessaria sunt. Et quoniam, uti saepissime diximus, prolem genuit, non nisi necessitate illam genuit. Nam quae ita a Deo profecta sunt, ut etiam non proficisci potuerint, ea omnia posteaquam non erant, ex nihilo facta sunt. Divina soboles, neque umquam non fuit, neque ex nihilo prodiit, neque etiam facta est, quippe quam novimus et fuisse semper et ex paterna substantia non factam fuisse, sed genitam. Quare parentem divinum quemadmodum genuisse, ita necessitate genuisse sentiendum est. Etsi nominum inventores non imperitos Cratylus apud Platonem putat extitisse, quoniam tamen plerumque usu venit, ut eodem nomine multa significentur, quorum quidem diversa ratio sit; ideo Prodicus Chius distingui atque aperta fieri praecepit ea, quae nominibus significantur, quemadmodum in Charmide citat Plato. Secus si fiat, multa nos nocte offundi oportere. Quamobrem diversae necessitatis ratio paulo altius a nobis repetenda est, antequam necessarium esse quicquam iudicemus. Video necessitatis quoddam genus esse quod homines exhorreant atque detestentur, ac proinde dira ab Horatio est appellata necessitas. Video genus aliud esse necessitatis, quod et magnificum habetur et divinum, ut cum in Cratylo ea, quae semper eodem se modo habent, numerat Plato, et quae statu moveri non possunt, haec nos necessaria solemus appellare, quippe quae aliter se habere non queant. Statuamus itaque tot genera necessitatis, quot numerantur genera causarum. Numeramus nunc quantum ad rem pertinet plane tria: aliqua namque causa est, quae causa aliorum cum sit, causam tamen ipsa non habet; atque haec ea est causa, quae causarum omnium auctor est et causa. Alia deinde genera causarum duo sunt, quae etsi causae sint, causam nihilominus et ipsae habent unde velut ab omnium fonte vel oriantur vel pendeant. Harum vero aliae internae, aliae externae nominantur; internae quidem, ut forma ac materia, externae vero, ut agens atque finis. Ut enim a peculiaribus domesticisque ordinem inchoemus, est in nobis finis agentisque necessitas. Nam si de morte loquamur,

---

3–4 non … potuerint] proficisci non potuerint *tr. H* 12 in *sl. N1* 14 diversae] *om. N2* | repetenda a nobis *tr. N1 N2 A* 19 modo] *iter. H* | et] ea *add. A* 23 cum aliorum *tr. N1 N2 A* 25 genera] gratia *H* 26 sunt *N1 N2 A* | et] etiam *N1 V A H* 27 pendeant] prodeant *N2* 30 finis *om. A* | morte] monte *corr. in marg. A*

3 Ratio 2 *N1 N2 V* 8–9 Etsi … extitisse] Crat. *N1 V* 11–13 Prodicus … Plato] Carm. 20 *MSS* 17 dira … necessitas] Hor. *N1 V* 17–19 genus … Plato] Crat. 97 *N1 N2 V H*; Crat 95 (*pc.*) *A*

8–11 Etsi … sit] Cra. 388e 11–13 ideo … Plato] Chrm. 163d 17 dira … necessitas] Car. 3.24.6 18–20 in … possunt] Cra. 403c

agentis necessitate mortem obire nonulli coguntur, ut Patroclus ab Hectore, Hector ab Achille, Achilles a Paride, et quibuscumque denique a potentiori aliqua externaque causa vis infertur. Alii finis potiundi gratia mortem oppetunt, ut de innumerabilibus prope Christianae fidei testibus memoriae proditum est, qui ut veritatem profiterentur, ut Deum rebus omnibus praeferrent, ut summo bono potiri et ad divina spectacula convolare citius possent, quamvis a nemine mori cogerentur, ipsi tyrannos quaesiverunt, inventos irritaverunt, ac quasi illos ad gladios stringendos compulerunt. Atque hae quidem externae necessitatis sunt species. Aliae internae sunt ex materia quidem, ut omnibus tandem quandoque moriendum est. Nam etsi externus parcat hostis, internus non parcit, unde et ipsum rerum principium Parca denominata est, quippe quae quamvis domestica sit omnibus, parcit tamen omnino nemini. Formae necessitas est qua hominem rationis participem necessario dicimus; tam enim necessarium est hominem rationis participare, quam esse e vita quandoque migraturum. Tertia necessitas non ex causa, sed ex seipsa est; atque haec divinae tantum naturae tribuitur. Superiores necessitatis species nonnisi in imperfectis mancisque insunt rebus. Cogit enim agentis necessitas quem impotentem nanciscitur, cogit finis quem reperit indigentem. Qui enim finem bonumque amat aliquod, mediis eget, quibus voti compos efficiatur; quare pauper atque indigus Amor in Symposio nominatus est. Hae itaque species necessitatis non simpliciter, sed ex accepto vocatae sunt ab Aristotele in libro ubi μετὰ τὰ φυσικά disputantur. Hae namque nullis omnino insunt, nisi aliquem illis vel finem vel agens imminere accipiamus. Aliae vero necessitates duae simpliciter hoc nomen sortitae sunt. Multi enim sunt, qui et finem et agens habent, necessitate tamen non urgentur, ut qui nihil extrinsecus vel timeret vel cuperet. At qui internas habet causas, tam non metuere, quam non evadere potest; nam neque navim conscendere, neque piratis parere necesse omnino est, nisi illud quidem ex fine, si maria transmittere velimus, hoc vero ex efficiente, si in eorum manus incidamus. Hae autem aliae for-

---

1 obire] subire *corr. in marg. A* 3 gratia] causa *N2* 9 necessitatis] nctis *abbr. N1*; mentis *A* 12 quippe quae] quod prope *H* 18 nonnisi] non nisi nisi *A* | in *in marg. N1* | imperfectis] perfectis *H* 19 impotentem] in potentem *N1 A* 22 Haec *N1 V A H* 24 Haec *N1 V A H* 26 qui] quae *N1 N2* (*ac.*) *V A H* 28 non] potest non *add.ac. N1* 30 illud] d *ac (in marg.) N1* 31 Hae] haec *ac.N1*

21–22 pauper … nominatus] Symp. *N1 V A* 22–24 species … disputantur] Met. 5 *MSS*

21–22 pauper … est] Smp. 203c 22–24 Hae … disputantur] Metaph. 5 *passim*

mae necessitatis simpliciter absoluteque necessariae sunt, sed sunt hae quoque nihilominus inter se diversae. Nam materiae formaeque necessitas etsi simpliciter dici consueverit, nam ubicumque gentium ea fuerit, cogit quod e principiis illis duobus conflatum sit, ut et formae naturam sustineat, et tandem desiderio materiae nova machinantis occumbat. Haec quamquam vera sunt, quod quae ex iis constant initiis necessitatem evadere non possunt, potuit tamen quandoque fieri, ut numquam esset ista necessitas. Potuere siquidem et ista simul principia non convenire et, quod ex iis effectum est, non fieri. Quae enim ortum atque occasum habent, non necesse est oriri, licet postea quam nata sunt interire necesse sit. At divina necessitas absolutissima aeternaque est. Non enim quae ad divinam naturam pertinent quandoque sunt, quandoque non sunt, sed ita semper sunt, ut non esse quam nunc non possunt nec in futurum poterunt, tam numquam hactenus nullo tempore, nullo aevo, potuerint. Semper enim, ut vatis testatur oraculum, idem ipse est, cuius anni diesque non deficiunt, hoc est, cuius integra solidaque aeternitas nec initio incipere nec fine desinere esse ullo modo potest. Prima itaque necessitas agentis et finis non simpliciter ita nominatur nec semper cogit, cum non semper adsit. Secunda formae ac materiae simpliciter dicta est, cogitque semper, cum adsit plane semper; sed quamquam semper adsit, cuicumque tamen adest, fieri quandoque potuit, ut illi non adesset. Nihil enim est citra Deum, quod quandoque non fuerit, quodque proinde non esse non potuerit. Quare sola tertia est necessitas, quae divinae tributa naturae ita semper est, ut numquam non esse possit, et, quod ei peculiare ac genuinum est, numquam non esse potuerit. Prima itaque secundaque necessitas in Deo locum non habet, quippe qui nec efficientem, nec complentem, aut finientem causam habeat. Externae enim hae causae cum sint, Deo adesse non possunt. Nam quid est unde is pendeat, a quo uno veluti a naturae fonte manant ac pendent omnia? Internae autem causae forma materiaque, vulgarium initia rerum, procul a Deo absunt. Quas ob res necessitates hae geminae, veluti altitudine divinitatis indignae, numquam immortali Deo tribui possunt. Cogi enim aut compelli Deum non fas est cogitare, quae tamen rebus illis evenire necesse est, quae obnoxiae sunt quattuor necessitati causarum. Tertia autem sacra divinaque

1 simpliciter] dici *add. ac. A* | haec *N1 V A H* 4 sit] est *V H* 6 quamquam] quoque *V H* 17 esse] esset *ac. V* | ullo] nullo *ac. A* 21 enim *om. V H* 22 quodque] quandoque *H* 26 quippe … nec] quippe quin haec *A* 31 hae] haec *ac. N1* | altitudines *H*

15–16 idem … deficiunt] *cf.* Hbr. 1.12

necessitas tribuenda est Deo, quam cum audimus non vis aliqua cogitanda est, quae Deum ad agendum quicquam cogat. Cogi siquidem illa mens non potest, quae infinita virtute ex se omnia potest; sed significari putandum est divinae illius naturae stabilem immotamque constantiam in qua nulla vicissitudo, nulla mutatio cadere umquam potuit. Immobilis igitur ille status Dei, atque eorum omnium, quae divinae naturae tributa sunt, aut potius illa ipsa Dei ac divinorum firma invariabilisque stabilitas, atque, ut ita dicam, immobilitas immutabilitasque necessitas a nobis nominatur, non ob aliud sane, nisi quod cum ea necessaria dicantur, quae fieri non potest ut non sint, cum ita se divinae res habeant, ideo divinum obtinent necessitatis genus. Divinum voco ob duo, quae soli divinae conveniunt naturae: alterum, quod mobilis non est neque ab externis neque ab internis agitatoribus, quos habet omnino nullos; alterum, quod immota haec conditio non solum nunc est, sed aeterna etiam fuit, cum aeternus sit Deus et quae divinae naturae tributa sunt. Quae quidem duae necessitatis partes ab Homero antiquo Theologo luculentissime significatae sunt, cum ait οὐ γάρ τ' αἶψα θεῶν τρέπεται νόος αἰὲν ἐόντων, "Non enim vertitur mens semper existentium deorum," ubi expressa est tum divinae mentis immobilitas tum, etiam immobilitatis aeternitas. Cum vero tres numeratae necessitates sunt, haec tertia, quae nec potest nec potuit umquam verti, a veteribus theologis Atropos appellatur. Causam Homerus reddidit, quoniam, ut ait, οὐ τρέπεται "non vertitur nec mutatur." Si est qui maxime non verti dicendus est, ob eas, quas paulo ante exposuimus causas, ipse idem est, cui maxime hoc nomen Atropos et quadrat et convenit. Tres necessitates trium Parcarum involucro comprehendit antiquitas. Lachesim externam fecerunt agentis ac finis, cuius quidem necessitas non simpliciter quicquam cogit, nisi id sortiri vel finem voluerit vel causam moventem contigerit; ideo Lachesis nomen prima haec Parca a sortiendo sortita est. Altera necessitas materiae formam sustinentis, quae veluti Aegyptius Proteus, in omnem speciem formamque convertitur, atque ideo a volvendo Clotho dicta est, cui coniuncta forma quia vertibili haeret rei, idcirco etiam ipsa nunc in ortum nunc in occasum vertitur. At Deum, qui unus quo vertatur non habet, ac verti (ut docuimus) nullo modo potest, ita a non vertendo

---

4 constantiam] substantiam *corr. in marg. A* 10 res divinae *tr. H* 18 mens] *iter.ac. V* 19 etiam] et *N2* 20 numeratae] enumeratae *A*; mutatae *corr. in marg. N1* 25 tres *iter.*50 28 sortiti *N1* 29–30 formam materiae *tr. A* 32 cui] qu cui *ac. A*

16–18 ab … deorum] Od. 3.147

nominari decuit, ut materia a volvendo nominari voluit. Nomina namque ea commodissime ac sapientissime adinventa sunt, ut in Cratylo disputatur, quae rerum naturas aut naturarum functiones affectionesque significant. Imum rerum locum prima materia, summum ultimus finis omnium Deus obtinet. Quae quidem duo tanto inter se spatio atque intervallo disiunguntur, ut, sicut in proverbio est, δύω διὰ πᾶσιν dici possit. Ut enim in musicis ima summaque vox, quam quintamdecimam veteres statuerunt, alias omnes intra se voces claudunt, ita materiae potestas, et actus ille, quem Deum facimus, remotissime res longe omnium in natura sunt, atque universum rerum ordinem in medio utriusque situm habent. Ea porro utriusque termini naturam claudentis est vis atque affectio, ut illa nullam stabilem obtineat formam, sed iactata semper et fluitans novas semper pulchritudines, et amet et amplectatur, alterationum, mutationum, tempestatum omnium perpetuum acceptabulum; ut actus ille divinus simplicissima stabilissimaque forma est, suaque luce contentus, fulgentissima alioqui ac beatissima, non modo non aliam pulchritudinem suscipit, sed nec suscipere umquam potuit, nec appetere. In materia sola potestas, actus dumtaxat in Deo: illa rerum faex, hic omnium pulchritudinum fons et caput. Illi insatiabilis sitis inest eorum, quae iis caret; hic seipso contentus ac felix nulla re quae ad beatitudinem absolutissimam pertineat, caret. Amor illi, et quasi rabidum inest externarum rerum desiderium; huic summi boni praesentia semper intus inest, immo idem ipse sibi summum est bonum, nec quantum in se est ad externas res appetendas stimulari moverique non potest. Cum itaque ii duo naturae termini ita sese habeant, ut alterum semper agitationum salo iactetur, alterum procul ab omni agitatu in portu semper inconcussus perstet, iure alterum a motu et conversione, alterum firmitate et non vertibili stabilitate sortitum est nomen. Quibus ex rebus iam liquet, quid in hac disputatione decernandum sit. Nam si usque adeo natura illa divina immutabilis perstat, quaecumque ad illam pertinent, eodem se semper modo habeant necesse est. Quod si secus contingeret, aut immota non esset, aut moveretur immotum, quae absurdissima plane sunt. Quare

---

10 habet *N1 V A H* 12 nullam] numquam *corr. in marg. A* | obtinet *H* | et] semper *add. H* 19 iis *om. N1 V A*; is *N2*; quibus *H* 20 ad *sl. A* 22 immo] imo *H* 24 ii] hi *N2 A* 31 habeant modo *tr. V H* | non *sl. A*

2–3 disputatur] Crat. *N1 V A* 5 Deus] *symbolum Christogrammatos* XP *adhibuit N2*

1–4 Nomina … significant] Cra. 388e 5–6 Quae … possit] Smp. 187b

generatio divina, quae et ad naturam pertinet, et est, ut diximus, non aliud a natura. Sequitur igitur generationem illam esse hoc pacto necessariam, Parentem necessitate gignere, Filium necessario gigni, non quidem quod Lachesis illi aut Clotho geniturae felicissimae intersit, cui una assistit Atropos, cuius quidem munus non est neci tradere, ut quidam et inepte et perperam interpretati sunt, sed potius vitae firmitudinem necessaria immobilique constantia reddere sempiternam. Voluntate quidem gignit, ut superiori sententia decretum est, non tamquam principio, sed tamquam comite. Quae autem possunt et fieri et non fieri, ex iis sunt, quae a voluntate veluti a principio efficiendi fiunt. Non dicimus, quaecumque a voluntate ut a principio fiunt, posse hoc modo fieri et non fieri; sed contra quae fieri atque non fieri possunt, voluntatem non ut comitem, sed ut ducem principemque desiderant. Filius vero voluntate comite gignitur, non veluti ab auctore atque principio. Cogi autem Deum dicendum non est; id namque Lachesis faceret, Atropos, ut diximus, non facit; cogendi enim ratio vim inferri significat, quod aliarum est necessitatum nihil habens cum tertia commune. Tertia nobis ratio in sententiam venit. Postrema itidem facit, modo asserat, quae voluntate ut principio fiunt, ea potuisse non fieri, aliquid tamen a voluntate non fieri, sed manare quod non manare non potuit, cum aliud manare sit, aliud fieri; et quamquam quae fiunt manant, manantia tamen non omnia fieri volumus. Nihil nimirum Theologo cautius, nihil accuratius esse debet. Divinis enim vinctis vulpes insidias et moliuntur et struunt, ut in divino Epithalamio scriptum legimus.

80. *Natura in Deo est*

Gignitur, ut saepe diximus, suo quodque initio quidquid gignitur, ut ex Timaeo nos saepe citavimus. Quod si agendi initia ex se duo sunt, natura et voluntas, si voluntate non oritur velut ex initio ortus divina proles, sequitur natura oriatur. Sed antequam haec causa tractetur, aliud cognoscendum sese offert huic vestigationi necessarium sit ne in Deo natura,

---

1 et *om. A* 4 illi] illic *ac. N1* | aut *sl. N1* | cui] quis *A* 6 firmitudinem] formitudinem *N1* (*ac.*) *A* 7 quidem] igitur *H* 10 fiunt *pc.* (*ac.* sunt) *H* 11–12 et … fieri *om. H* 15 Lachesis] Lachesim *ac. V* 27 nos] non *N1 V* (*ac.*) *A*

7 Solutio 1 *MSS* 14 Solutio 2 *MSS* 17 Solutio 3 *MSS* 18 Solutio 4 *MSS*

22–24 Divinis … legimus] Cant. 2.15

hoc est divina ne essentia natura et putari et nominari possit. Nam si natura est motus principium, ut ab Aristotele finitum est, cum ab omni plane motu seiunctus sit Deus, cur non idem ab omni sit etiam natura seiunctus? A quo enim finitio aufertur, finitum quoque auferatur necesse est. Quae etiam ita movent, ut ipsa immota permaneant, ad Physici contemplationem non pertinent. Atqui ad hanc natura omnis pertinet. Quidquid itaque immotum est, natura dici non potest; at superior sententia quam maxime immotum fecit Deum. Non itaque naturae nomen accipiet. Plato praeterea impios accusat, quod quasi sublatis divinis causis omnia dederint tribuerintque naturae. Quod si non omnia naturae tribuenda sunt, tribuit autem Deo omnia Timaeus. Non itaque Deus aut divina essentia natura existimanda est. Haud sane pauciores afferri in medium possent rationes hoc loco, quam ubi divinam essentiam terminum esse generationis demonstravimus. Sed brevitati studendum est nobis, Laconiceque agendum, tum quod alia permulta versamus animo, quae posteris mandare cogitamus, si non exacta, non erudita, non culta, non denique quae demorsos (ut dictitant) ungues sapiant, ea certe quae bona piaque ingenia non sint aspernatura; tum quod reipublicae administrandae occupatione perpetua districto vix tantum noctis superest, quantum quieti satis sit. Ostendemus autem hoc loco ex naturae definitione divinam essentiam necessaria ratione dicendam esse naturam. Ea itaque definitio et in Physicis, in libro qui De caelo inscribitur, saepe ab Aristotele et Averroe repetita est, quod est principium motus et quietis in eo, in quo est primum per se et non secundum accidens. Primo quidem ex eo, quod principium dicitur. Omne enim principium eius, quod substantia est, vel voluntas, vel natura, vel fortuna sit necesse est. Si itaque Deus gignit Deum, atque id, quod est substantia, id gignit, quod substantia est, cum neque voluntas, neque fortuna in divina generatione locum habeant, sequitur, id quod in Deo principium gignendi dicitur, naturam

---

6 atque *N1 V A H* 12 Haud] aut *ac. A* 13–14 terminum] neque *add. H* 18 piaque] quae pia *A* 20 quieti] quietis *ac. A*

1 Ratio 1 *MSS* 1–2 si … est] Phy. secundo *MSS* 5 Ratio 2 *MSS* 5–6 ita … pertinent] Phy. secundo *MSS* 9 Ratio 3 *MSS* | Plato … accusat] Phaedon *N1 N2 V A* 18 tum] *signum manus cum digito indicantis add. N2* 21–22 divinam … Physicis] 2 Phys. 3; 8 Phys. 8. 15, 22, 27 *MSS* 22 De caelo] 1 Cae. 5; 2 Cae. 84, 92; 3 Coe. 18, 28 *MSS* 25 Ratio 1 *MSS*

1–2 si … est] Ph. 2.1 192b22 5–6 Quae … pertinent] Ph. 2.7 198b1 9–10 Plato … naturae] Phd. 96b 10–11 Quod … Timaeus] Ti. 28c 21–22 Ea … Physicis] Ph. 2.1 192b27 22 in … inscribitur] Cael. 1.2 268b28

esse dicendam: substantia siquidem ab eo, quod substantia non est, non gignitur, ut docemur in Physicis. Cumque non aliud principium gignendi substantia sit, nisi natura, profecto gignendi principium, de quo verba facimus, non poterit non esse natura. Dicitur praeterea principium motus et quamquam motus agitatioque omnis a divinis liminibus procul absit, inter mutationum tamen species generatio prima est, id quod in Physicis scribitur, cum omnium generum decem id generatione pariatur, quod primum, quod praecipuum, quod praeclarissimum est. Quod si initium mutationis est natura, generatioque mutationum sit species prima, quod itaque est generationis initium natura dici nominarique vult. Adde quod generatio natura idcirco nominatur, quod in naturam sit via. Mutationis namque aliae non ad naturam, sed ea, quae naturae adveniunt atque accidunt, pariunt, ut alteratio colorem et qualitatem, augmentum quantitatem, agitatio locum. Si itaque generatio omnis natura est, non potest igitur Deus, qui expers non est generationis, expers esse naturae. Est etiam quietis initium; sicut itaque quies ad quietem se habet, ita natura ad naturam. Atque nulla rerum quies est divina praestantior, qua sola beatissimum Deum Epicurus arbitrabatur. Quietem hoc loco voco stabilissimam illam firmitudinem, quae superiore sententia demonstrata est, non eam cessationem, quae motum consequitur. Quod si quies illa longe omnium praecipua est, naturae insit oportet, quae sit omnium praecipua et plane divinissima naturarum. Est autem natura motus quietisque principium non quavis in re, sed in eo in quo est. Ars etenim initium movendi est, quid enim aurum, quid marmor, quid silvam ad formas suscipiendas movet, nisi ars? Sed ars in auro, in marmore, in silva non est, sed in artifice, in Mentore, in Praxitele, in Epeo. Ars igitur actionem in externa re collocat, natura in eo ipso in quo ipsa est. Quare non ab re in naturae definitione additum est, quod initium sit actionum in eo in quo est. At duo, ut saepe diximus, actionum genera habet Deus, externum atque internum, et si externa actio a sola voluntate proficiscatur, interna certe, qua naturae eiusdem prolem gignit, non potest nisi a natura proficisci. Non musica aut magia, sed naturae munere filii procreantur. Porro initium natura

---

1 substantia] igitur *add. ac. A* | ab eo] a Deo *ac. H* 5 agitatioque] que *iter.ac. N1* 6 inter mutationum] immutationum *N1* (*ac.*) *A* | generatio] est *add. ac. N1* 17 atqui *N2* 18 voco *om. V* 21 est … praecipua *om. H*

1–2 substantia … Physicis] 1 Phys. 52; 3 Cae. 1 *MSS* 4 Ratio 2 *MSS* 6–7 inter … scribitur] 8 Phy. 55 *MSS* 10 Ratio 3 *MSS* 15 Ratio 4 *N1 N2 V A* 22 Ratio 5 *MSS* 32 Ratio 6 *MSS*

1–2 substantia … Physicis] Ph. 1.7 190a32 4–7 Dicitur … scribitur] Ph. 1.3 186b2

dicta est non quodvis, sed primum. Licet enim in Haemonia navi interna esset navigandi causa, quae fecit ut non in Aegyptum, non in Syriam, sed Colchorum in portum Argo se reciperet, non tamen idcirco natura moveri dicebatur navis. Anima enim, quae motus erat et traiectionis initium, non primo navi inerat, sed prius Tiphi Argonautarum ductori. At essentia cum Patri primo insit, sitque paternarum principium actionum, non ex aliqua alia agitante natura necesse est, illam putari ac dici naturam. Dicitur etiam ex se; nam quamquam totum agat, quia tamen non ex se, sed ex forma veluti ex principio agit, ideo natura non totum, sed forma nominatur. Atqui essentia per se est divinae huius actionis initium, ut postea palam fiet; naturae itaque nomen iure sibi essentia vendicabit. Postremo adiectum est non secundum accidens. Licet enim pictor aliquis stibio sibi ocellos, aut minio genas pingeret, id tamen ex accidenti evenit; non enim ad id pingendi facultas, sed ad tabellas pingendas adinventa est. Generatio autem divina ad rem externam progredi non potest, quippe in re illa persistit et permanet dumtaxat, in qua est actionis ac generationis initium. Quam ob rem fieri non potest, ut principium divinae geniturae natura non nominetur. Plato autem post hos communes locos propius ad rem nostram accedit, ut qui divina et solus et maxime tractanda susceperit. Ait enim in Phaedro animam se ipsam movere; si quid autem sit, inquit Averroes, ut Platoni placet, quod se ipsum moveat, id multo dignius nomine naturae, quam quidquam aliud. Quare si anima, quae ex se ipsa vel vult vel intelligit, natura dicenda est, Deus qui ex se ipso etiam gignit, ita ex se ipso ut a nullo alio pendeat, quo egeat ad agendum, longe quam anima dignior est habendus, cui nomen consentiat naturae. Nam si ideo naturam habere alia dicuntur, quia ex se agunt, quamquam non ita ex se agant, quin ad agendum superiorem desiderent causam, illa certe potius aptiusque natura dicenda est, quae non solum in agente est, verum etiam nullum plane aliud praeter se ipsam ad agendum desiderat. Atque hoc modo quadam negandi ratione dicimus Deum ad agendum se ipsum movere, non quod motum in eo statuamus, sed ut cum agit non pendere aliunde, ut alia sane omnia significemus. Quod si quis etiam cum Peripatetico Aristotele sentiens negare posset Deum dici

---

3 non *om. H* 9 ex *sl. H* 10 est *om. H* 19 qui] quod *H* 22 Quare] quia *A* 26 se] sese *N2* 30 desideret *V H*

8 Ratio 7 *MSS* 12 Ratio 8 *N1 N2 V A* 18 Ratio 9 *A H* 20 movere] Phd. 20 *MSS* 20–22 si … aliud] 2 Phy. 3 *MSS* 32 Ratio 10 *MSS*

20 Ait … movere] Phdr. 245c

naturam; dant enim Deo motum dumtaxat, qui ex voluntate originem ducit, certe qui Academici Platonis partes sectatur, negare id minime potest. Non enim orbium caelestium agitationem tantum Plato dat Deo, sed divinae etiam sobolis genituram, ut in Cratylo atque in Republica. Quam ob rem propriis etiam rationibus, quae solae demonstrationem ac scientiam faciunt, ex Platone accipimus in genitore Deo statuendam esse naturam. Vult etiam Plato in Cratylo non nisi intelligentia oriri prolem illam. Atqui cum intelligentia quicquam gignitur, quae exacta rei similitudo nominatur, non solum internum est intelligenti id, quo intelligit, sed etiam id quod intelligentia gignitur. In aliis enim id minime accidit; ut enim in libro De animalibus Aristoteles docet, animantes quae gignunt, aut intra, aut extra, se gignunt. Intra gignit mulier, bos, equa; extra quaecumque ova pariunt, in quibus postea gignuntur animantes. Utrumque tamen gignentium genus aliquid edit, quod cum in lucem editur, a gignente seiungitur neque amplius residet in parente. At proles illa, ut quae intelligentia, Platone teste, gignitur, verbum internum est, cognitaeque rei absoluta, hoc est perfecta similitudo. Quare numquam a mente contemplatrice disiungitur, cuius quidem in sinu sicut oritur, ita etiam aeternam agit vitam. Si itaque natura ea est, quae intus agendi principium et fons est, in aliis id quo gignitur intus manet, quod gignitur a gignentibus foras funditur. At in Deo utrumque intus permanet, in eademque natura, et id quo proles gignitur et proles ipsa quae gignitur, et semper simul sunt, et alterum ab altero non seiungitur. Quare si natura a principiis aliis eo discrimine distat, quod interna vis est; ubi itaque vis interna magis, ibi res naturae nomine dignior reperitur. At vis haec divina adeo interna est, ut non ipsa modo, sed etiam prolem genitam intus perpetuo teneat, quo quidem munere nulla omnino res alia potitur. Non igitur est res alia, cui aptius nomen conveniat naturae. Scribitur denique in Cratylo, nomina quae a rei natura ducta sunt, probe sumpta fuisse, alia non probe. Quod si alia nomina ita duci oportet, ut natura quodammodo orta esse videantur, multo id magis naturae ipsi conveniet nomen nancisci, quod de naturae ipsius (ut ita dicam) natura ductum sit. Ductum

---

1 motum Deo *tr. H* 2 sectantur *H* 3 Deo] Deos *ac. V* 4 sobolis] *verbum sequens lnp. H* 13 quibus] quīs *abbr. N1 N2 A* 19 est ea *tr. H* 20 quo] quod *N2* 24 distet *A* 25 vis] ius *H*

3–4 Non … Cratylo] Crat. *N1 V A* 4 Republica] 6 Reip. *N1 V A* 7 Ratio 11 *MSS* 7–8 Plato … illam] Crat. *N1 N2 V* 28 Ratio 12 *MSS*

3–4 Non … Cratylo] Cra. 406d 4 atque in Republica] R. 6 508c 7–8 Vult … illam] Cra. 406d 11–12 ut … gignunt] GA 1.3 717a 28–30 Scribitur … probe] Cra. 391b

autem a nascendo procul dubio est naturae nomen. Primo earum rerum dici natura caepta est, quae et viventes essent et proprie nasci altera ex altera dicerentur. Nam ut prius diximus, a fine atque a termino mutatio omnis speciem nomenque sortitur, viventium autem substantiarum generatio ad naturam velut via in finem vergit, quemadmodum in Physicis scriptum esse diximus. Dicta est autem natura viventis rei a nascendo, non quidem veluti ea quae nasci oririve dicenda sit, sed quae nascentibus rebus communicetur, nihilque sit aliud nasci hominem nisi aliquid fieri, in quo esse incipiat hominis natura, quae ex altero exhibeatur, communicetur, tradatur, ab altero acquiratur, excipiatur ac quodammodo induatur. Induit sane proles parentis naturam, quam tamen parens non exuit. Non enim sicut de trabea, de paludamento, de lacerna, de armis contingit, quae largiri nemo potest alteri, nisi is qui largitur postea careat, neque balteum Pallantis Turnus induisset, nisi prius occisum Pallantem iratis (ut aiunt) superis exuisset. Res siquidem singulae a pluribus obtineri non possunt, formae autem, species, essentiae naturae hoc cum Deo commune habet, suo tamen modo, ut nullis fere rerum claudantur angustiis, sed cum in pluribus tum et quantum ad se attinet, innumerabilibus in rebus esse possint. Exemplum in promptu est in iis, quae mente complectimur. Disciplinas si quidem ac sententias, quas habemus, aliis et quidem multis tradere possumus, ipsi tamen interim non amittimus. Sensus etiam idem ferme patitur. Orationem enim nostram cum populi audiunt, vox eadem ad omnium fertur aures, eadem auditur ab omnibus, eadem omnes vel demulcet vel movet. Quid? quod non sola aut mens aut sensus illud obtinet, sed aliis plerisque in rebus idem usu venit. Lumen enim de lumine sumitur, fax de face accenditur, flamma ex flamma, atque ignes ex ignibus duci consueverunt, prioribus non modo non extinctis, verum etiam instauratis, adauctis, confirmatis. Haec tamen multa idcirco numeravimus, ut res quae cognitu duriuscula fortasse videatur, clarior, manifestiorque exemplis recitandis efficeretur, naturam a parente quidem tradi, ab ea vero quae gignitur prole excipi, quam cum excipit, nasci proles dicitur, hoc est, (ut verbum interpretemur) naturam nancisci, aut forte vero propius, naturam sibi asciscere. Hoc autem enarrantes, non deducentes facimus. Non enim a natura nasci, sed a nascendo ductam esse naturam

---

2 coepta *N2* | viventis *N2* 5 finem] *verbum sequens lnp. N2* 8 aliud sit *tr. H* 10–11 induatur] inducatur *ac.N1* 16 naturae essentiae *V tr. H* 19 promptu] promptum *ac. A* 30 quidem a parente *tr. A*

19 Exemplum] *symbolum Christogrammatos* XP *adhibuit N2*

arbitrantur. Hac quidem ratione non quod nasci natura dicenda sit, sed quod nascentibus rebus a gignentibus in ea quae gignuntur, ut a fontibus in rivos fluviosque corrivetur. At quamquam de viventibus natura dici coeperit, ad essentias postea usus usurpavit rerum aliarum. Essentia vero divina quoniam genito a gignente communicatur, eamque proles nascendo a genitore recipit. Idcirco natura nominata est, non quidem quod ipsa nascatur, sed quae nascenti nascendo tribuatur. Quibus ex rebus constat, divinam essentiam non modo non absurde, verum apta satis ac propria appellatione naturam nominari. Si tamen id addiderimus, Aristotele teste, mortalibus aeternisque rebus quod eadem ratione dicatur nihil esse commune; Averroesque naturae nomen caelo rebusque aliis non eadem ratione convenire. Timaeus etiam apud Platonem cum de divinarum specierum praestantia verba fecisset: "Est aliquid post hoc," inquit, "quod cum ipso non ratione, sed nomine convenit, eiusque similitudinem gerit." Vult itaque humanis divinisque rebus nomen quidem plerumque idem, diversam tamen esse rationem. Idem subobscure praedicabat oraculum, quo homines ipse Deus alloquebatur, dicebatque divinis viis humanas non esse similes. Rursus etiam Plato in Cratylo aliis deos uti nominibus, aliis mortales: nam ii Astianactem illi Scamandrum vocant. Quod si nomina cognitionem sequuntur, idcirco alia illis nomina quoniam et intelligentia alia, mens alia, essentia longe alia. Ita et cum naturam Deo tribuimus, ita tributam intelligamus, ut a motu, a corpore, a fluxu, rebusque aliis a divina excellentia dissidentibus abiunctam liberamque cogitemus. Quam quidem rem etsi ubique repetendam arbitraremur, hic tamen testatam reliquimus, non eo consilio nostra referre ad divina, ut quicquam nostrum Deo indignum ad Deum referatur, sed ut praecellentissima illa augustissimaque natura utcumque per nostratia haec intelligatur, ad quam quidem cognoscendam si ea quae impedimento sunt nobis animadvertantur, digni fortasse videbimur, quibus per humanas umbras palpitantibus et venia detur et plane indulgeatur. Exigit haec humanae inscitiae apologia, ut ea non omittantur, quae divina

3–4 dici natura *tr. N1 N2* 9 tamen] tam *H* 18 rursum *H* 23 excellentia] essentia *ac. A* 25 relinquimus *V H* 30 palpantibus *A* | et] ut *V H*

10–11 Aristotele … commune] Met. *N1 N2 V A* 11–12 Averroesque … convenire] 1 Cae. Com. 9 *N1 N2 V A* 12–15 Timaeus … gerit] Tim 130 *N1 N2 V* 18–19 Cratylo … mortales] Crat. *N1 A*

9–11 Si … commune] Metaph. 10 1058b26 12–15 Timaeus … gerit] Ti. 28c 18–20 Rursus … vocant] Cra. 392d

aggredientes cogunt caecutire hallucinarique, ac proinde identidem ad humana divertere. Principio est obscuritas, in quam, Platone teste, incidimus dum in hanc vitam venimus, quae procul a patria animorum cum sit, non modo patriae lucem, sed etiam fumum cum Homerico Ulysse desideramus; hoc est, certa indicia, quibus de specula aliqua, ut Homerus subinde facit caelestem vel ignem vel lucem contemplemur. Deinde ne obscuritatem tolerabilem aut mediocrem aliquam oculis nostrae mentis offusam existimemus, nocti similis omnia occulenti haec obscuritas est. Ut nihil intempesta nocte vident oculi, ita animi cum in corporibus esse incipiunt, nihil omnino nosse animadvertunt. Quod si postea a tanto se caeno eruere, et ad cognatam suspiciendam lucem assurgere nitantur, nonnisi per umbras et obscurarum harum similitudines rerum, quae in sensum cadunt, incedendum est eis, unde veluti e somniorum simulacris ariolantur potius coniectantque divina, quam aut assequantur aut vere intelligant. Cum vero ea, quae vera sunt, ideae sint quarum spectaculum in caelo dumtaxat cernitur, idcirco hic locus a superiore procul distans inferorum nomine dicitur, essentiis rerum carens ac vacuus, ubi imagines quaedam ac rerum umbrae occurrunt, ut septimo de Republica de spelunca legitur. Quare non solum per inanes umbras incedimus, sed essentias in his inferis non habemus, quibus veluti cognatis vel affectu vel contemplatione haereamus. Atqui absque essentia rerum nihil sciri posse Plato arbitratur. Additur his, quod lunae lumine tantum utimur, non solis; lunam Plotinus humanam vocat animam, quae ut Aristoteli placet citaturque ab Averroe, terrae naturam obtinet, ac proinde opaca sola est inter caelestia, quemadmodum inter incorporea mens humana, quae quamquam clausa in tenebris carcere caeco iaceat, si tamen non sua tamen luce niteretur, sed divino etiam radio illustraretur, evadere certe tenebras speraret; sed, absente sole, lunae tantum luminis usum habet, hoc humano peculiari ac suo. Neque hoc satis ad miseriam est. Plenae siquidem lunae lux: si affulgeret nonnihil etiam in nocte

1 hallucinarique] albucinarique *ac. N1* 2 principio] in *praem.ac. N1* 3 animorum] aiorum *N1 A*; aliorum *N2* 6 subinde] deinde *A* 7 tolerabilem] intolerabilem *ac.V* 8 offusa *H* 9 ita … corporibus *sl. A* 12 et] ut *A* 13 sensus *N2* 15 ideae] ideo *H* 20 non] non non *A* 24 terrae] naturae *H* 26 carcere] carere *N1 A* (*ac.*) 30 plene *A*

2–3 principio … venimus] 7 Reip. *N1 N2 V A* 18–19 ut … legitur] 7 Reip. *N1 V A* 24 Aristoteli] De animal. *N1 V A H*

2–3 principio … venimus] R. 7 514b 16–19 idcirco … legitur] R. 7 514a

intueretur. Sed numquam nisi post obitum impletur ut Plato in Phaedone testatur. Quare hic silenti tantum luna ac maligna sub luce res agitur, ubi vidisse potius arbitrari potest, quam videat. Ambit praeterea animos corporum silva, membrorum scilicet atque elementorum, ubi cum anima occluditur, velut in fluvium mergitur, quem Lethaeum Plato vocat. Quas ob res inter undantem tum silvam tum fluvium sui obliviscitur et, amissa ratione, caligat et desipit. Ita enim Timaeus ait ἄνους ψυχὴ γίγνεται τὸ πρῶτον, ὅταν εἰς σῶμα ἐνδεθῇ θνητόν, "anima cum primum corpore mortali occluditur amens efficitur." Ad haec vinci haec miseria ab anima non potest. Deo enim volente haec omnia patitur, a quo in corpore velut in custodia detinetur, ut in Phaedone dicitur unde iniussa abire non potest. Quapropter procul a caeli luce exulat, dum agit in corpore, nec reluctari potest. Fati necessitati, hoc est, iudicio divinae voluntatis, qui caelum abdidit mortalibus, hoc est, divina ita latere nos iusserit, ut per aenigmata suspicata credere possimus, per lucem perspecta cernere non possimus, velut in Epistolis disputavit Plato. Denique ea, quae animam ad intelligentiam excitare potuissent, ut rerum omnium notiones, quibus plena semper est anima, ut Platoni placet et Aristoteli placere abritratur Averroes, aut si id minus probatur, effectarum rerum animadversiones; quae ad causam et originem intelligendam adducere nos deberent, ita movendi vim amisere in tetra hac regione quam incolimus, ut coloribus similes sint, qui, sublata luce, aut nulli sunt, aut perinde se oculis ostendant, ac si sublati ac plane nulli essent. Luce siquidem externa abeunte, ut Timaeus ait, peculiaris lucis radius evanescit. Exposuimus mentis incommoda quibus quidem ita afficitur, ut quantum a caelo abest, tantum absit et a caelestium intelligentia et multo etiam magis a divinorum contemplatione. Sunt autem incommoda haec novem: exilii obscuritas, nox ignorationis, umbrae sensuum, quibus utendum est. Inferi inanes, hoc est, essentiis rerum vacui, lunae potentiaeque imbecillitas, lunae lumen non auctum, sed silens ac deficiens, silva materiae corporisque, divinum

9 mortali corpore *tr. V H* 17 notionis *N1* 18 semper *om. A* 21 amissere *A* 22–23 ostendant] se *add. ac. A* 24 radius] gla (*eras.*) *ac. A* 28 sensum *A*

1–2 numquam … Phaedone] Phaedon. *N1 V A* 5 velut … vocat] Tim 95; 10 Reip. 48, 49 *MSS* 7–9 Timaeus … efficitur] Tim. 97 *N1 N2 A*; Tim. *V* 10–11 in … dicitur] Phed. 7 *MSS* 14–16 divina … Plato] 2 Ep. 5 *MSS* 18–19 Aristoteli … Averroes] 3 de An. 86 *N1 N2*; 3 An. *V A* 23–24 Luce … evanescit] Tim. 107 *MSS*

1–2 Sed … testatur] Phd. 98a 4–5 ubi … vocat] R. 10 621c 7–9 Ita … efficitur] Ti. 44a f. 10–11 a … dicitur] Phd. 62b 14–16 divina … Plato] Ep. 2 312d 23–24 Luce … evanescit] Ti. 45d

decretum, obiectorum impotentia domi ac foris. Multa praeterea alia suo loco colligi poterunt; sed haec nunc commemoranda visa sunt, ut quandoque ostenderemus divina a nobis tractari, non sicut ipsa se habent, sed sicut ipsi possumus. A nemine enim querendum est, ut supra vires agat. Nam etsi de divinis disserimus, nos tamen, ut Timaeus ait, homines esse cogitandum est, quibus utendum sit quavis in re humana tantum loquendi ratione. Eadem novem Maro de Platone didicit et Latinis ita legenda tradidit:

> Ibant obscuri sola sub nocte per umbras,
> perque domos Ditis vacuas et inania regna,
> quale per incertam lunam sub luce maligna
> est iter in silvis ubi caelum condidit umbra
> Iuppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.

Sunt siquidem novem tam oculis quam mente cognituris necessaria, quae nisi adsint, neque visu cernere possumus, neque mente animoque contemplari. Tria quippe ex eo quod cernendi ratio est: volunt enim lumen veluti videndi rationem desiderari. Primum itaque opus est, ut lumen adsit; in obscuro cernenda res non sit. Deinde clarum lumen id sit; neque enim crepera lux crepusculi minutis rebus aspiciendis idonea est. Praeterea et medium idoneum esse debet; neque enim agitata aqua, neque caliginosus aer est oculorum radiis probe pervius. Tria rursus ad nos ipsos visuros pertinent: tum ut proximi spectandis rebus simus, magna enim distantia aciem et fatigat et impedit; tum ut oculos videndi officio aptos habeamus, nam neque caecus, neque catulus nuper natus quicquam cernit; tum etiam ut hi ipsi oculi integri sanique sint; aegri enim oculi non modo lucem non amant, sed nihil potius refugiunt quam lucem. Tria quoque externa iis adiungenda sunt: ut obice opaci corporis non obstetur; ut causa communis caelum Deusque accedat, quiescente siquidem caelo naturae functiones Averroes defuturas esse arbitrabatur; ut denique res aspectanda, quod nostri obiectum vocant, et adsit et e regione sese offerat. Eadem ferme intelligentiae necessaria sunt, quae quoniam aut non adsunt, aut incommodissime adsunt, idcirco et caecutimus et

---

1 suo] suolo (-lo *eras.*) *ac. A* 5 de *sl. N1* | homines] est *praem. ac. A* 7 loquente *A* | dicit *H* 12 iter … silvis] inter in sylvis *N1*; inter sylvis *V* 21 previus *A*. 23 impendit *A* | occulos *H*; oculus *N1 N2 V* 25 sint] licet *H* 27 obiice *N1 N2 A* 30 et *add. N2*

5–6 etsi … est] Tim. *N1 V A* 7 Maro] Virg. *N1 V A* 29 De substantia orbis *MSS*

5 Nam … ait] 7–13 Eadem … nox] Aen. 6.268–272; Ti. 47d

hallucinamur. Abest enim sol, et in obscuro palpamus, quem Plato et in Phaedro et in Phaedone nonnisi post obitum cerni posset. Abest itaque et claritas lucis. Nam non modo clara non est, sed nulla etiam est; nox namque nos corripit, cum initio nostri ortus nihil omnino, haud secus atque intempesta nocte, dignoscimus. Media etiam longe nos impediunt; itura namque mens a generationis caecitate ad aliquid cognati luminis vestigandum, non nisi per umbras, hoc est, per sensuum imagines contendit. Haec primo Maronis versu explicata sunt: "Ibant obscuri sola sub nocte per umbras," ubi obscuritas, et nox, et umbrae expressae sunt. Distantia etiam a divinis rebus nos submovet; in inferis enim sumus donec in terris agimus, et patria caeloque procul longa hic exsilia et longum maris aequor aramus. Oculus praeterea mentis, quae lunae comparatur, ut Plotino placet, defectum patitur, cum solem non videt. Lunae labores, hoc caecos circuitus Maro nominavit. Sed quamquam luna est, impletur tamen aucta lumine felixque redditur, cum solis radios, nulla re prohibente, plene excipit. At hic maculosa atque angusta sua luce nitens, nihil est quod aperte exacteque nosse possit. Et haec a duobus versibus demonstrata sunt:

> perque domos ditis vacuas et inania regna,
> quale per incertam lunam sub luce maligna,

ubi inferi, luna, ac lux maligna commemorantur. Vacuos vocat inferos et mundum inferiorem, ubi solae sunt umbrae, ut in Republica docet Plato. Veras autem res vero in mundo esse, quem sola ratione intelligi arbitratur. Adde obicis ac corporis tenebras, quibus occlusa anima, non ratione expedita, non libera intelligentia vestigandum, sed vaticinio potius divinandum atque ariolandum est. At haec omnia fortasse vinceret is qui, "labor omnia vincit improbus" aut "ardens quae surgit in aethera virtus." Sed Dei optimi voluntate ac decreto ista fiunt, qui ob animorum culpam

---

2 posse *N2 V H* 4 est] esse *ac. A* 10 rebus] *verbum sequens lnp. A* | inferis] inferos *ac. N1* 12 exilia *A H*; exiglia *N1* 13 patitur] patitum *ac.H* 15 felixque] felix *A* 17 sua angusta *tr. A* 19 vacuas *add. N2* | inani[a] *V* 20 per] quare *A* 24 obiicis *N2* | occlusa] hoc lux *A* 26 At] ad *N1*

1–2 Abest … Phaedro] Phedr. *N1 V A* 2 Phaedone … posset] Phedon. *N1 V A*

1–2 Abest … Phaedro] Phdr.250d 2 et … posset] Phd. 81b 8–9 Ibant … umbras] Aen. 6.268 11–12 longa … aramus *cf.* Aen. 2.780 19–20 perque … maligna] Aen. 6.269–270 21–22 Vacuos … Plato] R. 7 521c 27 labor … improbus] Geo. 1.144–145 | ardens … virtus *cf.* Aen. 6.130

ita apud vatem minatur: "caelum nube tegam"; quare nostra haec caecitas non solum in humanam necessitatem, verum etiam in divinam voluntatem iustumque iudicium referenda est. Denique res ipsae, quae cognitae intelligentiam veram faciunt, ita in caelo latent, ut ne olfacere quidem possit mens humana. Quare obiecto sublato, rebusque latentibus, quae videndae sunt, dubium non est, opiniones quidem participare mortales, essentias vero rerum contueri numquam, nisi cum mortem corporis exuti evaserint immortales. De corporis silva, de divino decreto, de essentiis abditis ita Maro ait:

> Est iter in silvis ubi caelum condidit umbra Iuppiter, et rebus nox abstulit atra colorem.

Haec itaque inscitia animi nostri, haec ignoratio mentis humanae facit, ut cum de divinis agimus, aut omnino taceamus quae, ut Timaeus monet, effari non fas est, aut nostrorum appellatione nominum usurpemus. Nostrae vero appellationes ac vocabula aliquid perfecti, mixto tamen imperfecto significant. Cum transferuntur in Deum, id indicant dumtaxat, quod perfectum est; quidquid perfecto miscetur, iam procul a divina esse natura nemo dubitat. Ut scientia humana est cognitio causarum quam demonstratio peperit, divina est quidem causarum intelligentia, sed nullius syllogismi ratione comparata; ita natura eam essentiam Deo tribuit, quae Proli a Parente communicatur; ea non tribuit, quibus natura inferior obnoxia est. Agitatio enim ac motus naturam non divinam sed humanam et imbecillam consequitur; in Deo enim non motus, sed generationis initium dici vult. Quod vero immota ad Physicos naturamque non pertineant, naturae nomen obtinere non oporteat, immo naturae nomen obtinere necesse est, eius tamen quae Proli a Parente tradatur, non quae morti perturbationive obnoxia habeatur, quam Plato prorsus negat rerum omnium existimandam esse auctorem. Nomen tamen idem utrique rei inditum est, nostrae mentis ad divina caligantis culpa, quae cum nonnisi umbras atque humana videat in eo, qui umbrarum locus est, uti non potest nisi umbrarum humanorumque nominibus.

---

10 iter] fortiter *ac. N1* | in *sl. V* | caelum] umb *add. ac. A* 14 appellationes *A H* 30 umbras] per *praem. V*

13 cum … monet] Tim. *V MSS* 22 Solutio 1 *MSS* 24 Solutio 2 *MSS* 28 Solutio 3 *MSS*

1 caelum … tegam *cf.* Ezech. 32.7, Thom. Aq. Comm. Psalm 17 10–11 Est … colorem] Aen. 6.271–272 13–14 omnino … est] Ti. 48c

81. *Pater genuit Filium natura*

Non deest unde quis negare possit probabili verisimilique ratione, eam generationem nihil interesse naturae. Nam intelligentia genuit parens, id quod Platoni placuit, cum intelligentia longe a natura seiuncta sit. Altera enim cognoscens, altera non cognoscens agit. Voluntas etiam atque natura idem in Deo sunt, non aliud atque aliud. Atqui si voluntate non genuit, uti demonstravimus, ne natura quidem genuisse videbitur. Verum enimvero ex iis omnibus, quae in proxima sententia recitata sunt, prolem divinam natura esse genitam demonstrari potest. Est et id, quod in libro De anima scripsit Aristoteles, opus esse ad naturam maxime pertinens gignere sibi simile. Quod si ea generatione simile sibi genuit Deus parens, fieri non potest, ut alia ratione genuerit, quam natura. Actiones quoque omnes ad terminum contendunt aut naturae, aut eorum quae naturae accidunt. Artium namque omnium opera ea facit, quae naturae accidunt. Adventitiam siquidem formam in ligno, in aere, in marmore effingit. Arte itaque neque lignum, neque aes, neque marmor efficitur. Ars enim naturae imitatrix est, non auctor, neque natura nisi a natura fieri potest. Fieri, inquam, hoc est, in aliquo nascente constitui. Quod si divinae generationis terminus est natura, uti docuimus, profecto parentem, qui generationis est auctor, non nisi natura genuisse dici potest. Adde quod omnium divinarum actionum initium ac fons essentia est, nihilque a Deo aut fieri, aut agi, aut manare potest, cuius essentia divina initium non sit. Tanta enim actionum varietas ex eadem essentia profluit varia eorum, quae Deo tribuuntur, ratione, ut idem Nero mundo imperabat, carmina pangebat, in scenam prodibat, obsoletos amabat, matrem occidebat, eodem tamen haec animi habitu minime faciebat. Erat enim eidem imperium, poesis, musica, libido, saevitia, quibus uti diversis rebus affectus animus ad diversa et cogitanda et peragenda trahebatur. Ars enim eadem non idem efficit semper, quin innumerabilia fere pingit pictor, quod agere nullo pacto posset, nisi innumerabilia fere rerum contineret in animo simulacra, quorum quidem nunc hoc, nunc illud aspiciens, nunc hanc, nunc illam, in tabella ducit imaginem. Ita divina essentia

3 naturae *om. N2* 7 uti] ut *A* | ne] nec *A* 8 ex iis] ex his *pc.A* 15 in aere *om. H* 17 naturae *om. V H* 23 enim] tamen *N1 V H* | profluit] pl *praem. ac. A* 25 carmina] cariā *abbr. V*; caria *N1*; cariam *H* 29 fere *om. A* 32 illam *sl. A*

3 Ratio 1 *MSS* 4 id … sit] Crat. *MSS* 5 Ratio 2 *MSS* 8 Ratio 1 *MSS* 10–11 De … simile] 2 De anima *MSS* 12 Ratio 2 *MSS* 20 Ratio 3 *MSS*

quamquam et una et unice individua, multarum actionum initium est, ut tribui illi diversa consuevere. Qua enim mens est, intelligendi; qua voluntas, volendi initium est; aliquidque essentiae convenit ex aliquo eorum, quae ei tribuimus, quod ex aliis convenire non potest. Amat enim qua voluntas est, non amat qua intellectus aut qua sapientia nominatur. Atqui generatio est qua aliquid sibi simile gignit, hoc autem ad naturam pertinet, ut tam Aristoteles quam Plato statuerunt. Haec enim naturae potissima actio est, quam praecipue respicit amatque natura. Quare si essentia alia ratione aliorum principium est, aliquid ei tribui oportet, quo ad gignendum feratur, hoc est, ut gignendi sit initium, stimuletur adducaturque. Id autem quod ita stimulat, ut diximus, est natura, cuius peculiare opus est gignere. Igitur essentiam qua natura est gignendi initium facere nos oportet. Quam ob rem necessario consequitur, prolem a divino parente natura generari, quod quidem haud aliud est dicere, quam filium a parente gigni ea generatione, cuius quidem initium sit natura, hoc est, essentia qua est nominaturque natura. Porro ex essentiae naturaeque differentia idem defendi ostendique potest. Natura etsi idem utrumque sint, multa tamen res eaedem sunt, quae ratione intelligentiaque disiunguntur. Utrumque quidem eorum actionem aliquam respicit, longe tamen aliam ac diversam, ut idem Orpheus et poeta et theologus habitus est. Alterum tamen qua versibus fabulamenta texuit, alterum qua de divinis per fabulamenta disseruit. Ita essentia actum substantiae aspicit, quo Deus esse dicitur; natura autem non quo est, sed quo simile gignit, actum intuetur. Quare aliquid essentiae dandum est qua essentia, aliquid etiam qua natura est. Qua essentia quidem habet ut sit, qua vero natura ut gignendi initium sit. Quod si ita res se habet, manifestissimum est, essentiam non qua essentia, sed qua natura est, illius generationis initium esse, ac parentem qui generat non nisi natura filium generare. Quid? quod essentia eadem cum unam rationem induit, a se ipsa differt alteram suscipiente rationem. Differentia namque semper facit alterum, ut Parmenidi placet; quod si non re id quidem, certe intelligentia facit. Cicero enim dum causas orat et senatum suaviloquentia demulcet, a se ipso differt arma tractante, exercitum ductante, Catilinae gladios a patriae cervicibus

---

2 est] est *praem. ac. A* 5 atque *A H* 6 qua] *iter. ac. N2* | aliquo *A* 16 qua] de *praem. ac. A* 17 defendi] defendendi *ac. V* 18–19 disiunguntur] disiungitur *A*; distinguntur *N2* 20 ac] atque *sl. N2* 26 si] sit *ac. A* 29–30 suscipientem *H* 32 suaviloquentia] suavi eloquentia *V H*

16 Ratio 4 *MSS* 28 Ratio 5 *MSS*

submovente. In altero etenim summi oratoris, in altero boni imperatoris praestabat officium. Divina itaque res essentia nominatur qua esse dicitur; vocatur natura qua prospicit gignendi actionem. At eo gignit pater, ad quod spectat gignendi munus. Id vero essentiam esse dicimus, qua natura est. Id enim esse volumus gignendi principium, quod potissime gignendi actum aspicit. Quare ita asseverare oportet, et generare natura parentem, et natura ex eo filium generari. Quaerit denique Plutarchus, cur rerum nunc patrem, nunc auctorem Plato vocet. Deum ait animatorum patrem, anima carentium auctorem dici, quod animam ipse genuerit, alia quae animam sortita non sunt, non ipse omnino fecerit, sed sculptoris fabrique lignarii more in silvam materiamque formaverit. Addit eodem loco, alia opera quidem hoc modo Dei vocari posse, quod ab eo hoc pacto effecta sint, anima vero et ab eo et ex eo, ut pars eius, est genita. Miror Plutarchum philosophiae alioqui haud plane ignarum adduci potuisse, ut animam Dei partem esse opinaretur, etsi Ciceronem, ut iamdudum diximus, eiusdem sententiae defensorem habuerit, cum ne ipsa quidem anima partem habeat quae ab ea seiungi possit, nedum Deus, quo nihil simplicius impartibiliusque ut ita fari liceat. Dicimus itaque, Deum auctorem esse omnium tam corporum, quam a corpore seiunctorum. Sed diversa in iis producendis ratione usus est. Corpora siquidem in materia silvaque formavit, ubi materia praecessit, ut Timaeus inquit, quam generationem appellat, hoc est, generationis perpetuum et sinum et acceptabulum. Praecessit autem, aut natura tantum, ut sol lucem, et substantia id quod substantiae inest. Aut si Mosis ordo ut sonat accipiatur, etiam tempore materia antecessit non quidem formam omnem, sed completas perfectasque, quas post primam imperfectissimam per distinctionis dies et excipit et induit. Horum Deus opifex, creator, et auctor vocatus est Deus in Timaeo, non pater. Cuius quidem causa fuit, non quod ipse materiam non fecerit, ut plerique Platonem interpretantur, sed quod ut haec faceret, silvam, in qua species formarentur, subiici substernique oportuit, quae cum dissimillima Deo sit, pater autem eorum qui sunt specie ac natura similes dici consueverit, idcirco Deum silvestrium rerum ac corporum inanimatorum parentem dici prohibuit. Animae vero ac

---

1 oratores *A* | boni] summi *A* 4 spectat] pertinet *N2* 7 generari filium *tr. A* 14 alioquin *H* 18 dici *A* 24 substantia *A* 25 materia] materiam *ac. A* 28 fuit] est *ac. H* 30 silva *N1 V A H* 31 qui] quique *ac. N2*; quod *H* 32 dici] *add. in marg. N1*

7 Ratio 6 *MSS* 7–8 Plutarchus … vocet] quaest. Plut. *N1 V A* 20–21 Corpora … Timaeus] Tim. *N1 V A* 27–28 Deus … pater] Tim. *N1 V A*

dii secundi quia extra omnem silvam sunt, ideo Deo similes existentes Deum parentem habere dicti sunt, ac propterea et ab Homero, πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, ac a Marone, hominum pater atque deorum non temere, sed ratione longe efficacissima ac plane reconditissima dictus est, quam si quis non probaverit, necesse est se a Platone et Academia faciat alienum. Tertia producendi ratio est, qua Deus non animam aut secundos deos in aliena natura, sed filium gignit in sua ipsius gignentis essentia; ubi proles non modo in declinanda materia, sed etiam in ipsa genitoris natura est generatori similis. Cum corpora creantur, ea creantur, quae auctori dissimillima sunt. Cum anima, fit aliquid Deo modo quodam simile, sed magna etiamnum ex parte dissimile fit. In tertia vero filii genitura ea proles oritur, quae imago exactissima est summaque parenti similitudine iungitur. Quare Plato sexto de Republica de solo boni filio ait quod de anima, vel diis aliis numquam dixerat, quod sit bono genitorique simillima. Hinc apud Homerum numquam Deum legimus ita peculiariter animas aut deos alios filios nominare, ut de Minerva facit quam cum appellat creberrime ita ait, τέκνον ἡμῶν, etc. Quare corporum pater non appellari vult Deus, hominum et deorum non nisi similitudine quadam tenuissima ac minime propria, prolis autem divinae multo convenientius, ut supra docuimus, quam homines filiorum parentes appellitentur, quod solus ipse in se ipso pariat, id quod nulli omnino rerum evenire potest. Quod si ex terminis censentur actiones, solaque haec tertia divinam genitae rei tradit naturam, sola haec tertia naturae munus existimari potest, solaque in hac tertia et vere pater et natura agere dicendus est Deus. Intelligentia vero etsi a natura seiungitur in nobis, in quibus intelligendi vis utpote aegra impotens imbecilla naturam non assequitur; neque enim homo hominem intelligendo gignit, in Deo tamen in quo verbum gignitur intelligendo quod eandem obtinet cum intelligente naturam, longe contingit secus. Nostra enim intelligentia res non procreat, quae ex rebus exoritur. At tantum abest, ut intelligentia divina a rebus fiat, ut res non nisi ex divina intelligentia oriantur. Quod si ea generatio, qua simile a simili in natura gignitur, naturae semper danda est,

---

1 omnem] commune *corr. in marg. N1* 2 habere parentem *tr. H* 3 ac] et *V* 4 dictus est *add. N2* 11 in *om. V H* 12 parenti *om. H* 16 alios *om. H* | nominari *N1 N2* | Minerva] Athena (Minerva *in marg.*) *N1* 17 etc *om. A* 21 convenire *H* 25 in] a *praem. ac. A* 27 tamen] tum *V H* 28 eadem *H*

13–14 sexto … anima] Tim. *N1 V A*; 6 Reip. *N1 V A* 25 Solutio 1 *N1 N2 V A*

2–3 … τε] Il. 1.544 3–4 a … est] Aen. 12.612 Aen.Suppl. Vegii

licet intelligendo Deus gignat, natura tamen gignit, cum verbum, quod gignitur, gignentis naturam ex ea intelligentia consequatur. Quod mirum nemini esse debet, cum ea intelligentia naturae non accidat, quemadmodum humana, sed eadem cum natura atque essentia est. Quare omnis admirationis causa sublata est, quod natura gignere dicatur Deus, dum se intelligit cum divina intelligentia sit natura, atque actio omnis divina eadem cum Deo divinaque essentia habeatur. Et quamquam voluntas ac natura in Deo eaedem sint, abiunctae intelligentia tamen rationeque sunt. Divina enim essentia qua volens, voluntas dicitur, qua vero est gignendi principium natura nominatur. Quam ob rem si essentia est gignendi principium qua natura, non qua voluntas, sequitur necessario patrem non voluntate gignere sed natura. Nec procedit ratio, quod si non voluntate non natura, immo potius cum aut voluntate aut natura gignat, si non voluntate, natura necessario gignat.

7 Deo] duo *N1* 9 gignendi est *tr. H* 12 non *om. N2* 13 non] nec *A* 14 gignat] gignit *A*

7 Solutio 2 *MSS*

DISTINCTIO VII

82. *Gignendi potestas Deo inest*

Actum de generatione est hactenus; nunc de gignendi potestate agendum est, quae Deo fortasse minus tribuenda videatur, tum quod potestas semper actum antecedit, ut sentit Averroes; tum quod si quam potestatem simul cum actu conspirare eadem in re daremus, idem Averroes id fieri posse negat, ne simul fateremur contraria convenire; tum etiam quod cum actus perfectam completamque rem praestet, potestas contra mancam indicat atque inchoatam. Fine siquidem omnia perfecta redduntur, potestas vero initium est, quo finem actumque consequimur. Quod si nihil mancum, nihil inchoatum dandum Deo est, quinam Deo rerum absolutissimo potestas dari potest, cum praecipue in Metaphysicis purus dicatur actus, qui nihil non expletum, nihil admittat omnino potestatis? Ingrediamur iam humanorum silvam, in qua, uti dudum docuimus, nostra Diana venationi dat operam, quippe quae animadverterit, iampridem ac senserit, in hac silvarum umbra latere aureum ramum, hoc est aurea sapientiae initia; acute enim vestigantes in ipso silvae solo impressa Dei vestigia deprehendimus. Eadem Diana cum se ipsam aut vitreis fontibus aut speculis aspicit, aliquid colligit vestigiis augustius, hoc est formosam parentis imaginem. Lustrans itaque saltus, qui lunae orbe circumambiuntur, duo rerum genera duasque earum rerum venatur actiones. Genus alterum est ratio Deo imprimis similis; alterum est rerum earum, quae citra rationis gradum continentur. Utrumque similitudinis gignendae vim habet, alterum naturae, alterum simulacri. Nam quae ratione vacant, gignunt similia sibi in natura atque substantia, ut accipiter accipitrem, leo leonem, et homo, qua animal est, propagat hominem. Ratio vero similitudinem quidem gignit, non quidem in natura,

---

4 videatur] videtur (a *sl.*) *ac*. *H*; videatur (a *sl.*)*H* 9 perfecta] per facta *H* 19–20 parentis formosam *tr*. *A* 24 gignendae] genus *praem*. *ac*. *N2*

4 Ratio *N1 N2 V H* 4–5 potestas … Averroes] 8 Phy. 4 *MSS* 5 Ratio 2 *N1 N2 V H*; Ratio 1 *A* 7 Ratio 3 *N1 N2 V*; Ratio 2 *A* 8–9 potestas … inchoatam] 4 Coe. 24 *V A* 9 Ratio 3 *H* 10 Ratio 4 *N1 N2* 12 Ratio 4 *V A H*

sed in sola cognitae rei specie atque simulacro; pingit enim in se ipsa flores, agros, maria, caelum, astra. Horum vero omnium non naturas contemplando generat, sed imagines. Atqui nulla agendi vis in silva est, quam venatrix in silvae auctore non esse intelligat. Quamobrem ita vestigando secum colligit. Est rationis actio in nobis qua cum solem intelligimus, non naturam aut nostram aut solis effingimus, sed imitatione quadam simulacrum effigiamus. Ita Deus qui sapientia incredibili praeditus existimatur, par est ut actionem hanc habeat; habetque Deus cum ideas contemplatur, atque externum exemplar, ut Timaeus ait, non ideas neque exemplaria, sed simulacra illorum atque imagines creat. Quod si non haec sola homini actio natura tributa est, sed etiam alterius habet actionis potestatem, qua non modo rei effigiem verum etiam rem ipsam producit, ut cum liberos gignit eiusdem compotes participesque naturae; haud absoluta videretur natura divina, nisi praeter creationem ubi simulacra exprimit non alteram sortiretur actionem, ubi essentiam, ubi naturam, ubi divinitatem communicaret. Quam ob rem uti creandi vim obtinet, ita necesse obtineat etiam potentiam generandi. Adde quod nulla umquam actio exerceri potest, nisi penes id, quod acturum sit principium potestasque sit exercendae actionis. Nam neque frondescunt marmora, neque floret adamas, neque quercus rhodopes audiunt, neque volitant boves, neque aquilae aut gryphes intelligunt. Quod idcirco contingit, quoniam actio nullis prorsus adest, quibus non adsit agendi vel principium vel potestas. Atqui iamdudum monstravimus, Deum gignere; quare necesse est Deo inesse gignendi principium atque potestatem. In Hippia enim maiore, testis Plato est, quaecumque aliquid faciunt, necessario id posse quod faciunt; atque, ut in Republica legimus, numquam cernerent oculi, nisi haberent cernendi potestatem. Saepe et apud Aristotelem illud commemoratur, agere unumquodque id quod natum est agere, hoc est, cuius agendi potestatem habet. Agunt enim, inquit, ὅτι πέφυκε. Sat itaque ex iis constat gignendi potestatem tribubendam esse Deo, de quo Homerus scripserit δύναται γὰρ ἅπαντα. Antecedere vero semper pote-

3 Atqui] atque *V H* 4 auctorem *N1* 8 Deus *om. N1 N2 A* 9 externum] etenum *V H* 10 neque] atque *V H* 15 essentiam] essentia *A* 19 Nam] natura *N2* | frondescunt] fronde sicut *A* 21 boves] po *praem. ac.* 40; po boves (po *eras.*) *A* 22 nulli *A*

8–10 habetque … exemplaria] Tim. *V A* 24–26 Hippia … faciunt] Hipp. ma. 29 *MSS* 26–27 Republica … potestatem] Reip. 51 *N1 V A H* 27–28 Saepe … agere] 3 Phys. 51; 6 Phy. 30; 8 Phy. 14.32; 1 Cae. 5; 3 Cae. 51 *N1 V A H*; In Phys. De cael. *N2* 31 Solutio 1 *MSS*

statem tempore necesse non est, ut caelo Aristoteles non prius conversionis potestatem datam esse, quam conversionem numquam diceret. Quod autem Averroes ait, aeris potestatem in aqua antecedere, unde aer gignitur, in iis fortasse procedit, quae cum quandoque non fuerint, quandoque esse coeperunt. Atqui in iis, quae aeterna sunt, teste Aristotele, esse posseque non differunt, cum simul omnino coeant. Quare ut potestas in eis actionem tempore praeeat, ne fieri quidem potest. Potestas autem alia agendi, alia patiendi est: altera perfecta, altera imperfecta. Cum itaque auctor omnium Deus sit, tam agendi vim obtineat, quam patiendi potentia careat neesse est. Neque refert, quod purus actus habendus sit Deus; puritas enim illa divina non aufert augendi auctoritatem, sed tantum patiendi facultatem. Agendi enim potestas duplex tribuenda est Deo, altera qua similitudinem exactam gignit in Filio, altera qua inchoatam atque imperfectam in hominibus rebusque procreandis. Quam uti rem significaret antiquitas, prolem a Deo gigni statuit, aliam ex matre, aliam absque matre, ut in ea, quae absque matre oritur, potestas gignendi Deo tribueretur, qua exactissimam similitudinem naturae cum prole communicaret; in ea vero, quae ex matre oritur, creandi munus ostenderetur, quo res conderet ornaretque similitudine sua, deficiente tamen atque imperfecta. Quamquam et mater etiam alia mortalis, alia immortalis pignora genuerit Iovi. Ex immortali matre deos genuit, hoc est, ex essentia, quae silva atque materia vacat. Ex mortali vero matre ea tulit pignora, quae corporea fuere atque mortalia. Cum itaque potestatem gignendi duplicem damus Deo, dicimus similitudinem duplicem posse gignere, exactam in Minerva, deficientem in iis, quae aliam sortiuntur essentiam in diis cum imagine clarissima, in homine subobscura, in aliis nulla, sed ipsis tamen vestigiis apparentibus, sed iis dumtaxat apparentibus, quibus ipsa divina proles aciem mentis confirmaverit, et matris inscitiam hominibus insitam atramque caliginem eripuerit. Ait enim Minerva apud Homerum ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον, Eripui ex oculis nebulam. De ea enim divina sapientia ad homines ventura vates omnes canunt, tenebras nubesque fugatura ac latentia arcanaque demonstratura. Lucerna

1 caelo] de *praem. H* 1–2 conversionis … quam *om. H* 4 iis] hiis *A* 5 atque *V A H* | aeterna] externa *H* 7 praeerat *A* 7–8 autem alia *sl. A* 9 obtineat] ob *praem. ac. N2* 11 puritate *A* | illa *om. A* | auferri *H* 13 alteram *A* 15 significare *H* 32 fugaturam *N1 N2* | demonstraturam *N2*

2 Solutio 2 *MSS* 7 Solutio 3 *MSS* 10 Solutio 4 *MSS* 29 Homerum] Il. E *MSS*

30 … ἕλον] Il. 5.127 32–300.1 Lucerna … David] Ps. 118.105

pedibus meis verbum tuum, concinebat David. Idem dixerat, quod iis qui ea caruerint luce, vestigia eius non apparebunt. Manca enim similitudo in rebus: absque exactae similitudinis luce non perspicitur. Duplicem autem illam potestatem Deo tribuendam Homerus ostendit, cum doctissime atque e theologiae penetralibus ait πατὴρ ἀνδρῶν τε θεῶν τε, non quidem quod plures gignat deos superiore illa potestate, qua naturae similitudinem communicat, sed quod Minervam producat et Venerem. Plures quidem re vera personas, sed plures a veteribus appellatos deos, unum tamen simul esse Deum non modo nostri volunt, verum etiam Macrobius apertissime docet, et ex Platone Homeroque Marone divina haec sententia in Latio desideraretur, verbum verbo reddidit interpres quam fidissimus. Sacra enim, ut Fabio placet, mutare fas non est; ait itaque hominum pater atque deorum.

83. *Potentia gignendi quamvis essentia sit, modo tamen aliquo ad aliquid dicit*

Cum saepe de gignendi potestate fiat mentio, enucleandum quandoque est, quidnam illa sit substantiane atque absolutum aliquid, an ad aliquid potius. Si enim potestas actionis, Aristotele teste, est, agendi principium; principium autem notionem dicit atque ad aliquid, videbitur fortasse ea potestas ad aliquid esse, non aliquod absolutum. Praeterea essentia non est solius Patris, sed et Prolis et Spiritus. Si secus enim esset, nec Filius Patri simillimus, nec Amor magnus Deus dicendus esset, cum tamen id in Republica, hoc in Symposio scriptum reliquerit Plato. Ea itaque, quae essentiam indicant parenti uni propria non sunt. At gignendi potentiam solus sibi pater vendicare dicitur. Non itaque ad essentiam pertinere videbitur. Plato in Cratylo similia a similibus natura gigni, ut ab equo equum atque a bono bonum, quod si quando ita non sit, potentia fieri. In Philebo etiam essentiae gratia generationem fieri vult, quare si gignens aliquid

---

4 potestatem illam *tr. H* 10 Marone divina] Maro, ne divina *A H* 12 permutare *A* | fas] phas *N1 A* 20 aliquid] aliquod *ac. H* 24 indicant] si *praem. ac. N2* 26 ab … equum] equum ab equo *tr. ac. N2* 27 ita] hoc *A* 28 gratia] gratiam *ac. A*

3–4 Duplicem … ostendit] Hom. *N1 V A* 10–11 Marone … desideraretur] Virg. *N1 V* 17 Ratio 1 *N1 N2 V H* 18 potestas … principium] Met. 5 *N1 N2 V* 22–23 id in Republica] 6 Reip. *MSS* 23 hoc in Symposio] Symp. *N1 V A* 26 Plato … gigni] Crat 17.18. *N1 N2 V A* 27–28 Philebo … fieri] Phil. 110 *N1 N2 V A*

5 … τε] Il. 4.68

sibi simile molitur, non eorum quae accidunt sed essentiae similitudinem molitur, prolesque quae gignitur numquam vere proles appellatur, nisi essentia, natura, specie, forma parenti sit similis. Forma autem qua gignens genitumque conveniunt, est id quo agens actionem exercet. Formam siquidem id esse Averroes testatur, quo quidem agunt omnia, quemadmodum omnia per materiam patiuntur. Idemque in libro De caelo statuit, actionem omnem de forma proficisci. Quae si ita se habent, idem est quo gignens gignenti simile est, et quo omne vel agens vel gignens agit; id autem, quo quid agit, potentia agentis nominatur, veluti Plato docuit in Republica ut visus quo cernimus cernendi potentia dicitur. Quas ob res si potentia est id, quo agunt agentia, id quo agunt forma est, atque natura qua genitum est simile genitori; sequitur quod gignendi potentia natura ipsa sit, qua Parentem diximus et generare Prolem et similem esse Proli. Adde, quod ut Aristoteli placere diximus, natura est motus atque actionis initium, quo agunt omnia. Atqui id quo agunt potentia est agendi; quare generandi potentia non aliud quam natura dicenda est. Quam ob rem cum potentiam gignendi dicimus, in Deo intelligimus oportet divinam vel essentiam vel naturam. Non itaque recte quibusdam visum est, quippe qui ut cornicum (sicut dicitur), oculos compungerent, potentiam gignendi ad aliquid esse voluerunt, aut quod fere idem est, esse essentiam qua idem est cum eo quod est aliquid. Quod si verum esset, res profecto absurdissima sequeretur. Filium videlicet non natura, sed in eo quod est ad aliquid, similem esse Patri, et parentem non filium gignere, sed parentem. Nam si potentia est id, quo gignit prolem, atque est proli similis, si potentia non natura esset, sed ad aliquid quo parens est parens; tunc parens parentem necessario gigneret, ut quod homo humana gignit natura, ideo homo hominem gignit. Quam ob rem id quod est ad aliquid, est id quo parens est parens, non quo simile gignit. Id enim naturae opus est, ut innuitur in Cratylo et postea citatur a Damasceno. Est tamen animadvertendum, quod cum dicimus potentiam esse naturam, id de eo dicimus, quod praecipue hoc nomine significatur; obliquo tamen obtutu respicit et ad aliquid, veluti duabus his vocibus 'potentia generandi' ita

---

2 appellatur] non eorum … similitudinem molitur (1) *hoc loco inser. ac. N2* 4 actionem *in marg. N1* 13 et] ut *H* 14 ut *sl. N1* 21 aliquid] est *add. A* 24 Nam] natura *H* 26 quod *sl. V*; quia *N2 A H* 28 quo] quod *ac. A* 29 Est] et *A* 32 aliquod *H*

4–6 Formam … patiuntur] 2 Phys. 70 *N1 N2 V*; 7 Phys. 20 *A* 6–7 Idemque … proficisci] 1 Cae. 5.17.19 *MSS* 9–10 id … Republica] 1 Reip. *MSS* 28–29 Id … Cratylo] Crat. 18 *MSS* 29 postea … Damasceno] Dam. *N1 V A*

fiat, ut 'potentia' naturam referat, id vero quod addimus 'generandi' ad aliquid ex transverso obliquoque connectit. Dici enim potest, potentiam illam naturam quidem ac substantiam esse ad aliquid autem non esse, sed dici. Eorum enim, quae ad aliquid dicuntur, alia ita se habent, quod hoc ipsum quod sunt est prorsus ad aliud, sicut servitus, ut Parmenides inquit; alia vero ita sunt quod non omne id quod sunt ad aliud est, ut de capite Aristoteles ait, quod quamvis alicuius sit caput, etiamsi nullius esset, aliquid adhuc esset, substantia nimirum nihilominus esset. Ita et potentia gignendi natura quidem atque essentia est, ad aliquid autem eam asseveramus non esse, sed dici. Ex quibus quidem constat, potentiam, ut recte praecipueque significat sumiturque pro essentia ac natura, tam in parente, quam in iis qui a parente fluunt, reperiri, nec unius tamen esse personae, sed omnium. Si autem pro eo quod ex obliquo aspicit, accipiatur, id ad aliquid est, id parentis est proprium, id distinguendi munus notionemque complectitur, hoc tamen pacto naturam non dicit, verum ut recte praecipue significat, non ad aliquid, sed naturam dicit, quae quidem aeque in Prole ac Spiritu atque in Parente reperitur. Non itaque cum potentiam audimus, principii illud intelligendum est, quod est ad aliquid. Esset enim in genere eorum, quae sunt ad aliquid; quod confutatum est iam. Verum illud cogitandum est esse potentiam, quod principium est. Principium autem dicimus potentiam, non uti id quod agit, sed veluti id quo nititur agitque id quod agit. Nam illud quidem quod vel agit vel gignit, a re vel acta vel genita dispesci distinguique necesse est. Iuppiter namque neque Minerva neque Venus est, at id, quo genuit quove agit agens, commune utrique est rei tam gignenti quam genitae, ut hominis natura est eadem in Tantalo ac Pelope, in Aenea atque Ascanio, quoniam ea est id, quo et Tantalus Pelopen et Aeneas Ascanium procreavit. Potentiam itaque id esse principium sentiendum est, non quidem quod gignit, ut parens, sed id quo utens prolem gignit parens. Id autem, uti diximus, prolique parentique commune est, idem nimirum existens in utroque, sed tanto verius praestantiusque, quanto genitura fuerit praestantior, sublimior, augustior. Gignitur etenim id quod gignenti est aut dissimile, aut simile, aut idem: Dissimile, ut cum Protogenes lineam trahit, aut cum Epaeus Troianum equum, aut Zeusis Venerem effinxit. Opera

---

1 additur *N2* 8 et *sl. N2* 9 est] esse *A* 15–16 verum … dicit *om. H* 17 aeque *om. A* 19–20 iam est confutatum *tr. N2*; confutatum est b iam *N1 A*; 20 illud] illu^{d} (d *sl.*) *N1* 21–22 sed … agit *om. H* 22 quo] quod *A* | quod] est *add. A* 27 id *sl. N1* 34 Troianum] ianum *H*

4–6 ita … inquit] Parm. 20 *MSS* 17 Solutio 1 *N1 N2 V H*

namque haec omnia auctorum naturae similia non sunt. Aliquando fit simile in natura ac specie, ut Iasius Tuscus a Coryto et Salomon Haebreus a David. Quandoque autem id quod est idem gignitur, ut cum Iuppiter Minervam edit filiam. Nulla sit in nominibus vis, si de re, Platone auctore, iam constat. Natura siquidem in Coryto ac Iasio non eadem nisi specie tantum fuit; neque rursus idem homo Corytus Iasiusque dicendus erat. Alter enim cum in Cyminii latere obiisset, ubi etiam nunc Cortnyenta, hoc est Coryti civitas Hetrusca lingua dicitur: alter a Dardano fratre neci datus est. At Iuppiter et Minerva, seu Iuppiter ac Phoebus (utroque enim vocata nomine divina proles est) quemadmodum apud nostros nunc Filius, nunc Sapientia, nunc Verbum denominatum est, quod omnium generum promiscue idcirco vocaverunt, (ne quod in eo sexus discrimen esse cogitaremus) Iuppiter, inquam, ac Phoebus quamquam ita seiuncti sint, ut alter non sit alter, nec Iuppiter Phoebus, nec Phoebus Iuppiter nominari possit. Gignentem enim a genito seiunctum distinctumque esse oportet. (Idem hic seiunctum ac distinctum intelligo, ne quis forte separatum arbitraretur.) Est tamen natura divina utrique eadem, non specie dumtaxat, atque universa, ut humana in Iasio et Coryto, sed ipsa, ut ita dicam, individua, atque singularis. Corytus etiam Iasiusque licet naturae specieique eiusdem, idem tamen homo non dicerentur. At Iuppiter atque Apollo (si non Graeci homines, quos fabulae mentitae sunt deos, sed aeternae ante orbem conditum personae, quas veritas unum ostendit esse Deum cogitentur), et eandem prorsus inpartibilem habent naturam et sunt atque dicuntur idem Deus unus, inquam, non specie dumtaxat, sed indivisibili ac plane impartibili unitate, atque ideo idem ipse Dei filius cum homo esse coepisset. Ego, inquit, et Pater unum sumus, quod Iasius dicere minime potuisset.

84. *Potentia gignendi creandique ratione demonstratur hinc eadem, hinc diversa*

Ex tribus agendi rationibus quae numeratae paulo ante sunt, duae tantum Deo tribuuntur. Quidquid enim a Deo proficiscitur, aut diversum a Deo est, aut idem. Simile enim in specie, quod tamen eandem

1 auctori *H* 7 nunc] nū *abbr. N1 A*; num *N2* 13 ita] in *H* 14 Phoebus Iuppiter] *om. A*; *tr. ac. N1* 17 tamen *om. V H* 19 atque] ac *V H* 23 habent impartibilem naturam *tr. V H* 29 demonstratur] dnt *A abbr.*; dicitur *H*

4–5 Nulla … constat] Crat. *N1 N2 V A*

individuam naturam non habeat, ab homine quidem gignitur, a Deo non gignitur. Cum itaque geminae sint Deo potestates, altera qua prolem eiusdem naturae gignit, altera qua mundum condit, alterius longe diverseque naturae, in ambiguo relinquendum non est. An utraque potestas eiusdem dicenda sit an potius diversa rationis. Quod si potestas ex actionibus et ex effectis actiones censeantur, cum mundus Minervaque idem non sint, potestas igitur qua Pater Prolem et qua mundum edidit, eadem fieri posse non videtur. At rursus si potestates illae haud aliud quam essentia sunt, quinam fieri poterit, ut eaedam non dicantur? Memini supra ostendisse me inter actionem et id cuius actio est, mediam quandam vim intercedere, quam potentiam nominavimus, sine qua nihil umquam in actionem erumperet, ut inter oculum atque obtutum cernendi potestas intervenit, atque inter amorem ac voluptatem cupiditas cadit, amor quippe is est, quo res cognita initio placet; cupiditas postea est qua surgit animus ad rem desiderandam appetendamque; voluptas denique, qua animus iam potitus voto praesente re fruitur. Ut itaque amor ad voluptatem per cupidinem tendit, ita quaecumque agunt, vim potentiamque habeant oportet, qua ad aliquid sese conferant factitandum. Scripsit eam rem propriis nominibus nescio eruditius an elegantius Maro in sua Venere; ait enim illa Cupidinem affata: "Nate meae vires, mea magna potentia, solus," quo versu inter amorem ac voluptatem medium Cupidinem tamquam vim potentiamque situm esse commoniti sumus. Quae quidem res in Catholicam sententiam duci vult, inter agens atque actionem vim intervenire, quae potentia nominata sit. Sed licet quicquid actionem habet, habeat etiam agendi potentiam, quod quidem est in omnium agentium actione verissimum, in aliis tamen potentiae a potentibus diversae sunt, in Deo autem non diversae, sed idem. Sed geminae illae potestates divinae, qua Deus Filium gignit, et qua orbem condit, bifariam inspici cogitarique possunt. Comparari enim possunt aut cum lecto in quo cubant, aut cum iis ad quae gignenda excubant; id subiectum, hoc obiectum vocant. Si in divina essentia cubantes intuearis non modo iunctas atque eiusdem rationis, sed etiam easdem esse dicas; sin vero ad edendi munus, atque ad ea quae eduntur, referantur, diversae diversaque ratione potentiae diiu-

2–3 prolem … qua *om. H*. 9 quinam] natura *H* | eadem *A* 10 cuius] verbum inter cuius et action *add. ac. A* 11 nominamus *N1 N2 A*. 12 erumpere *A* 24 habet *A*

5 Ratio 1 *MSS* 8 Ratio 2 *MSS* 19–20 Maro … solus] Virg. *N1 V A*

20 Nate … solus] Aen. 1.664

dicandae sunt. Divina namque essentia centro comparata est a Plotino, ubi lineae omnes et iunguntur et unum sunt, unde simul ac egrediuntur, ut a centro abeunt, ita inter se ipsae etiam disiunguntur. Est etiam et in fonte aqua eadem, quae deinde ubi scinditur, tam diversa evadit, quam diversae partes sunt, in quas rivorum semitae diducuntur. Facimus itaque geminas illas Dei potestates et easdem, qua in divinae essentiae nodo vinciuntur, ac non easdem, quatenus ad ea gignenda vergunt, quae per eas gignuntur. Atque hoc etiam pacto non modo non easdem dicimus, sed ne eiusdem quidem rationis, cum altera prior, altera posterior habenda censendaque sit, perinde atque et actiones illae geminae ac gemina illa, quae actionum illarum munere oriuntur. Quae itaque obiiciebantur prius, contraria non sunt. Prior enim ratio potestates genitis rebus, sequens gignendi principio, hoc est, essentiae comparat. Quam ob rem mirari non oportet, si hinc eaedem, hinc inter se diversae videantur, id quod de puncto inter lineae partes Aristoteles sensit, quod et unum in se est, et quatenus hinc finit, inde inchoat, finis initiumque nominetur, diverso tum nomine tum cogitatione. Id denique addendum his est, quod non modo potestates illae, qua actiones et ea, quae proveniunt, spectant, diversae sunt, verum etiam altera prior, altera posterior dici vult. Constat enim Deum prius Filium genuisse, quam mundum; quae enim natura, quae ex se, quae necessario proficiscuntur, necesse est priora sint iis, quae ex arbitrio ac nulla necessitate proficiscuntur. Ut enim Averroes putat, perinde Deus sese habet, atque paterfamilias, cui prius filii, deinde servi atque alii curae sunt, illorum leges necessarias, horum non necessarias facit, ita Deus prius Filium genuerit oportet, quem necessario gignit, quam mundum atque naturas rerum, quas tantum abest, ut necessario gignat, ut etiam non genuisse potuerit. Quare et potestas gignendi Filii hoc pacto potestate creandi orbis est prior, quemadmodum de Marte Graeci dicunt ὁ Ἄρης τὰ πρῶτα εἰς τοὺς παῖδας ἐπῃνεῖτο, "Mars initio laudabatur ob sobolem." Ita usurpare nostram ad rem id possumus, quod initio ante orbem conditum genita est proles illa, quae de se ipsa id dedit oraculum, "ab initio et ante saecula creata sum." Paterno

6 illa *A* 7 vinciuntur *in marg. A*; vinciunt *H* | ad ea *iter. A* 13 sequens] sequente *ac. A* | principio gignendi *tr. A* 16 nominatur *V H* 17 tum] tamen *H* | est] sit *A* 20 Filium *sl. H* 22 iis] ipsis *ac. A*; his *H*

1 Divina] *symbolum Christogrammatos* XP *adhibuit N2* 11 Solutiones *N1 N2 V H* 22–23 Ut … paterfamilias] Averr. *N1 V A*

28–30 quemadmodum … sobolem] Suda, Lex., T 108 32 ab … sum] Ecclus. 24.14

etiam oraculo ita enim prolem affatur parens, "Ante Luciferum genui te," hoc est, antequam deos secundos hominesque crearem. Hinc excitati tam dii quam homines ad imitandum Deum, primo divinum venerati sunt Filium, postea ea quae per Filium Pater condidit, veluti ad rem divinam vel cognoscendam vel amandam, adiumenta et adminicula adamaverunt; cumque Filius summum sit bonum, mundus vero multis longe lateque mixtus malis, ut Hesiodo placet:

Ut etiam divino confirmatur oraculo, "mundus," inquit, "est in maligno situs." Delirant mirum in modum desipiuntque mortales, qui auri et voluptatum sordibus affixi bonis mala, aeternis obeuntia, divinis humana, et quod omnium longe absurdissimum est, beatitudini miserias anteponunt. Caeci alioqui ac stulti, qui summa numquam bona animadvertant, ni prius in summa incidant mala. Fit enim in iis id quod Homerus ait, ὀψὲ δέ τε νήπιος ἔγνω, "factum postea insipiens novit," et multo manifestius eisdem fere verbis Hesiodus παθῶν δέ τε νήπιος ἔγνω, "passusque sapit iam denique stultus," et cum iis Euripides, κακοῦ γὰρ ἐγγὺς ὢν ἐμάνθανεν, "malis oppressus didicit." Alter quippe horum poetarum, quos citavi posterius Epimetheum, alter Prometheum facit vera bona Deumque ipsum cum opus erat minime intelligentes, nec umquam nisi ingenti suo malo resipiscentes. Ita qui Boni Filium (ut Plato vocat) non rebus studio omnibus cultuque anteponunt, nonnisi scelerum paena adventante sapiunt, qui tandem cum Iuliano Caesare expirante exclamant, "Vicisti Galilaee."

85. *Gignendi potestas est etiam in Filio, non tamen ut Filium gignere possit alterum*

Superest ea quaestio, quae ut omnium difficillima, ita et cognitione dignissima habita semper fuit, qua de gignendi potestate agitur, an sicut Parenti tribui solet, ita Proli etiam tribuenda sit. Si enim detur Filio,

1 prolem] proles *A* 2 hominesque *sl. A* 7 placet] *lacuna restat in qua nomen Hesiodis scribendum erat N1 N2 V A* 18 Prometheum] Pentheum MSS; Prometheum *in marg. N2* 22 expirant *H* 26 cognitionem *A* 26–27 dignissima] difficillima *ac. H*

1 ita] 38 *numerus V* | Ante … te] Ps. *N1* 6–7 mundus … placet] Hesio. *A* (*sic*) 9 Delirant] PΩ *symbolum? N2* 13–14 Homerus … novit] Il. P *N1 N2 V H* 15–16 Hesiodus … stultus] Hes. *N1 V A* 16–17 Euripides … didicit] Eur. *N1 V A* 18 Epimetheum] f[*rater*]. Prometheum *N2*

1 Ante … te] Ps. 109.3 14 … ἔγνω] Il. 17.32 *et* 20.198 15 … ἔγνω] Opera et dies 218 16–17 Euripides … didicit] Ba. 1113

filium rursus alterum edere posset Filius, cum ea potestas gignendi sit principium; sin vero non detur, quomodo Parenti Proles aequabitur? Ac si non aequabitur, quomodo Deus censendus erit, quo aliquis maior erit? Rem quidem adgredimur longe gravissimam et plane difficillimam, ut quam non liceat sicut in "redarguto Iove" Lucianus ait, τῇ ἄκρᾳ ῥινὶ ὀσφραίνεσθαι, naribus summis olfacere, sed quae emunctae, ut dicitur, naris vestigatorem atque exactam desideret vestigationem. Parmenides apud Platonem scriptum reliquit, quaecumque idem inter se sint, si quid alteri conveniat, ut etiam alteri conveniat, requirunt. Quae quidem sententia Matheseos demonstratione confirmata est. Nos tamen ita accipiemus, ut quae idem ita sunt, ut alterum ab altero re distinctum non sit, ubicumque sit alterum, ibi alterum sit oporteat, ut si amor boni appetitio sit, quisquis bonum appetit, idem ut amet efficitur. Atqui gignendi potestatem eandem esse cum essentia naturaque divina demonstratum est, ut alterum re distingui ab altero non queat. Quare cum essentiam Filio tribuamus, eidem gignendi potestas tribuenda est. Quod si soli eum comparat Plato, "solem," vero "quis dicere falsum audeat?" ut Platonicus ait Maro; dixit autem divinus ille filius cum caecis hominibus solem ostenderet: "data est mihi potestas omnis" tam caelestis quam humana. Caelestem cum dixit divinam innuebat, quae quidem data omnis haud utique esset, si ea quae gignendi facultas est, negata esset. Verum cum altissimis de rebus agitur, cavendum in primis nobis est, ne, quod Plato ait, καθάπερ ἐν τριόδῳ γενόμενος, "ut qui in trivio est," in ancipiti simus. Triplex enim ad huius rei penetralia patet aditus. Ut gignendi potestas trifariam interpretari potest, ut Homericam Musam alia ratione Homerus canens, alia cantatus Achilles, alia rhapsodus assequitur et interpres, ut in Ione disserebat Plato. Scripsit siquidem duce Musa (ut aiunt) Homerus; Achilles vero non scripsit, sed scriptus est; interpres neque scribit neque scribitur, sed Musam intelligentia comprehendit, qua alter canit, alter cantitatur. Ita cum Filium gignendi potestatem habere dicimus, triplex sensus est: vel qua ipse gignat; vel qua ipse gignatur, vel qua simpliciter

---

1 rursus *om. A* 3 ac … aequabitur *om. A* | aliquo *A* 8 inter se] sensisse *ac. A* 11 ab *om. H* | altero altera *H* | re distinctum] redistinctum *ac. N1 A* 19 omnis] sunt *add. ac. A* 22 in … nobis] in nobis inprimis *ac. A*; nobis inprimis *pc. A* 23 est] sunt *add. ac. A* 31–308.1 vel … gignatur *om. A*

7–9 Parmenides … requirunt] Parm. 36 *N1 N2 V H* 16–17 si … Plato] 6 Reip. *MSS* 17–18 solem … Maro] Virg. *N1 V A* 22–23 cavendum … simus] 7 Reip. *MSS* 26–27 in Ione disserebat Plato] Ion *V A*l

5–6 sicut … olfacere] Iup. trag. 15.26 19 data … omnis] Mt. 28.18

aliquid gignatur. Primum est Parentis dumtaxat, secundum Prolis, tertium Amoris; omniumque commune primum gignendi principium dicitur, secundum non principium sed terminus potius appellandum est, licet eadem sit essentia. Quae omnia prius latissime disputata sunt. Ex hoc id etiam sequitur, quod Filius alterum generare non possit; potestatem enim habere dictus est qua ipse gignatur, non qua alterum gignat. Nec tamen minus omnipotens iudicandus est, cum eadem sit essentia praeditus, qua Pater et gignit et appellatur omnipotens. Quod vero gignere alterum filius non possit, non parum multa adduci possent, quibus haud obscure id confirmaretur. Primo quidem ex iis, quae sub eadem natura ac forma numerosa sunt obeuntia orientiaque. Horum principia sunt Platoni unum et multa, terminus atque infinitudo. Formam Aristoteles vocat quam Plato unum ac terminum nominat, quamque hic materiam, ille multa atque infinitudinem nominabat. Nec iure accusari potest, quod multitudinem subiecto, unitatem Formae Plato ascripserit. Forma enim ex se una est, neque quantum ad se attinet in multa discerperetur, nisi materiae id partitio faceret. Si igitur forma una ex se est nec nisi ex materia secatur in multitudinem, omnisque rerum multitudo sub eadem specie e silva materiaque consurgit, ut et Peripateticus in Metaphysicis, in Physicis, ubi de una omnium mente agit, late disputat. Unde igitur in ius citatur Plato quod unitatem non materiae, sed Formae tribuerit, si idem ipsi etiam sentiunt? An quoniam materia una est et Formae multae, vel Forma atque privatio duae sunt, idcirco materiae non multitudinem, sed unitatem dandam arbitrantur? Sed haec multitudo Formarum seu Formae atque privationis, eiusdem rationis non est, ut illa quae a materia proficiscitur. Forma enim humana et hominis ratio una atque indivisa in se est, dividitur secaturque, deinceps cum in diversis materiae partibus suscipitur, quem ad modum in vegete vinum unum est, cum tamen in alio atque alio poculo miscetur, in tot partes derivatur, quot fuerint crateres in quos infunditur. Forma etiam Alexandri una non alia ratione ducitur in multas, nisi cum alia atque alia pars aeris, argenti, auri, aut id genus materiae in Formae similitudinem caelatur. Constat itaque Formam de se semper esse unam, nec dividi aut scindi natura posse, nisi

---

5 quod] quae *praem. ac. A* 6 dictus est] dicitur *praem. ac. N2* 16–17 neque … est *om. N2* 21 iidem *H* 27 deinceps *om. N2.* 31 aut] atque *N2* 32 celatur *A H* | itaque] enim *A*

4 Solutio 1 *N1 N2 V A*; Solutio 2 *H* 7 Solutio 2 *N1 N2 V A*; Solutio 3 *H* 8–9 Quod … possit] Filius non potest filium alterum gignere. *MSS* 11–12 Horum … … infinitudo] Phil. 14 *MSS* 18–19 omnisque … Metaphysicis] 7 Metaph. *N1 N2 V H*

cum diversa materiae segmenta se subiecerint. Quod si ita res se habet, cum divinus Filius neque ex materia constet ulla, neque materiae ullius Forma esse possit aperte colligitur quod nonnisi unus esse possit neque alteram gignere prolem possit. Deinceps ex iis etiam idem persuaderi potest, quae tametsi materiam habent, ab unitate tamen non abeunt, ut mundum unum efficit Timaeus, quoniam ut paulo post meminit, est perfectus. Alia enim corporea, quae ex materia constant, corruptioni mortique obnoxia, idcirco multa ac numerosa sunt, quoniam nullum e singulis reperitur, quod omnes numeros perfectionemque omnem adipiscatur. At mundus quamquam ex materia constat, quia tamen ex tota constat, ac numeros implet omnes, absolutusque est, nulla ex parte mancus, ideo unus est, non multi, id quod Democritus, Epicurus, Lucretius somniarunt. Eadem ratio de sole, quod unus dumtaxat sit, de luna planetisque aliis est. Eadem et divino de Filio, in quo archetypus vivit mundus tanto hoc absolutior perfectiorque quanto incorporeus immortalisque Deus mole corporeae ac moribundae rei. Ea etiam quae a corporis commercio natura seiuncta sunt, in eadem natura nonnisi singula sunt. Mens enim, quae Saturni orbem agitat, alterius est naturae quam ea quae orbem circumagit Iovis; quod idcirco sortitae sunt, quoniam seiunctae plane a materia sunt, ex qua numerus pullulat atque multitudo. Quare tam duo divini filii esse possunt, quam divina substantia corporea esse potest. Quin non hoc modo, verum etiam id verum est, Filium alterum gigni non posse, non a Filio tantum qui non gignit, sed ne ab ipso quidem Parente, cuius munus est gignere. Nam si gignere est naturae opus, Pater natura gignit non caeca quidem aut bruta, sed cognoscente ac plane sapiente. Sapientiae autem proles Verbum est perfectaque imago intellectae rei. Ex iis itaque, quibus divinum Verbum ab humano dispescitur ad differt, quod modo proposuimus confirmatur. Dicebat iudicibus suis Socrates nihil scire sese, quod animus "clausus tenebris ac carcere caeco," (ut postea scripsit Maro) nihil sciat, eosque homines habendos esse insipientiores, qui sibi sapientiores videantur. Ut enim ii maxime aegrotant, qui in pernicioso morbo se sanos esse putant, ita illi desipiunt maxime,

---

2 ullius] ullius illius *A* 3 aperte … possit *in marg. N1* 4 prolem] esse *add. ac. N1* 10–11 quia … constat *om. V H* 16 corporeae] incorporeae *ac.A* | corporibus *A* 18 agitat orbem *tr. A* 20 a materia plane *tr. A* | atque] ac *V H* 27 humanis *H* 31 videantur] videbantur *ac. A*

5–6 ut … Timaeus] Tim. 146.150 *N2*; 146.105 *V H* 22–23 Filium … posse] Pater plures filios gignere non potest. *MSS* 28–29 Dicebat … sese] Apol. 15 *MSS* 29–30 clausus … Maro] Virg. *N1 V A*; *asteriscus N2*

qui in tanta hominum inscitia esse se sapientes arbitrantur. Cum vero non nulli quaesissent de Socrate, mentiri ne dii possent, negassetque id Socrates, quaesiere cur ab oraculo sapientissimus iudicatus esset, nihil sciret. Si enim sciebat, ipse mentiebatur, qui scire se negaret; si nesciebat, mentiebatur oraculum, quod maxime eum sapere praedicaret; immo quod est gravius, ex iis conficeretur oraculum omnino mentitum fuisse. Nam si non sapiens erat Socrates, apertum est mendacium; si autem sapiens erat, mentiebatur Socrates, qui nihil scire simularet sese. At, ut idem in libro de Republica dicebat, officium est sapientis non mentiri; osorem enim mendacii oportet esse philosophum. Quamobrem si mentiebatur Socrates, nec poterat philosophus appellari, nec sapiens, cum suo ipse gladio, quemadmodum dicitur, conficeretur. Constat igitur et Socratem sapientem non fuisse, qui manifestum mendacium dicebat, et oraculum mentitum fuisse, quod sapientem Socratem appellabat. Iis omnibus respondebat Socrates, neque se, neque oraculum mendacii vitio accusandum fuisse. Se enim de vera sapientia locutum fuisse, qua omnia exactissime cognoscuntur, oraculum vero de ea respondisse, quae quaedam sapientia dicitur; quae architecto, nautae, patrifamilias, imperatori tribui solita est, non quod omnia illi quidem norint, sed quod ea vel animadvertant vel agant quae in eorum actione desiderentur. Ita et Socratem sapientem oraculum dicebat, qui et humanam inscitiam nosset, et ea ageret, quae eius sapientiae ratio postulabat. Latius haec forte, quam par erat, ut divinae humanaeque tum sapientiae tum verbi ratio differentiaque cognosceretur, cum illa aeterna atque exacta omnium cognitio sit, haec nec aeterna nec exacta nec omnium animadversio dici potest. Primo itaque humanae mentis verbum, quia perpetuum aeternumque non est, tria patiatur necesse est: quod ab iis, quae sensu percipiuntur, fiat; quod ex inscitia oriatur; quod occidat in inscitiam. Si e sensibilibus fit, cum illa similitudinem menti imprimant, quot sensilia animadvertentur, tot animis similitudines ac tot verba concipiet. Multa itaque humana verba erunt. At divinum non e rerum multitudine, sed ex unica ac simplicissima Patris substantia gignitur; quare ex unica substantia in divina mente non nisi una imago substantiae illius esse debet, qua omnia et cognoscit et facit. Verba

3 nihil] si *praem. N2* 12 conficeretur] oraculum mentiebatur (13) quod *hoc loco inser. ac. N1* 12–13 sapientem] appellabat (14) … locutum fuisse (16) *inser. hoc loco ac. A* 20 desiderantur *N2* 23–24 differentiaque cognosceretur] cognosceretur, ac differentia *V H* 24 aeterna] externa *H* 27 quod] quia *H* 28 in *sl. N1* 28–29 menti similitudinem *tr. V H* 29 sensibilia *V H*

9 Republica … mentiri] 6 Reip. 3.10 *N2 V*

etiam nostra quandoque ex scientia, quandoque ex inscientia oriuntur, ut quoties quae prius ignorabamus postea discimus. Plura itaque verba sint oportet. Res enim eadem numero ex oppositis hoc modo numquam fit. At cum inscitia omnis procul a Deo arcenda sit, unum dumtaxat statuendum est Verbum, quod e Patris intelligentia exoriatur. Definimus quoque nos plerumque contemplari, somno, cibo, curis, actionibus, morbis, amicis, affectibus (proh dolor!) maximam sibi nostrae vitae partem vendicantibus. Quota enim portio nostra est? Certe raro nobiscum esse possumus; quod si quando forte id assequamur, statim agmina inruunt revocantium rerum. Haec me causa pepulit ex urbibus; haec in Pausilypi verticem, et Sirenum secessum duxit; haec ad agri Senensis traxit ilices; haec in Vulsinensium Lacum relegavit; haec denique in praeruptis Ciminii montis rupibus tot annos et abdidit et coercuit; ut salutis et contemplationis impedimenta fugerem, ac Deo inquam quam maxime fieri posset operam darem. Vix possumus in solitudine diu in mentis agitatione versari. Quid igitur in turba hominum fiet, ubi semper ferme aliis vacamus, nostri omnino liberi numquam sumus? Quod si in universa vita mentis cogitatio perpetua non est; alia hesterna mentis actio fuit, alia praeterea hodierna est; alia proinde actio verbum parit aliud. Quare ut multa inter se verba succedant, necesse est. Divina vero actio, quia perpetua est, semper, atque eadem, nullum habet quod extinguatur verbum, nullum quod deinde renascatur, nullum quod inde mortui locum sufficiatur. Adde quod cum aliquid ignoti contemplandum agredimur, prius animo diu quaerimus, postea vix tandem veram rei notionem adipiscimur. Priorem actionem cogitationem vocamus, quae rei similitudinem mancam atque imperfectum verbum concipit; actio vero sequens intelligentia dicitur, quae absolutum parit et simulacrum et verbum. Aliud itaque est hominis cogitantis, aliud intelligentis est verbum. Dei nonnisi unicum esse potest verbum, qui absolutissima intelligentia semper praeditus imbecillae cogitationis usum non habet. Denique nos multa quidem nosse possumus, multa simul contemplari non possumus. Idcirco multitudo similitudinum comparatur ab anima, ut veluti in diversa pictura res etiam diversas contemplemur. Atqui divina Intelligentia simul

---

6 contemplario (*sic*!) *A* 7 vitae *sl. A* 10 me] materia *H*; materiae (me *sl. pc.*) *V* 14 inquam] mihique *N1 N2 A* 16 Quid] quod *ac. H* 18 non *sl. A* 23 primus *H* 24 animo] animi *A*; omnino *H* 26 concipit] aliud itaque est hominis (27) *hoc loco inser. ac. H* 29 *tr. N2* 32–33 pictura *in marg. N1*

7 dolor] *asteriscus N2*

universa inest Deo, nec prius hoc, ac postea illud, novit, sed uno simplicique obtutu omnia; unum itaque verbum tantum habet, unam suae substantiae imaginem, unum quam mentis intelligentia gignit Filium, quam Plato Boni ideam nominabat, hoc est, perfectam divinae naturae similitudinem. Id non omiserim, unitatem laudi, multitudinem vitio dari, et ab Aristotele et a Platone dari consuevisse. Quod si divina omnia optima sint, necesse est unam dumtaxat posse divinam esse Prolem. At vero si hanc atque superiorem sententiam vexes, quod eisdem rationibus conficietur ut ne plures quidem personae esse possint, in cassum conaris atque ut Theognidis verbis utar, σπείρεις πόντον, 'pontum seris.' Duplex enim invenitur multitudo indigna Deo: altera rerum plurium incorporearum quae concretum facerent; altera eandem speciem in materia participantium, quae etiam mortem adsciscerent. Duplex rursus multitudo est, quae Deo non modo convenit, sed quam dignissima est: altera innumerabilis copia formarum atque perfectionum sola ratione differentium, quae quamquam unum in eo sunt, ut tamen prius docuimus, nostra intelligentia multa sunt; alter est personarum numerus, quae etsi res una sunt, fit tamen quadam divinae naturae praestantia, re inter se distinctae ut sint, quod per ea quae ad aliquid sunt efficitur. Cum itaque alter Filius gigni non possit, sicut Filius est genitus non quidem a Filio, in quo id non est quod ad aliquid dicitur gignenti necessarium, nec rursus a Parente alter edi Filius possit, cum quem genuit universam substantiam comprehendat. Iam igitur ita gigni, quemadmodum genitus Filius, non posset; nec item ut formae atque perfectiones quae in Deo sunt; ingenitae enim illae quidem sunt. Quapropter ad duas posteriores multitudines cum non pertineret, ad damnatas superiores vergeret vel rerum plurium vel etiam morientium. Hinc Minervam prisci finxerunt et absque matre genitam fuisse, ut rerum multitudinem tollerent, et de Iovis intelligentia, ut nullam corporis suspicionem relinquerent. Cumque Iovis filios de matre genitos numerare sit fere innumerabiles, unam dumtaxat editam absque matre legimus, quae quidem quando inter ea quae gignuntur summam

1 hoc *om. A* 1–2 simplicique] ac simplici *A*. 2 tantum habet] *tr. N2* 5 dari *eras. N2* 7 At vero] atque *A* 9 ne quidem plures *tr. A* 10 σπείρεις πόντον] *litterarum Graecarum inserendarum causa lacunam rel. V H* | pontum] portam *H* 15 differentiam *H* 17 sint *V H* 18 re] ut *praem. ac. N2* 24 enim *om. V H* 30 numerare] numerate *ac. N1 A*

4 nominabat] 6 Reip. 40 *N1 V A*

10 ut … seris] Eleg. 1.105

obtinet et lucem et claritudinem, sola Ulixi ab Homero iungitur, a qua ille et splendorem et gloriam adipiscatur. Ita enim ad Telemachum dicitur: ἦ τοι καὶ πατέρ᾽ ἐσθλὸν ἐν Ἀργείοισιν ἐτίμα. ἀλλὰ ἄνασσ᾽ ἵληθι, δίδωθι δέ μοι κλέος ἐσθλόν, "Minerva," inquit, "optimum patrem inter Argivos honorabat. At tu, regina, mihi et propitia esto et gloriam largire." Hanc lucem vetera Haebreorum vaticinia cantabant mortalium animis e coelo illucescentem atque eisdem gloriam afferentem. "Surge," inquit Esaias, "Hierusalem ac lucem excipe; venit enim Lumen tuum, Deique gloria super te orta est." Eadem in Novae Legis initio scripta reperies, "Erat," inquit, "lux vera, quae omnes illuminat"; ac statim gloriam addit, "gloriam unigeniti a Patre," ut miseros perpetuo se futuros sperent illi, qui lucem, qui gloriam ex mundo hoc secundo atque obscuro requirant, ab unigenito illo, in quo lux melioris fulget mundi, non requirunt, ut qui nesciant lucem ac gloriam non aliunde peti posse, quam ab eo Filio, qui de Deo parente editus est unigenitus atque unus.

1–2 a … adipiscatur *om. N2* 2 enim *om. A* 14 ab eo] adeo *ac. A*

2 ad Telemachum dicitur] Ody. Γ *N1 V A H*

3–4 … ἐσθλόν] Od. 3.379–380 7–9 Surge … est] Isa. 60.1 9–11 Erat … Patre] Io. 1.9

DISTINCTIO VIII

86. *Esse Deo maxime convenit*

Parmenides apud Platonem cum de Uno ageret (hoc enim nomine appellabat Deum), cum de divinis arcanisque rebus ad divinam pertinentibus naturam subtilissime obscurissimeque disputaret, id minime obscure praedicavit, id unum, quo de ageret, non esse. Quo fit, ut aut in eo libro de Deo non disputetur, cui opinioni nemo interpretum consentit, aut fateri oporteat non esse Deum, ipsumque esse, quod Deo maxime imprimisque tribuere solemus, Deo tribui haud quamquam debere. Praeterea si demus Deum esse, aut esse dabimus aliquid quod sensu, aut quod mente comprehenditur. Sensu quidem nemo Deum aspicit: omnem enim sensum superat, quippe quem nec oculi nec aures assequuntur ut divorum principes docent; nec rursus mente intelligitur. Divus enim Dionysius negat Deum quicquam esse earum rerum quae intelligi possint, aut (ut eius verbo utar) intelligibiles vulgo nuncupantur. At si ita res se habet, quid tanta aut disputamus aut scribimus de Deo, si adhuc verum sit non esse Deum? Profecto quisquis de divinis ageret, omnibus illis proverbiis obnoxius esset, ut Aristides inquit εἰς πῦρ ξαίνων καὶ λίθον ἔψων, καὶ σπείρων τὰς πέτρας, "ignem verberans, laterem lavans, saxa serens." Obeundum itaque primum est nobis, quod est Theologorum praecipuum munus enucleandi distinguendique quae ambigua dubiave sunt. Solent id agere aliae disciplinae nonnumquam haec: nostra regina id semper factitet necesse est. Nam Arithmeticus numerorum, Geometra mensurarum, Philosophus naturarum ac rerum natura existentium nominibus utitur, quae cum e suorum generum septis, non exsiliant, aut omnia certa, aut quam paucissima sunt ambigua. Genus namque ambiguum

---

4–5 naturam pertinentibus *tr. A* 5 obscure] obscurere *ac. N1* 6 de quo *tr. H* | Quo] qua *ac. N1*; non *A* 7 non *om. H* 9 Deo tribuere solemus *tr. A* 11 enim] quippe *N2* 12 assequentur *H* 13 rursu (*sic*!) *N1 A* 16 tanta] autem *praem. ac. A* 20 praecipuum] principium *corr. in marg. N1* 23 geometria *N1 V A H*

6–7 in … disputetur] Parm. 40 *N1 N2 V A*

18–19 ut … serens] Plat., Jebb ed., p. 230.9

non est: scientiae aliae unius generis sunt. Quare parum cum ambiguis luctandum est illis. At princeps haec sapientia ad id animadvertendum assurgit, quod nullo in genere est, quodque, ut Platoni placet, nominari non potest, suis, uti ego intelligo nominibus. Quam ob rem divinas res tractaturi, divinorum inscii nominum ad humana confugimus; et quoniam sapientiam, mentem, bonitatem, voluntatem, esse, essentiam, atque alia id genus advertimus in nobis, idcirco eadem etiam Deo damus. Ac res quae eaedem non sunt, eisdem passim nominibus appellamus. Quid enim commune habet sapientiam mortalium cum divina? Quid divina vita cum mortalibus? Nihil quippe commune rationis eiusdem mortalibus immortalibusque Aristoteles esse arbitrabatur. Quocirca quaecumque divinis de rebus suscipitur institutio, quicquid de iis scribendum dicendumque sit, nisi quasi per transennam pretereuntes strictim aspicere velimus, prima nobis adversum nominum tenebras obeunda est pugna, solvendique ambigui nodi sunt, qui veluti δεσμοὶ Τυῤῥηνοὶ mentem, ne ad verum aspicendum properet, vinciunt, impediunt confundunt. Uno itaque modo aliqua esse dicimus, quae in praesenti existunt tempore quem ad modum ea esse negamus, quae modo non existunt, ut Iulium Secundum Pontificem Maximum [d. 1513], et Maximilianum imperatorem [d. 1519] nunc esse dicimus, Alexandrum Sextum [d. 1503], et Federicum Regem Neapolitanum [d. 1504], qui paucis prius annis periere, non esse intelligimus. Hoc esse praesenti in tempore negat Plato tribuendum esse Deo, quem ut fuisse aut futurum, ita etiam et esse pernegabat. Sunt enim hae temporis et rerum earum partes, quas tempus vel amplectitur vel metitur. Tempus enim falx mortis dici potest, qua illa omnia mortalia secans metit. Caelum enim primum, quem Saturnum appellant, spectatores allicit, cursu, aeternitate, luce; si persuadet, necat beaturus, si non persuadet, obtruncat ulturus. Si itaque indignum est Deum his temporis malis subesse et in tempore et proinde praesenti in tempore hac ratione dicendum est non esse dicitur et esse rursus quod singulis generibus inest proprium. Aliud est enim esse homi-

---

7 eadem etiam] *tr. V*; eadem esset *ac. A H* 7–8 Deo … res *in marg. H* 11 esse *om. H* 13–14 strictim] scriptum *A* 15 nodi] noti *A* 17 modo] modi esse *N1 V A* 17–18 existunt] existente *A* 19–20 Maximilianum] *signo pennae depictae hic locus maximi momenti esse indicari videtur. N2* 22 periere] perimete *A* 23 tribuendam *H* 24 et] *inseritur super linea N2* | prenegabat *A* | haec *N1 V H*; et *A* 25 quas] quasi *A* | falax *A* 26 secans] scenas *A* 27 luce] lucet *H* 28 si *iter. H* 30 hac] ac *A* 31 enim est *tr. H*

3–4 quodque … potest] Parm. 40 *MSS* 10–11 Nihil … arbitrabatur] 10 Met. *N1 N2 A*; 7 Met. *V H* 22–24 Hoc … pernegabat] Parm. *N1 V A H*

nis, aliud cypressi, aliud adamantis, aliud telluris, quorum suum quodque sortitur esse concisum contractumque ad generis metas sui. Sed neque hoc pacto esse Deum placet; ut enim ipsum pulchrum in Hippia et in Phaedone, non hoc pulchrum ipsum bonum in Phaedone et in Republica non hoc bonum, ita in eadem Republica ipsum ens non hoc ens dicitur. Sed id et a materia et a turba et a singulis absolutum seiunctumque per se pulchrum, per se bonum, per se ens procul ab eo quod ipsum non est et existit et micat, sicut de humanitate dici solet, quod nec est Scipio, nec Hannibal, qui humanitate homines sunt, sed ipsa per se essentia hominis. Ita Deus neque hoc, neque illud esse dicitur, nec ullum quod alicuius sit generis ipsum per se esse quod omne superat et antecedit genus. Est et tertia acceptio rei huius, cum esse non contracte, sed simpliciter absoluteque capitur pro eo quod generibus omnibus commune, diciturque de omnibus ut ens in universum acceptum: de omnibus cum rebus, tum generibus enunciatur. Sed neque hoc divinum est; esse enim hoc, Averroe teste, mens ipsa per se efficit, cum per singula vagata, universa atque communia colligit. Hoc enim esse est per quod alia sunt, quod alia participant, quod alia complectitur. Hoc tamen non est, quo Deus sit, non quod Deus participet, non quo complectatur, quin potius ipse id largitur ipse, ut id omnia participent facit, ipse id est continet et complectitur. Denique esse intelligi potest quod per se est, ut veluti per se iustum, per se pulchrum, per se bonum, non hoc aut illud, ut paulo ante diximus. Ita per se esse intelligamus quod est non temporis, non generis ullius, non commune, nostra intelligentia factum, sed per se ipsum existens, aliis omnibus, ut sint fons atque origo. Atque hoc esse est quod Deo maxime proprieque convenit; tum quoniam nulla prorsus res alia id obtinet; tum quoniam ita ipse id obtinet, ut sit cum essentia idem. Quare proprium Deo ita est, non sicut suum cuique rei esse, sed multo vel familiarius vel coniunctius; vulturis enim esse etsi proprium est vulturis ita tamen est proprium, ut a vulturis essentia sit distinctum. Divinum vero illud sacratissimum ita proprium Deo est, ut ab essentia distinctum non sit, nec aliam Deus essentiam habeat, quae

---

5 ens] est *A* 6 id] quid *add. ac. N1* 9–10 per … hominis] essentia hominis per se *tr. H* 16 esse … hoc esse hoc enim *N1 A* 18 complectuntur *H* 27 ipse] esse *A* 28 Deo ita ita Deo *tr. V H* 29 sed *sl. A.* 30 est] sit *V H*

3–4 ut … Hippia] Hipp. ma. 14 *MSS* 4 et in Phaedone] Phed. 32 *MSS* | non … Phaedone] Phed. 63 *MSS* 4–5 in Republica non hoc bonum] 6 Reip. 36 *MSS* 5–6 Republica … ens] 5 Reip. 52 *MSS l* 16 Averroe … efficit] 1 de anima *MSS* 25 Conclusio 1 *MSS*

ipsum esse non sit. Quare esse et Deo congruit, et proprie congruit, ac longe et pressius accommodatiusque, quam rebus aliis congruere soleant quae propria illis peculiariaque appellitantur. Sequitur ex his quae diximus, quod divinum esse mundi rerumque omnium, quae mundo continentur, esse sit, non quidem esse haerens coniunctumque rei, sed ut efficiens causa, atque ut forma, quam archetypam exemplarque nominamus. Si enim fons est, ut diximus, unde omnia alia et fluunt et manant, iam satis apparet id dici esse omnium, quod est omnium causa, uti in Physicis Peripateticus caeli conversionem vitam esse rebus decernit, quod mortalibus vitam participantibus causa est, ut vivant, cum etiam mente sapientiaque agat Deus quicquid agit. Apparet ex Metaphysicis Aristotelis, et passim ex Platone, ideam exemplar in eo statuendum esse, quod sapientia menteque acturum sit. Atqui idea idem cum essentia, essentia idem cum esse est. Divinum itaque esse et veluti efficiens causa et veluti exemplar est omnium aliarum esse rerum. Efficitur quoque ex iis quae diximus, nomen id, quod Moisi aperuit Deus, esse convenientissimum Dei nomen. Appellavit namque tunc Deus, "qui est." Nam si nomine essentiam significari oportet, divinaque essentia divinum sit esse, quod divinae essentiae solius est proprium. Nomen igitur hoc quam accommodatissimum existimandum est. Alia etiam nomina modum quemdam divinae naturae potius quam naturam substantiamque significant, ac propterea nos ducunt non ad universam substantiam, sed ad aliquid, quod in substantia reperitur, intelligendum. Hoc vero nomen non modum aliquem, vel aliquid quod in Deo contractum angustumque sit, sed ipsum universum substantiae pelagus, ipsam immensam essentiae altitudinem ostendit. Adde quod hoc nomen id indicat, quod est praesens. Futura enim ea dici solent, quae nondum nata sunt, de quibus a Marone dictum est, quod "mens ignara futuri" est. Fuisse etiam quae amplius iam non sunt, ut "Fuimus Troes." At Deo cuius est aeternitas, ut statim docebimus, maxime esse praesens convenit, cum aeternitas tota semper praesens sit, neque abeunti praetervolantique parti instans sequensque pars succedat, id quod est temporis initium. Praesentia namque Deo omnia semper

3 his] iis *A* | quae] quod *N2* 4–5 mundi … sit *in marg. A* 7 omnia … et] alia omnia et *tr.V H*; et omnia alia *tr. A* 13 Atqui] atque *H*; atq *abbr. N1 V A* 17 tunc *sl. A* 21 ac] at *A* 23 reperitur] sit *N2* | intelligendum] est *add A* 28 iam] *om. A* 29 sunt] est *corr. in marg. N1* 30 cum … sit *om. V H* 31 praetervolantique] p'r volantique *abbr. N1 V A*; potest, volantique *H*

3 Conclusio 2 *MSS* 8–9 uti … decernit] 8 Phys. *MSS* 11 Apparet ex Metaphysicis Aristotelis] 7 Met. *MSS* 15 Conclusio 3 *MSS* 28 mens … futuri] Virg. *N1 V A*

sunt, quod quidem tam de aeternitate, quae sua est mensura, quam de iis quae tempore et agitantur et fiunt, verum est. Quare cum Timaeus et fuisse et futurum esse Deum negasset, hoc modo tamen quo diximus, addit aeternae rei esse convenire. Ait enim ita: "erat namque et erit, quae nati temporis species sunt, aeternae substantiae haud plane conveniunt: dicere quidem et ea consueverimus est, erat, et erit," τῇ δὲ τὸ ἔστι μόνον κατὰ τὸν ἀληθῆ λόγον προσήκει, "ast illi vera ratione est dumtaxat convenit." Haec Plato. Quid? quod esse actus essentiae est, ut obtutus oculi, auscultatio auris, earum potestatum quae in sensoriis iis reperiuntur. In aliis itaque licet esse sit actus, nomen tamen rerum esse non potest. Tum quod nomen ex essentia ducendum est. Tum quod non solum esse in illis est, verum etiam essentia tamquam antecedens potestas mixta est. At in Deo, ubi, uti docuimus, nulla potestas torpet, non alia quam esse essentia est. Iccirco nomen hoc non modo essentiam dicit, verum etiam ea luce beatam dicit, ut actum lumenque coruscum esse praedicet, potestatis tenebras abesse manifestet. Quare hoc Lucis nomen eloquuturus Deus, flammam in rubo ardentem ostendit prius, ut cautus ille factus Legislator uti lucem cernebat oculis, ita animo conciperet nil se nisi lucis nomen auditurum; et quoniam inter omnia nomina sacratissimum obtinet locum, ideo accessurus ad oraculi locum nudis ire pedibus iussus est, quasi commonefieret, ut nonnisi nudo purgatoque animo nomen excideret, quo nudum purumque actum ab omni potestate seiunctum indicaretur. Denique non modo aptissimum, verum etiam primum inter divina nomina id esse statuimus; nec obstat quod Plato secus sentire quandoque videatur, quippe qui quandoque Boni, quandoque Unius nomen, id in Republica, hoc in Parmenide attollere et plane anteferre videatur. Nam cum voces sint earum significationes affectionum, quae in animo sunt, sicut Philebo placet et etiam Aristoteli, qui vel voces primi adinvenere et nomina rebus imposuere, mente prius res cogitaverint cognoverintque oportuit, ut de earum vel naturis vel functionibus aptas ducerent appellationes. Si itaque de divinis nominibus loquamur, eo sese habeant modo convenit, quo ad nostram se mentem habet Deus. Habet autem sese Deus

---

1 quod] quae *H*; non *A* 2 iis] his *A* 3 quo] quod *A* 8 essentiae actus *tr. A* 12 tamquam] velut *A* 13 uti ubi *tr.A* 14 nomen] est *add. A* 15 lucem *A* 16 Lucis nomen] nomen Lucis *tr. N2* 28 sicut] ut *A*; sicut in *H*

2–3 Timaeus … negasset] Tim. 65 *N1 V A H*; Tim. 165 *N2* 23 Conclusio 4 *MSS* 25 quandoque Boni] 6 Reip. *MSS* | Unius nomen] Parm. *N1 V A* 27–28 cum … placet] Phil. 40 *N1 N2 V A*

6–7 … προσήκει] Ti. 37e–38a

ad mentem haud secus atque ad res alias. Est enim, teste Aristotele, in trium causarum genere constitutus, agentis, formae, ac finis, adeo divinitati peculiaris est Trinitas. Actio namque gignendi Parentis est, verbum mentis intelligentis est forma, Finis denique ac bonum idem, quod quidem Amori omnium consensu tributum est. Si itaque Deum contemplemur qua mentem humanam agnoscendus movet, cum primum quod mens apprehendit sit id quod est, ut Avicenna docuit, atque in omnium aliorum nominum ratione ens intelligatur, non contra, manifestum est hoc pacto in cognoscendi ordine id, quod est, primum tenere inter divina nomina locum. Si autem qua forma est inspiciatur Deus, vel in se ipso, vel in nobis id erit. Si in se ipso, cum forma sit omnium simplicissima et quae scindi in plura unde componantur non possit, ideo unius nomen sortitus est, quod secundas obtinet partes post id quod est, cui solam divisionis ac coagmentationis negationem adiecit. Si vero qua nos aspicit animadvertatur, vel ut forma contemplantium; tumque Veritas dicitur, ut amantium finis, ac tunc vendicat sibi Boni nomen. In hoc itaque animadvertendi ordine 'Id quod est' prima tenet spatia, quod quidem in mentem consideratricem irrumpit primum. Proximum est Unius nomen, quod adiicit quidem superiori nomini, sed solam negationem. Sequitur deinde Verum ac Bonum, quae non negationem, sed ad alterum. Siquidem contemplationis lumen alterum, amorum laetitiam praesefert. Ordo itaque duplex accipi potest, causarum et cognitionis: prior ordo Bonum praeficit nominibus omnibus; nam finis causarum est princeps, Bonum autem ac Finis idem, alter vero ordo, quia illud quod est primo cognoscimus, id quod est primo statuit loco. Hic vero ordo nomina proxime per se spectat; superior autem non nisi de longinquo, cum ex eo, quod res novimus, nominibus atque appellationibus vocitemus. Quas ob res iam satis liquet, quid sibi Plato voluerit, cum unum in Parmenide, ubi de divina essentia, cum Bonum in Republica nominat, ubi de fine humanarum rerum, quo omnis mortalium cura, omne prorsus tendere debet studium, ad optimi nimirum intelligentiam, quae neglecta caecitatem ac miseriam, parta lucem atque beatam affert vitam. Addo nos non modo

---

1 Aristotele teste *tr.V H* 2 adeo] a Deo *N1 V A H* 5 consensu omnium *tr.A* 7–8 aliorum omnium *tr. A* 8 ens *iter.ac. H* 9 ordine] homine *ac. A* 12 scindi] sciendi *N1* 13 sola *A* 16 ut] vel *praem.N2* 17 ordine] nomine *praem. ac.* 40 19 adiici *V A* 20 non] ad *ac. H* | ad] in *V H* 21 Siquidem] quidem *H* 24 Bonum] boni *praem. ac. A* | altre *H* 24–25 quia … loco *om. H* 25–26 per se spectat proxime *tr. A*

28–29 cum … essentia] Parm. *N1 V A* 29 Bonum … nominat] 6 Reip. *N1 V A H*

Deum ipsum, qua Bonum summum est, quaerere; verum etiam eius et aspectu et contemplatione delectari. Quae quidem pulchri definitio est. Ideo Plato in Symposio et Phaedro nec Boni, nec Unius, sed Pulchri dumtaxat nomen usurpavit. Boni etenim nomen et Liae Hebraeae convenit et Graeco Socrati, quod illa celeri fecunditate liberos viro pareret, ille matrem imitatus bonis cum iuvenibus ad scientiam virtutemque pariendam obstetricis officio fungeretur. Bonus igitur Socrates, bona Lia, nec tamen pulcher Socrates Alcibiadi, nec pulchra Lia viro circumvento visa est, immo vero hanc vir cum primum aspexit, ut Lippam et visu parum honestam contempsit; illum Alcibiades, Satyris silvestribus rudibusque comparavit. Formosam etiam habuere et Graeci Helenam post errorem, et Haebrei ante emendationem Magdalenam; sed nec illam probam vocavere cum Phrygii pastoris consuetudine accusaretur, nec hanc antequam divini pastoris gregi asciscerétur. Quo fit ut alia ratione pulchrum, alia bonum aliquid dicatur. Bonum namque id est quo tendimus, pulchrum id cuius obtutu delectamur. Quod si causarum respexerimus ordinem, Boni nomen ducit acies, quod proxime deinde Pulchrum sequi solet. In altero vero ordine, qui magis ad rem facit, id quod est, sive ens, sive esse, sive essentiam, quae Platoni eadem plane sunt, primo constitui oportet loco. Quod quidem entis nomen absque aliis intelligi potest, absque eo intelligi nihil omnino potest, ut ex Sophista et libro de Republica nosse licet. Quare quod est maxime ac primo Deo convenit, qui essentia quaedam est formaque simplex a suo esse non distans. Materia autem non esse dicitur, quoniam ex se nullum habet esse, nullamque nativam suae naturae formam, media vero inter primam Formam, quae est ens, primamque materiam, quae est non ens, sunt mixta ex participatione entis ac non entis, cum ex forma perfecta et materia ut essentia imperfecta concreta sint. Quam ob rem aut non esse dicenda sint, ut Timaeus ait, aut certe non potius esse, quam non esse, similiaque sunt omnia puerili aenigmati, quod in Republica recensuit Plato. Id autem est quod vir non vir, videns non videns, percussit non percussit, lapide non lapide, avem non avem, in arbore non arbore, hoc est, eunuchus Luscus alam vespertilionis in

4 nomen *sl. A* 13–14 consuetudine … pastoris *in marg. N1* 20 nomine *H* 21 omnino nihil *tr.A* 24–25 formam naturae *tr.H* 26 est] non *praem. ac. A* 29 puerili *om. H* | aenigmati] *duo verba antecedentia lnp. H*

3 in Symposio] Symp. 68 *MSS* 20–21 entis … Sophista] Soph. 70 *N1 N2 A*; Soph. 7 *V H* 21 et … Republica] 5 Reip. 52 *MSS* 28 non … Timaeus] Tim. 27 *MSS* 28–30 certe … Republica] 5 Reip. 54 *MSS*

sambuco sedentis pumice percussit. Cui quidem ioco omnis mortalium sermo similis est, quo humana esse asseverantur, cum tamen ratio ostendat ea tam non esse, quam esse, ac Deum ita esse, ut nullo pacto non esse, et solus dumtaxat esse dicendus sit. Qua ex re proverbium Marci Varronis, quod homo bulla est, non modo de homine, verum etiam de humanis omnibus, quod sint plane nihil, verissime comprobari sentio. Nec non et illud Pindari, τί δ' οὔ τις; σκιᾶς ὄναρ ἄνθρωπος, quis autem aliquis? quis autem nullus? umbrae somnium homo. Quam aperte poeta prudentissimus et umbrae somnium et nihil esse hominem canit! Quod si natura ita comparatum est, uti homo sit nihil, quid si vitia ad naturam accedant, quae labefactant corrumpuntque naturam? Tunc plane nihil homo efficitur, quod sublata ratione procul a Deo exulat, de quo divus Apostolus ait, quod sine ipso factum est nihil, cum solum esse constiterit aut Deum aut eum, qui cum Deo haereat ut ferrum igni, unus cum Deo (ut idem testatur) Spiritus evadit.

87. *Aeternitas Quid Deo Tribuitur? Quomodo Unius Dei Est? Quomodo aliorum? De Unitate et numero, Pythagora, et carnium abstinentia*

Indixit cum gigantibus bellum Deo is, qui divina rebus aliis tradit, aeque atque is qui divina esse non putat. Utrumque Peripateticus videtur moliri, cum vel creati orbis auctoritatem Deo eripit, vel aliis asciscit rebus aeternitatem. In Physicis namque, in eo libro qui De caelo inscribitur, in libro etiam De generatione, in Metaphysicis, et ne omnia numerem, ubique caelum mundumque origine ortuque carere atque aeternum esse arbitratur. Sed quid Peripatetico succensemus? Nonne Timaeus apud Platonem qui mundum genuit, quaedam enumerat, quae mundi ortum praecississe velit? Idemque ut haec initio caruisse, ita alia pleraque fine caritura esse defendit, ut animos humanos, ut eos quos Deorum Deos vocat. Definiemus primo ex Platone aeternitatem, interminatam in unitate per-

---

1–4 Cui … sit] *Haec sententia asterisco notatur. N2* 3 ita] vita *ac. N1* 13 sine] sit ne *A* | solum] secundum *H* 20 atque] ac *V H* 21 Deo auctoritatem *tr.H* 26 quae] qui *A* 28 ut] et *A*

22 In Physicis] Phy. 8 *MSS* | De caelo] Coe. 1 *MSS* 23 De generatione] De gen. 1.82 *N1 N2 V*; De gen. 1.2 *A H* | in Metaphysicis] Met. 12 *MSS* 25–27 Timaeus … velit] Tim. *V A*

6–8 et … nullus] P. 8.95–96

manentiam appellantes; quae enim terminum habet vel ortus vel occasus, aeterna non sunt. Ut ex ea partitione Timaei discere est; ait enim, τί τὸ ὂν ἀεί, γένεσιν δὲ οὐκ ἔχον, καὶ τί τὸ γιγνόμενον; "quid est quod semper est, ortum quidem non habens? quid autem id quod factum est?" Quo in loco ortum habentia vocat quae etiam interitum habent; paulo namque inferius adiecit, δοξαστόν, γιγνόμενον καὶ ἀπολλύμενον "quod opinione comprehenditur gigniturque atque interit." Quae itaque terminum habent ortus atque occasus, aeterna non sunt. Additur deinde permanentia; nam quaecumque fluunt, ut motus aut tempus, etiam si semper essent, aeternitatem quidem non haberent, sed quandam aeternitatis imaginem. Quis enim eam rem aeternam vocat, cuius nulla pars est, quae non praetervolet, quae non abeat, quae non et oriatur et occidat? Licet enim totum termino careat, nulla tamen pars est, quae non ortus occasusque terminis, hoc est initio fineque claudatur. Haec itaque aeterna iccirco non sunt, quod nec perstent, nec permaneant, sed semper pars parti sufficiatur ac fluat. Quare et permaneant oportet, et tota simul sint, quae vere aeterna futura sint. Sed neque satis est interminata rerum permanentia, nisi in simplici unitate consistat. Quae enim aliquid essentiae adiectum habent, perfectum inperfectumque mixtum habent, terminum et infinitatem, ut Philebus docet, esse atque essentiam; aliudque in iis est esse, aliud id cuius esse illud est, ut de essentia in Parmenide Plato disputavit. Dii itaque alii, qui a vere aeterno Deo effecti sunt, aeterni existimandi non sunt; licet terminum vitae non habeant, ut mortalia, neque terminum partium, ut fluentia, terminum tamen constitutionis sortiti sunt. Esse siquidem, quod commune ex se ipso est, in hoc vel in illo receptum recipientis lege terminatur. Quam ob rem cum esse ab essentia, aut ab eo quod est, distat, a ratione cadit verae aeternitatis, quae neque terminum, neque imperfectum, neque ullam omnino distantiam admittit. E tribus itaque, quae in aeterni ratione desiderantur, unum iam prius e Platone monstravimus; alia ex eodem quoque monstranda sunt. Ita enim eodem in libro ait, ποιεῖ μένοντος αἰῶνος ἐν ἑνὶ κατ' ἀριθμὸν ἰοῦσαν αἰώνιον εἰκόνα, "fecit Deus manentis in unitate aeternitatis fluentem in numero aeternam imaginem." Hic

9 nam] non *H* 12 non] ortus occasusque *add. ac N2* | abeat] habeat *A* 16 ac] et *H* 26 lege] longe *H* 29 E] ex *A* 30 uno *N2* 32 manente *A* 33 in numero] *iter. ac. H*

21–22 ut … disputavit] Parm. 43 *MSS*

2–3 … γιγνόμενον] Ti. 27d 6 ἀπολλύμενον] Ti. 28a 31–32 … εἰκόνα] Ti. 37d

geminae, quae in definitione desiderantur partes, exprimuntur, permanentia in unitate; ostenduntur etiam quae diversa sunt, ut fluxus, ut numerus. Potest et haec aeternitatis definitio haberi tota, si permanentia duo auferat, tam quod incipit aut desinit, quam quod fluit; utrumque enim terminos habet, continuamque atque integram ac perseverantem existentiam non habet. Quod si qua essent, quae existendi finem non haberent, permanerentque perpetuo, nisi in unitate consistant, vere aeterna habenda non sunt; perfecte enim non permanet quod aliquid imperfecti sustinet, quoad perfecti desiderium sollicitetur. Ob hanc itaque aeternitatis exactam perfectamque naturam significandam, quae in unitate sita est, velut in ultima tantae rei differentia, liber, qui de divinis apud Platonem inscriptus est, non alio titulo quam De Uno inscriptus est. Quare aeternitas quaedam absoluta est, quam unus habet Deus, quaedam participata est, quam dii secundi humanaeque animae sortitae sunt, quae quidem nec vitae termino, nec molis partium numero offenduntur. Est et tertia non quidem aeternitas, sed, sententia Platonis, aeternitatis imago, quae ab unitate ac firmitudine numero fluxuque distrahitur. Tres itaque sunt aeternae rei partes, quod immortalis sit, quod simul tota, quod una. Deus omnia possidet, aeternusque propterea imprimis habendus est. Dii atque anima, quod immortales integrique sunt, imaginem habent aeternitatis et firmam et constantem. Motus ac tempus nec aeternitatem, nec consistentem imaginem, sed lubricam, euntem, ac fluidam. Sunt etenim genera rerum quattuor, obeuntia, fluentia, immortalis numerus, immortalis Unitas, ut plantae, motus, mentes, Deus. Aeternitatis essentia Deo uni tribuitur, in quo tres aeternitatis partes coierunt: cum dicitur 'interminata' obeuntia exploduntur; cum dicitur 'permanentia' expunguntur quae fluunt; cum additur 'unitas' mentium genus aliaque immortalia ab aeternitatis limine submoventur, quae in numero sita a solida omnimodaque unitate deficiunt. Quare Pythagoras veterum sapientissimus habitus apud Crotoniatas omnia ex numeris constare asseverabat quae natura consistunt, ut sacram unitatis in Deo simplicitatem, deficientem in aliis, concretamque multitudinem ab aeternitatis apice fugientem ostenderet; eosque numeros venerabatur magis, quos et simpliciores et unitati viciniores inveniebat. Quare in Aureis Carminibus, quae vel Pythagorae

6–7 Quod … haberent *om. V H* 8 habenda *om. A* | perfecte … permanet] quod enim non permanet perfecte enim non permanet *ac. V H* 13–14 unus … quam *om. H* 19 propterea] praeterea *H* 30 Crotoniates *N1 V H*; Crotoniades *A*

29 sapientissimus *asteriscus N2*

sunt vel certe Pythagoream referunt disciplinam, deos heroasque venerari iubet, quod genus et mentium et praestantium animarum maxime ad divinam accedat unitatem. Hinc vulgata hominis sententia nata est, a carnibus temperandum haud secus atque a sacris animarum domiciliis; ac quem ad modum a templis laedendis non murorum, sed Dei habitatoris gratia abstinemus, si quis contra ausit, religione teneri ac piaculo credimus, ita ille animas omnes immortales ratus, a carnibus ut a sacri numeri aedibus abstinendum arbitrabatur. Quod eo consilio agebat studiosius, ut delicias spernere, voluptates contemnere, animam excolere, et quam maxime fieri posset, Unitati coniungere hymnis, sanctimonia, pietate homines assuescerent. Ut enim voluptatis salo mergitur animus, ita temperantiae velis erigitur excitaturque, ut numerum Unitati proximum se esse animadvertens omne studium, curam, diligentiam in imitanda assequendaque Unitate collocet, nec contenta immortalitate ipsi etiam aspiret aeternitati, quae cum in eminentissima Dei Unitate fulgeat, iis solis velut ambrosia propinatur, qui a concretiore numero corporeae rei abiungentes sese expeditos se reddiderint, ut queant et attingere ad unitatem divinam et "epulis accumbere divum." Hanc quippe unitatem pietate et contemplatione comparandam innuunt Evangelia, quae Unum necessarium esse clamant, hoc est, ut anima pietate Unitati in terris vacet studiosissime, ut beata unitate in sideribus felicissima fruatur, ubi, ut Hymni Sacri testantur, et ubertate domus Dei saturabitur, delectabiturque suavissimis sonis epulantium; ubi quoniam, relicto numero, in Unitatis voluptatem se mergeret, Unitasque aeternitatis est sedes, diem aeternitatis, ut divus ait Petrus adipiscetur, utque Unitas secari, ita desinere voluptas illa non potest. Diximus quidnam aeternitas sit; dicimus Deo tribuendam aeternitatem, quod quidem e tribus aeternitatis partibus confirmari potest; tum quod cum sit rerum omnium origo, ut Timaeo et Moisi placet, unus ipse est qui esse nec incepit umquam, nec rursus umquam desinet, tum quod a fluxu temporis quam plurimum abest, cum solus immotus idemque omni ex parte permanens inveniatur, tum denique quod solus numerum iunctarum rerum a se respuit, solus constantia Unitatis est felix. Quas ob res Deo praecipue aeternitas tribuenda est, quippe qui

---

2 quod] quo *A* | maximam *A* 7 credimus] tenemus *ac. A* 11 salo] sale *A* 15 immortalitati *praem. ac. H* 22 ubertate] ubertatis *A* 27 e] a *H* 28 sit *om. A* 31 idemque omni] omnique *H* 32 unitatis constantia *tr.A* 33 aeternitatis *N1 A*

21–22 ut Hymni Sacri testantur] Ps. 35, Ps. 41 *N1 V A H*

18 epulis … divum] Aen. 1.79

aeternitatis partes praecipue possidet. Quid? quod non aeternus modo, verum etiam aeternitas ipsa dicendus est Deus; ut enim nix non candor, sed candida dicitur, quod cum forma etiam materiam a forma alienam iunctam habeat, si candoris forma disiungi a materia posset, candor diceretur, ita Deus non modo aeternus est, sed etiam aeternitas; ut enim in eo esse atque essentia, ita aeternum aeternitasque non differunt. Est enim simplicissima forma Deus; quare, ut de candoris forma dicebatur, quod absque addito subiecto candor appellatur, ita Deus qui forma est solitaria, cui nihil est additum, non modo aeternus, verum etiam aeternitas nominari et potest et debet quod quidem esse minime posset, nisi esset id unum, quod ut ab omni numeri contagio absolutum Pythagoras, Parmenides, Plato venerabantur. Addimus quod iis est etiam maius, aeternum esse unum dumtaxat Deum; nihil enim est aliud, in quo coeant conspirent tres illae quas aeternitatis partes esse diximus. Si etiam singulas percurramus, nulla earum erit, quae cuiquam rei nisi uni Deo possit proprie absoluteque congruere. Interminatum siquidem nihil omnino est, nisi Deus, qui quidem esse aut vivere solus nullo coepit initio, solusque desinere esse nullo pacto potest. Deos namque divina voluntate immortales esse Timaeus arbitratur. Quod si etiam demus fuisse futurosque semper Deos, non tamen idcirco vere aeterni videri poterunt, cum et constantia et unitas in illis desideretur, cum varium ac mutabile semper sit quod unum vere non sit. Unum vero is solus est, cuius non aliud est essentia et id quod ipse est; quod quidem divinae dumtaxat convenit naturae, ut Moises idemque ipse Deus testatus est, nosque in superiore sententia late disseruimus. Quod si quando legimus alia etiam aeterna nuncupari, ut est illud, "vos aeterni ignes," de imagine vult aeternitatis intelligi. Quaecumque rursus partem aliquam aut etiam similitudinem partium aeternitatis nanciscuntur, ea modo quodam aeterna vocitantur, ut qui maria quaedam dulciora faciunt, non quod dulcia illa quidem sint, sed quod longe minus salsa videantur. Quaedam namque quod esse numquam aut sero desinent, aeterna vocata sunt, quem ad modum illa sunt, "sedet aeternumque sedebit infelix Theseus," et, "aeternumque tenet per saecula nomen." Mirum profecto post tot exempla maiorum omnia suppliciorum genera subeuntium, ut vitae huius brevitatem felici aeter-

11 ut *sl. A* 13 est enim *tr. H* 20 potuerunt *H.* 23 dumtaxat *om. H.*

25–26 alia … ignes] Virg. *N1 V A H* 32–33 sedet … nomen] Virg. *N1 V A H*

21–22 varium … semper] Aen. 4.569 26 vos … ignes] Aen. 2.154 32–33 sedet … nomen] Aen. 6.617–618, 235

nitate permutarent, adeo desipere mortales ut quicquam amare, quicquam curare aliud possint, quam ab hoc mortis fluxu ad eam vitae constantiam transmigrent, magistra morte praecipue, quae quamquam vitae hostis videtur, nihil tamen est, quod magis ad vitam comparandam conducat, cum sola vitam hanc utpote imbecillissimam spernere et tandem etiam deserere nos compellat. Nemo sapientum, nemo veterum est, qui id non posteritati mandare curarit, vitae huic fidendum non esse, quippe quae brevissima ac fere nulla sit: ὁ δ' ὄλβος οὐ βέβαιος, ἀλλ' ἐφήμερος καὶ ἡμέρα μία, "non stabilis felicitas est, sed in diem tantum, atque unicus dies." Scripserat haec Euripides, ut Plutarchus refert; sed Demetrius Phalereus poetam accusat, quod non ἡμέραν μίαν sed στιγμὴν χρόνου, hoc est, punctum temporis, dicere debuisset, uti commonefaceret homines, ne punctum quidem temporis abire sinerent, quin aeternitati virtute pietateque vacarent; quod qui non faciunt, non naturae providentiam, sed ignaviam suam accusare debent, quos punctum temporis praeponere aeternitati non puduit. Conciliabuntur hoc loco Plato et Aristoteles, si utriusque philosophi sententia cognoscatur. Scribit alter in iis quae μετὰ τὰ φυσικά appellavit, divinam actionem esse aeternam vitam; cum vero aliarum rerum aeternitas mensura earum sit, non res ipsae, nec rerum vita, aperte ostendit praecipuam quandam esse aeternitatem, quae uni tribuenda sit Deo. Idem sane Plato in Timaeo dicturus aeternam mundi vitam imaginem quandam esse aeternitatis, prius de vera aeternitate loquitur aeterni illius mundi Idearum, quod aeternum ab eo animal nuncupatur. Ait enim, ἡ μὲν οὖν ζῴου φύσις ἐτύγχανεν οὖσα αἰώνιος, καὶ τοῦτο μὲν δὴ τῷ γεννητῷ παντελῶς προσάπτειν οὐκ ἦν δυνατόν, "natura quidem animalis illius aeterna est, quod quidem genito omnino convenire non potest." Latina haec facimus ut possumus, ut qui Graeca non norunt aliquid utcumque inveniant, unde sententiam hauriant. Constat itaque utrumque philosophum sensisse esse aeternitatem quandam undique constantem et immotam, qua unus Deus est praeditus, alia si qua semper esse possent, non aeternitatem, sed quandam aeternitatis imaginem fuisse assecutura. Unum enim dumtaxat est omnino immotum, quod pertinet ad aeternitatis rationem; qua quidem de re ne longius protrahamus, agendum nunc est.

---

7 non id *tr. A* | non *om. H* 9 non] hoc est *praem. H* 17–18 iis quae] iisque *A* 23 ab] illo *A*

8–9 … μία] Cons.App. 104 A 11 … χρόνου] Cons.App. 104 B 24–25 … δυνατόν] Ti. 37d

88. *Deus omnino immotus*

Numerat Parmenides quattuor motus genera. Cum fit unum elementorum concordia, generatio est; cum multa, interitus. Quae duae mutandi species ad substantiae genus pertinent. Deinde assimilatio est ad qualitatem, tertium genus, cum fit aequale aut inequale in qualitate. Quartum in loco fit, ac translatio nominatur. Cum haec sint omnia mutationum genera, quibus corpora sensiliaque agitationes aut mutationes suscipiunt. At Deus eorum est, quae mente et ratione percipiuntur, τὸ μὲν δὴ νοήσει μετὰ λόγου περιληπτόν "hoc quidem," inquit Timaeus, "intelligentia ac ratione comprehenditur," non sensu, non opinione, quae de sensu Deum attingente oriatur. Non itaque verti mutarive iis mutationibus potest Deus, quae proprie Platoni Aristotelique mutationes nominari solent. Verum haec ratio de iis tantum mutationibus procedit, quae proprie et ad corpus facientes habentur, quas Deo convenire nemo fortasse umquam suspicaretur, nisi de generatione dumtaxat, quae alia longe ratione divinis asciscitur, ubi non ex non esse in esse fit transitus, quemadmodum in iis quae generantur. Itaque de iis etiam motibus dicendum, qui etiam incorporea agitare solent. Sane quaecumque agitantur, aut per se, aut secundum accidens agitari solent; per se corpora, secundum accidens interne anima ac corporum formae. Anima enim corpus agitans se etiam movet, ut Palinurus et Tiphys, qui non modo Argo impellebat navim, sed se quoque atque Argonautas omnes ad vellus aureum asportandum conferebat. Mens vero, quae caelum agitat, non etiam se ipsam agitat, cum caeli forma non ea ratione sit qua corporis anima, sed idcirco secundum accidens agitatur, quod a superiore orbe eius orbis alia conversione citatur, ut in Physicis disputatum est. At Deus nec corpus, nec corporis ullius forma est, neque superius habet caelum, cuius impetu in diversa raptetur. Nullo itaque horum motuum agitari potest. Sed ut in universum de quavis mutatione idem defendatur, definitio motus suscipienda est,

---

2 genera] gna *abbr. N1 V A*; gratia *H* 3 duae *om. V H* 4 pertinet *N1 V A H* 5 quantitate *V A H* 5–6 Quartum … nominatur *om. H* 7 sensibiliaque *H* 10 non … opinione *sl. A* 10–11 attingente Deum *tr. A* 17 quae … iis *om. H* 20 corpore *A* 22 omnes] naves *A* 27 neque *om. H*

9–10 hoc … comprehenditur] Tim. 27 *N1 N2 A*; Tim. *V* 11–12 verti … Platoni] Pla. Tim. 82 *MSS* 12 Aristotelique … nominari] Ar. 3 Phy. 4 *MSS* 16–17 quemadmodum … generantur] 5 Phy. 4 *N1 V A H* 17 Ratio 2 *MSS* 24–26 secundum … Physicis] 8 Phy. 52 *MSS* 28 Ratio 3 *MSS* 29–329.1 definitio … Physicis] 3 Phys. 6 *MSS*

8–9 … περιληπτόν] Ti. 28a

quam Aristoteles explicavit in Physicis. Est enim actus entis in potentia, quatenus in potentia est; nihil enim ad id quod actu possidet accedit. Atqui Deus actus est purus, velut μετὰ τὰ φυσικά demonstrant, eademque statuunt actum potestate semper esse priorem. Si itaque potestas ulla latitaret in Deo, iam primus rerum non esset, actusque alius potestate prior teneret habenas rerum. Praeterea id, ad quod moveretur, si moveri posset, vel actu vel potestate contineret. Potestatem iamdudum abstulimus a divinis rebus, ne oscitantem faciamus Deum; ad id vero, quod iam actu habetur, tendere potest nihil; nihil enim quiesceret umquam; quietis enim ratio nulla est, nisi cum compotes evadimus rei quae prius desiderabatur. Ilio namque expugnato, decem annorum bella quieverunt, rediitque uxore recuperata Menelaus. Adde quod imperfecti actio motus. Nil enim perfectae deest rei, rei vero agitatae id deest, cuius gratia agitatur. Finis enim gratia fiunt omnia, ac boni alicuius studio comparandi. At ipsum bonum, ut Philebus ait, perfectum undique est, neque deese quicquam ille potest, quod finis ac causa omnium est bonorum. Quae quidem sententia ne Aristoteli quidem dubitata est. Consentit etiam uterque philosophus, alter in Physicis, alter in Parmenide, motum omne partim hinc, partim illinc se continere. Aquae enim ignibus admotae dum calescunt, partem etiam num frigoris obtinent partemque caloris excipiunt. Utrumque itaque simul concretum habet quodcumque agitatur, nec fieri potest, ut nihil coagmentati prorsus habeat. Quam ob rem Deus, qui impartibilis illa Parmenidis unitas est, in qua nihil esse coagmentati omnino potest, ut idem stabilis immotusque sit semper necesse est. Agitatio vero omnis duos optat terminos ac fines, inter quos ipsa media intercedit; quare finita sit suis finibus oportet. At divina omnis actio idem cum divina natura est; interminata itaque cum sit, claudi non potest ullis finibus. Cumque actio addat dematve aliquid, Deo ut impartibili nihil demi, ut infinito nihil addi potest. Etenim si qua moveri ratione posset Deus, non nisi interno id fieri motu posset, veluti caelestibus mentibus contingit, quae amore atque appetitione ad finem summumque bonum

---

1 entis actus *tr. A* 11 Ilio namque] Ilionaque *H* 17 Consentit] contra sentit *ac. N2* 18 philosophus] physicis *ac. N1* 19 admotae *sl. A* | dum admotae *tr. A* 20 frigoris num *tr.V H* 21 itaque] ita *V H* 23 est *om. V H* 24 immotusque] immotus *A* 28 Deus *A* | ut] *sl. A* 29 ut] aut *H* | ratione moveri *tr. A* 30 motus *A*

6 Ratio 4 *MSS* 12–13 Nil … agitatur] 3 Phys. 15 *MSS* 15–17 neque … est] 5 Met. *MSS* 17 Ratio 5 *MSS* 18–19 Parmenide … continere] Parm. 33 *MSS* 23 qui … est] Parm.33 *N1 V A H* 25 Ratio 6 *MSS* 28 Ratio 7 *MSS* 29 Ratio 8 *MSS*

assequendum feruntur. Atqui quaecumque ita feruntur, aliquid se ipsis praestabilius videant necesse est, cuius possessione summum bonum adipiscantur. At Deo melius si quid esse posset, id ipsum esset Deus, non is quem illo deteriorem statueremus. Dividit hanc rationem in Republica Plato: aut enim a se, aut ab alio, inquit, moveretur. Non quidem ab alio, ut a poculis et voluptatibus perturbari plerumque solet anima, quae quidem si sapiens fortisque fuerit, haud utique permovebitur. Nec rursus a se ipso; in deterius enim nosset, in melius praestantiusque non posset. Nam, ὁ θεός τε καὶ τὰ τοῦ θεοῦ πάντῃ ἄριστα ἔχει, "Deus atque ea, quae Dei sunt, optime plane se habent." Hactenus Plato. Quod si quando moveri Deum legerimus, similitudine scriptum intelligendum est; eodem enim libro Plato cum decem agitationum species enumerasset, demonstrationem aggreditur cantatissimam, quam in Physico auditu omnium pulcherrimam visus est explicare Aristoteles, quamquam ita explicat, ut non velle probandam convertere, sed exsybilandam evertere videatur. Adeo aliena gloria nos offendit, ut non modo quae non placent ex alienis rebus, sed etiam si qua placent, labefactare velimus. Nihil enim iniustius ambitioso homine: carpunt alii malefacta ambitiosus etiam benefacta vituperat, quodque perniciosissimum est, hostem non alium habet, quam splendorem, quam gloriam, quam virtutem. Scribit Averroes adversus Avicennam, non aliam patere homini viam, ut Deos esse demonstret, quam agitationis ac motus; cum enim moventia innumerabilia esse non possint, primum aliquod rerum initium statuendum sit, unde e prima origine omnis pendeat atque exoriatur agitatio. Verum tantae rei auctorem si quis quaerat, facile inveniet, si haec legerit in libro siquidem De legibus decimo ita scripsit Plato: quando aliud ab alio movetur, idque rursus semper ab alio, erit ne in talibus aliquid quod primo moveatur? At quomodo id, cum ab aliquo moveatur, eorum quae moventur primum erit? Certe id esse nullo modo potest. Et hactenus quidem Plato. Si enim moveatur aliud ab alio, atque id quidem semper, certe in infinitum iretur, primumque non esset, sed in ordine rerum, non ex accidenti, sed ex se nexarum neque innumerabilis numerus esse, neque ut

1 Atqui] at *H* 3 At] si *add. N1* (*sl.*) *V H* 21 alia *A* | Deos] eos *A* 22 innumerabilia] in numerabilia *N1 V* 23 e] a *A* 24 pendeat] splendeat *A* 25 si] sed *ac. N1* 28 At … aliquo *om. H* | ab aliquo] ab anima *A* | moveatur] creatur | eorum quae] eorumque *A* 30 atque] at *V H* 32 nexarum *om. H* | esset *A* | ut *om. A*

4 Dividit … Republica] 2 Reip. 65 *MSS* 12–14 demonstrationem … Aristoteles] 7 Phy. *MSS* 25–26 libro … decimo] 10Leg. 14 *MSS*

9 … ἔχει] R. 2 381b

primum aliquod non sit fieri potest. Nam tunc ne medium ultimumque esset ullum. Quare ad primum aliquod deveniendum est, unde ut e fonte rerum motus omnis originem ducat. Sed haec demonstratio ad id rerum genus ducit, quod motu loci atque lationis, non per se movetur. Animas orbium caelestium Plato deosque suo more appellitavit, hoc est mentes, corpora atque universum administrantes, quae cum alia agitent, ipsae eo genere agitationis nullo pacto proprie agitantur. Corpus enim esse oportet, quod ita agitetur. Sed est alia movendi ratio, non loci, non corporis, sed mentis et animae, ut cum dixit altera lux Latini eloquii, "Trahit sua quemque voluptas," altera quoque lux rursus, "omnes trahi ad gloriae appetitionem." Moveri itaque animus ac mens dicitur motu quodam praestanti et suo, cum vel amore appetit, vel etiam intelligentia contemplatur. Trifariam itaque motus nomen accipimus: interdum loci transitum, quandoque animae mentisque functionem; non numquam cum qui de utroque dicitur, atque est utrique communis. Vult itaque Plato fieri superiore demonstratione duo; alterum, quod de primo motu ducimur ad immobile genus, quod proprie loci transitu, sicut corpora solent, transferri non possunt; alterum, quod etiam in illo ipso genere mentium, quas orbium et mundi animas appellare solet, immotas primo quidem motu, sed quae secundo dumtaxat moveantur, et quae tertio se ipsas atque alia moveant. In illo, inquam, ipso genere est aliquod, quod nec primum, nec secundum, nec tertium admittere motum potest, cum sit omnino immotum. Ita quod prior demonstrationis fructus ad mentes omnes animadvertendas pertinet, a quibus caelestes conversiones efficiuntur; sequens utilitas mentes illas transilit relinquitque omnes, atque ad immotum primum accedit initium, de quo in Canticis scribitur puellae amatorium illud, "En amatus meus accedit, saliens in montibus, transiliens colles," hoc est caelestibus orbibus corporibus prior, quod pertinet ad fructum demonstrationis priorem, quod divinum verbum corpus non est, nec movetur ut corpora. Additur, "transiliens colles," hoc est, mentium aliarum caelestium motu non agitatur, sed illis longe praestantius

---

3 e *sl. A* 5 anima *A* 7 enim] *iter. A* 8 agitet *A* 11 appetitione *A* | ac mens] mensque *H* 12 vel cum *tr.H* 14 transitur *N1* | animis *A* | mentisque] vel *praem. ac. A* 19–20 quidem primo *tr. A* 20 dumtaxat secundo *tr. A* 21 aliquod] aliqd. *abbr. N1 V*; aliquid *A* 30 est *add. N2* 31 longe illis *tr.A*

9–10 dixit … voluptas] Virg. *N1 V H* 10–11 altera … appetitionem] Cicero *N1 V H* 27–28 En … colles] Cant. *N1 V A H*

10 Trahit … voluptas] Ecl. 2.65 27–28 En … colles] Cant. 2.8

ac prius immotum omnino est. Quod si quando moveri Deum audiamus, imaginem quandam motus, non motum intelligamus. Id autem fit, ne mente, ne intelligentia, ne amore vacuum Deum esse quis suspicetur. Nam si motus primus est locorum transitus, secundus est intelligentia atque amor, tertius utrique communis, cum negamus moveri omnino Deum, posset aliquis ut nihil spatiorum praetereuntem, ita nihil amantem, nihil intelligentem opinari Deum, quae quidem absurdissima sunt. Neque enim marmoreum aut aereum veterum errore, neque rursum in Ida dormientem Homerico more faciamus Deum. Quare cum vel intelligentem vel amantem ostendere volumus, quanto quodam motus genere moveri eum dicimus, qui ab aliarum mentium motu longe distat. Ille enim numerum facit, hic in essentiae unitate perstans, cum ab essentia nullo modo differat, sectionem abhorrens multitudinum nodum sibi retinet unitatis. Quod si colligere haec placeat, motum primo statuemus proprio nomine vocatum, qui ad quattuor praedicamenta pertinet, corporibus accommodatum; deinde motum alterum internum atque perfectum, quo animae mentesque moveantur; tertium, qui motus quidem non est, sed similitudinem quandam indicat, ut infirmitas humanae mentis ad divinarum actionum intelligentiam ea qua potest ratione traducatur. Duo superiores motus alterum semper modo quodam faciunt; tertius nec alterum nec diversum patiens, nihil prorsus ab eodem discedit, cumque motus omnis in altero contineatur, idcirco tertia species motus non est, sed quaedam potius imago remotissima motus, quam usurpat humana imbecillitas ad divinas functiones suspiciendas, quae motus quidem non sunt, sed per nostrae mentis actiones cognoscuntur, quae motus secundi generis appellantur. Est igitur sententia firmissima, Deum omnino immotum esse, nec posse ulla ratione moveri, cum duo illa motus genera minime admittat, quae vel proprie, vel proxime motus dici possint, cum diversum efficiant. Tertius vero, qui idem omnino integrum servat, tantum abest, ut Deum motum faciat, ut idcirco Deo tribuatur, quod nec motum ullum recipit, nec ullo pacto movetur. Deinde ex iis coniicere licet, alia omnia cum ab uno deficiant, mutari posse. Mutandi autem potestas duplex est: altera externa, interna altera. Externa quidem

---

1 est omnino *tr.A* 3 Deum vacuum *tr.A* 6 posset] non *praem. A* 11 qui] quod *H* | longe motu *tr. N1 N2* 14 primum *A* 15 pertinet] attinet *A* 19 divinarum actionum] rerum *A* | qua] quae *A* 23 potius quaedam *tr. A* 24 functione *A* 27 posset *A* 29 omnino idem *tr. A*

8–9 in … Deum] Hom. *V A* 26 Conclusio 1 *MSS* 31 Conclusio 2 *MSS* 32 coniicere … posse] Heraclitus *N1 V A*

mutari omnia possunt; nam olim non essent ante orbem conditum non nisi in divina potestate continebantur, penes quam erat auctoritas ut illa et crearentur et essent. Quam ob rem earum rerum esse a divina vi pendet, ut a sole lumen. Quare cum discedente sole lumen abeat, Deus qui non natura, sed voluntate agit, si vellet, faceret ut non essent, cum ex eius voluntate rerum esse pendeat. Potestas vero interna est etiam rebus omnibus ut aliqua motus specie moveantur. Mortalia siquidem omnibus ferme motibus fluctuant, tam substantiae, ubi est interitus, quam eorum accedentium, quae peculiari naturae addicta non sunt. Nihil enim relinquere id potest, quod propriam naturam comitatur, neque enim aut marmor leve, aut ignis gelidum fieri potest umquam. Fluunt enim haec omnia, ut Heraclito placet; versantur in Eurypo, ut Phaedoni; volutantur per Oceanum et Chaos, ut Orpheo; mersa sunt in materia semper novarum rerum cupida, ut Platoni, ut Aristoteli. Immortalia vero corpora, sol, luna, astra procul a materiae Oceano atque aestu sita motum locorum et luminum patiuntur, alia agitationum genera minime patiuntur. Mentes etsi spatia corporum lege non transeunt, ut sidera, possunt tamen nunc huic, nunc illi admoveri loco. Quod Deo nequaquam convenit; nam, ut eruditissimus ait vates, "Iovis omnia plena." Moveri etiam mentes possunt ad finem bonumque seipsis melius vel appetendum vel etiam eligendum, quod mentibus ex se convenit, antequam in alicuius rei electione firmentur, hereantque amore et firmo et immutabili. Omnia itaque verti, omnia agitari, omnia mutari modo aliquo possunt quaecumque in numero sita sunt Deusque non sunt. Fit itaque ex his, quod non modo immotus est Deus, verum etiam solus, quippe qui nec mortale, nec immortale corpus est, nec ullum ad locum accedere, unde prius abfuerit, nec bonum quicquam se melius expetere potest. Quare et omnino immotus et solus immotus habendus est Deus. Ad haec id etiam adiiciendum est, solum Deum locorum et temporum varietati non subiici. Motus enim duo desiderat, ut scriptum est in Physicis, et ut succedentes partes habeat, et ut perpetuus continuusque sit. Alterum ex tempore, alterum ex magnitudine mutuatur. Ex utroque enim motus mensura sumitur. Quod tamen succedat peculiarius est motui, quam quod continuus

---

3 et *om. H* 4 habeat *A* 9 addita *A* 11 enim *om. A* 13 sunt] est *A* 20 seipsis] ipsis se *A* 23 agitari omnia *tr. A*

12 versantur … Phaedoni] Phed. *N1 V A* 12–13 volutantur … Orpheo] Orph. *N1 V A* 13–14 mersa … Platoni] Pla. *N1 V A* 14–15 ut … corpora] Ar. *N1 V A* 19 Iovis … plena] Virg. *N1 V H* 24 Conclusio 3 *MSS* 28 Conclusio 4 *MSS* 30 Motus … Physicis] Phy. 6 *N1 V A H*

sit. Omnis namque motus ordinem habet prioris atque posterioris succedentium. Non tamen omnis continuus perseverat. Quare corpora utramque mensuram sistinent tum temporum, tum locorum. At incorporea, quae sparsa minime sunt, moveri spatiis proprie non dicuntur, moveri tamen temporibus dicuntur, ut divo Augustino meo placet; non quidem ut tempus prius posteriusque obtinet mundi conversionem comitantia, sed communiori quadam temporis appellatione, quae vere prius sustinet et posterius. Animae namque et mentes diversos habet et cogitatus et appetitiones, quarum altera sequitur succeditque alteri. Quas ob res moveri etiam illa manifestum est, atque a priore migrare in posterius. In numero siquidem illa sita sunt, ut saepissime diximus. Quapropter cum nec numerus, nec prioris posteriorisque rei ordo absit omnino ab unitate divina, solus neque loci neque temporis agitatione contingitur, quae quidem duo genera omnem complectuntur movendi rationem, cum corpora loco temporeque, incorporea temporario dumtaxat sufficiendi ordine exerceantur; quam igitur importuna appellatione mentes aliae deorum nomen usurpant, cum moveantur omnes, solusque immotus is sit, qui et optimus est et maximus, quippe qui nec melius appetere, nec maius quicquam assequi possit. Quod qui obtinet solus invenitur, cui divinum et nomen et honores debeantur. Hoc itaque est arcanum illud, quod in Catena Homerus philosophabatur, σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες "auream catenam e caelo suspendentes." Dicebat Deus maximus deos deasque alias alloquutus; si omnes me trahere niteremini, moveri numquam possem. Postea utrumque motum innuens locorum mortalium et temporum immortalium ait, τόσσον ἐγὼ περί τ' εἰμὶ θεῶν περί τ' εἴμ' ἀνθρώπων "tantum ego mortales, tantum praesto etiam immortales," quasi diceret, neutro motu tangor, quibus vel corpora vel incorporea agitantur. Quod sacro vati consonat, apud quem ipse de se dicebat Deus, "Ego Deus et non mutor," neque aliud sibi voluit, cum ait, "Ego Deus," nisi quod sibi uni hoc convenit nomen, qui solus invenitur immotus. Idemque Apostolus facit utrumque motum, docens

6 ut *om. A* 10 etiam illa] illa *praem. ac. N2* | a] e *V H* 12 rei *om. A* 13–14 contingit *H* 15 loco corpora *tr. A* 16 importuna] ratione *add. V* 16–17 aliae mentes *tr. A* 18 sit is *tr. N2* 20 est] et *A* 25 temporum *add. in marg. H* 28 vel *om. H*

18 qui … maximus] Deus Optimus Maximus *N1 A* 22 suspendentes] Il. Θ *MSS* 29 Ego … mutor] Malach. *N1 N2 V A* 31–335.3 Apostolus … obumbratio] Iac. *N1 V A*

21–22 illud … catenam] Il. 8.19 | … κρεμάσαντες] Il. 8.27 29 Ego … mutor] Mal. 3.6

a divina constantia alienum, παρ' ᾧ οὐκ ἔνι παραλλαγὴ ἢ τροπῆς ἀποσκίασμα, "apud quem," inquit, "transmutatio non est, neque vicissitudinis obumbratio"; altero corporum, altero mentium motum exulem facit a limine divino. Quod si ne dii quidem immortales praeter stabiles constantesque sunt, quam inepte mortales spem ullam in humanis collocabunt! Recte Solon neminem beatum esse posse ante obitum (quod nihil in vita sit firmum) arbitrabatur. Id Pyrrho, id Sceptici, id nova significabat Academia, cum nil certi, nil explorati, nil quod dubitatione careret affirmari posse defenderent. Cum itaque nihil in rebus, nisi Deus, sit firmum, mirum profecto est, summum bonum ab hominibus in aliis rebus omnibus, quam in Deo potius poni consuevisse. Quid enim est aliud, opes, gloriam, voluptatem summa bona putare, nisi ita animum afficere, ut non liceat non esse miserrimum? Nam qui summum amittit bonum miser est. Haec saltem morte amittenda necessario sunt; quare amatoribus necessario miseriam afferunt. Gustandum videndumque idcirco suadet Psalmus, quam suavis sit divina stabilitas, quae cum nec eripi nec amitti possit, ideo is beatus, is felix est, qui ea infirmitudine veluti in firmissima petra spem omnem constituit. Aliis autem, sicut Alciphron in Epistola ait, σποδὸς θησαυροὶ γενήσονται, "cinis thesauri erunt," ac pulvis, ut placet David sapientissimo vati, pulvis quem ventus huc iactat atque illuc. Quid enim diuturnum in hac vita sit homini, cui ne ipsa quidem vita diuturna est? Utrumque elegantissime Maro, et vitam, et quibus vita utitur, brevissimum atque instabilissimum esse docuit. Numquam tamen nisi cum e vita migrandum est, plane cognoscitur. Sero enim sapiunt Phryges; ait siquidem tyrannus tandem adventante morte resipiscens, "Rhoebe diu, res si qua diu mortalibus ulla est, viximus," ubi Rhoebum alloquitur, cui a rerum mobilitate ac fluxu nomen indidit, ut moneret fluere ac labi quam primum quae in deliciis vulgo haberi solent. In Rhoebo namque aequi nomine fluens bonum, quod colit admiraturque multitudo, significatum est. Id cum maiores nostri divini homines floccifacerent, immotaeque dumtaxat rei inniterentur; adeo ipsi quoque immoti evaserunt, ut

---

5 speciem *V H* 9 nihil itaque *tr. A* 11 est] et *A* 24 est] sit *praem. ac. N2* 25 Rhoebe] Rhebe *N1*; Rebe *V A H* 26 Rhoebum] Brutum *V A H*; Brutum *corr. in marg. N1* 27 ac *om. A*

15–16 Gustandum … stabilitas] Ps. *A* 20 David … illuc] Ps. *N1 V A* 23 Numquam] *asteriscus N2* 25–26 Rhoebe … viximus] Virg. *N1 V H*

1–2 … ἀποσκίασμα] Iac. 1.17c 18–19 Alciphron … erunt] Epis. 4 18.13.3 19 … γενήσονται] 20 David … illuc] Ps. 17.43 25–26 Rhoebe … viximus] Aen. 10.861

nullis tyrannorum terroribus, nullis ensibus, nullis suppliciis, nullo denique mortis genere flecti avellive potuerint a complexu immotae divinitatis. Ita etiam mortales ipsi unius illius firmitudinis studiosi, participes firmitudinis fiunt, ut cogi ad relinquendam vitam potuerint, firmitudinem constantiamque non potuerint; quodque est mirabilius, ut Petros, ut Paulos, ut Stephanos, ut Laurentios ac Sebastianos omittam, armati imperatores innumerabiles puellas invenisse legimus, quae in flammas, in tela, in mucrones irruerint, quae a suscepta stabilitate deterreri potuerit ne unam quidem inventam esse legimus. Unam Catherinam constat non modo animo, sed et corpore immotam apparuisse, quam loco et vestigiis movere ne multa quidem boum iuga potuerint.

89. *Deus incorporeus: cur animal, cur vita dicitur? Daedalus, Icarus; intellectus, ratio*

In libro De animalium partibus ostendit Aristoteles, omne animal ex partibus constare; utque omnis homo animal, ita rursus animal omne corpus est. Enuntiatio enim ex se vera, ut ex Posterioribus resolventibus patet, de omni vera esse debet et necessaria. Quare cum animal corporeum enuntiamus, non aliquod tantum, sed omne prorsus animal corporeum esse asseveramus. At Deum animal aeternum facit et Aristoteles et praeceptor eius Plato, cum praesertim anima, quae animantis est forma, actus, et veluti interpretatur Hermolaus, perfectihabia corporis appellata est. Quin, ut eodem in Phaedro Socrates affirmat, non modo animal, quod forte figura: similitudinis dictum putari posset, sed etiam corpus habens, quod fingentis interpretationem non accipit: θεῶν ἀθάνατόν τι ζῶον ἔχον μὲν ψυχὴν, ἔχον δὲ καὶ σῶμα, "Deum immortale quoddam animal, habens quidem animam, habens et corpus," ac ne de mundi corpore

1 terroribus] extoribus *H* | nullo *om. A* 2 avellive] avelli (-ve *eras.*) *pc. N1*; avellique *N2 A* 5 constantiamque] constantiam *A* | admirabilius *H* 5–6 Petros … Sebastianos] Petrus … Sebastianus. *A* 9 constant *N1* 11 movere *sl. N2* | ne *sl. N1* 14 omne] omnes *ac. N1* 14–15 constare ex partibus *tr. A* 21 et] ac *H* | perfectihabia] perfecti habia *V H*; perfectibilia *A* 22 Socrates] ait *add. ac. N2* 23 posset] solet *corr. in marg. N1* | habens] hominis *H* 24 recipit *V A H* 25 quodam *V*

16–17 Enuntiatio … necessaria] Post. 1 *N1 N2 V A*; 2 Post. *H* 19 Deum … Aristoteles] 12 Met. *N1 N2 A H* 20–21 Plato … Hermolaus] Phedr. 21 *N1 N2 A H* 22–23 Phaedro … figura] Phedr. 21 *MSS*

24–25 … σῶμα] Phdr. 246d

cavillaremur, quod non semper extitit, addit, τὸν ἀεὶ δὲ χρόνον συμπεφυκότα, "semper namque connatum." Quid? quod sacri etiam viri divino afflati numine calculum ferunt, suffraganturque divino corpori, quippe qui caput, pedes, et cor divinum non semel comminiscuntur. Mosi namque "tactus dolore cordis intrinsecus" dictus est Deus. Divus etiam Paulus, qui non figurarum atque umbras, sed lucis tempore nude aperteque locutus est, longum, latum, profundum facit Deum. Quamquam haec ita se habeant, nihil tamen est in philosophia manifestius, quam Deum Optimum Maximum, quod dico ne sidera nunc deos vocemus, esse a faece corporum alienum. Legat Parmenidem Platonis, legat Physica ac μετὰ τὰ φυσικά Aristotelis quicumque id latius invenire desideret; intelliget Deum non modo corpus non esse, sed nullam omnino cum corpore habere coniunctionem. Corpus enim omne ex se non nisi finitam vim obtinet, qua vel agat vel moveat. Quod si semper sidera convertuntur, aliunde, hoc est a primo agitatore accipiunt, ut semper id agant. At Deus ex se ipso, non aliunde habet, ut et agat et sit a quo, ut Aristoteli placet, ut a principio ἤρτηται ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ φύσις, universum "pendet caelum ac natura." Moveri praeterea, ut Parmenides demonstrat, aut quiescere Deus dici non potest; haec enim eiusdem sint necesse est. Quae namque agitationem non admittunt, ne quietem admittunt, quando opposita non nisi eisdem versantur. At corpus omne, quod natura constat, aut agitetur, aut quiescat oportet, cum natura sit motus quietisque principium. Quare ne corpus quidem divinae tribuendum est naturae. Nihil est etiam, quod prorsus unum sit, nisi id a quo omnis abest coagmentatae rei numerus. Is autem Deus est, ut eodem libro disseruit Plato; quare corpus non erit, cui dextrum sinistrumque, ante ac retro, atque aliae id genus conditiones accedunt. Accidit praeterea divinae substantiae nihil, quae minime a specie recedit, ut Plato testatur. Non itaque speciem aliam secum patitur ea natura, quae et una est et unitas, ut Parmenidi placet. Corpori vero figura, situs, protensio, superficies, lineae, ac denique tres accidunt

5 dictus Deus est *tr. N1 N2 A* 7 haec] et *A* 8 habent *H* 9 sidera *in marg. N1* 10 fecae *N1*; fece *V A* | legant *N1 V A H* 13 vim *sl. N1* 16 aliunde non *tr. A* 26 atque] at *A* 27 quae] qui *A* 28 aliquam *N2*

4–5 Mosi … Deus] Gen. 6 *MSS* 5–7 Paulus … Deum] Eph. 3 *MSS* 10 Parmenidem] Parm. *N1 V A* | Physica] 8 Phys. *MSS* 11 μετὰ … φυσικά] 12 Met. *N1 N2 V A* 15–16 Deus … Aristoteli] 12 Met. 39 *MSS* 18–19 Moveri … potest] Parm. *N1 V A* 25 Is … libro] Parm. *N1 V A* 27–28 Accidit … testatur] 2 Reip. 64 *MSS* 28–29 Non … Parmenidi] Parm. *N1 V A*

1–2 … συμπεφυκότα] Phdr. 246d 17 … φύσις] Metaph. 12.7 1072b

quantitates. Adde quod superior priorque natura, melior ac praestantior esse debet. At multae sunt mentes caeli agitatrices, teste vel Aristotele vel Platone, quae incorporeae prorsus sunt; cumque inter mentes corpore carentes. Unam esse necesse sit principem agitatricem omnium ac gubernatricem, quae quidem non aliunde regatur, necessario corporea non erit. Corpora enim a mentibus, non mentes a corporibus agitari par est. Partes quoque Parmenidis unitas non habet, si vere unitas nominari velit; nam quicquid constat ex partibus, ex numero multitudineque conflatum est. Actus item ab omni potestate alienus est Deus, ut prodidit Aristoteles. At corpus quodcumque id sit potestatem habet vel interitus, vel loci adeundi, vel sustinendae partitionis. Dies profecto deficeret, si tot argumenta conscribere propositum esset, quot cogitanti animo sese offerunt; sed hactenus in eo laborasse satis sit, cum corpus non esse Deum manifestius longe sit, quam ut defensionem desideret prolixiorem. Hoc itaque est, quod in Philebo Plato colligebat. Illa nobis, inquit, facultas firmitatem continet, quae circa ea versatur, quae semper eodem modo ac simplicissima sunt. Hactenus Plato. Corpora vero divinae naturae tribui propterea non possunt, quod neque eodem modo semper, neque simplicissima esse possunt, quibus mensurae necessario admiscentur. Animal vero appellare volvere philosophi haud plane temere; nam cum vita in alio, non ex se existere soleat, si semper vitam appellassent, ne quis in aliquo manentem Deum suspicaretur formidaverunt. Nomina enim cum bifariam se habeant, alia abiuncti, alia concreti, ut scientia, ut sciens, ut albedo, ut album, alterum simplicitatem in alio, alterum subsistentiam in se ipso significat. Excellit scientia scientem, quod simplex forma est, sciens vero coagmentatum est quoddam ex scientia ac mente. Rursus mens excellit scientiam; subsistit namque ex sese neque in alio fulcitur, sicut ea quae accidunt. Quare cum commendandum est aliquid, si ex simplicitate abiunctorum nominibus utimur, ut sapientia, nitore, albedine, sin ex subsistentia quod per se existat, coniunctorum vocabula usurpamus, dicimusque aliquem sapientem, nitidum, album. Eo itaque consilio sapientes utrumque nominum genus miscent locuturi de Deo, quippe qui solus est vivum et vita. Cum igitur saepe vitam esse Deum dixisset tam Plato quam Aristoteles, quo nomine simplicissimum Dei vel esse vel

---

2 agitatrices caeli *tr. A* 6 par] pars *A* 15 Illa nobis *om. A* 17 naturae *sl. A* 21 ex *sl. A* | ne quis] neque *H* 22 manente *A*; moventem *H* 23 abiuncti *sl. A* 24 subsistentia *A* 26 quodam *V H* 29 utimur *sl. A*

7 Partes … habet] Parm. *N1 V A* 9–10 Actus … Aristoteles] 12 Met. *MSS* 15 quod in Philebo] Phil. 112 *MSS*

functionem notaverant, ne quis eam in alio collocatam, ut in nobis assolet, opinaretur, etiam animal appellitaverunt, nihil animalis tribuentes, nisi quod perfectum absolutumque est, hoc est, quod cum vita sit, per se subsistit, ut animal, cetera, quae ex corporis parte inconstante ac mortali animal obtinet, procul a Deo esse voluerunt, utpote quippe qui unus apparuit immotus undique et undique immortalis. Neque corpus animalis est genus, nisi pro re coagmentata animal capiatur; tuncque ex se, necessaria, ac de omni, ut Aristoteli placet, enuntiatio fit. Sed longe alia ratione animalis hic nomen usurpatur, quod partibilium rerum generibus non comprehenditur. Hac igitur de animalis significatione μετὰ τὰ φυσικά tractant, non liber qui De partibus inscribitur animalium, in quo non modo animal hoc incorporeum et divinum, sed ne tertium quidem animalium genus ostenditur, quod a Platone ac Porphyrio vocari consuevit corporeum ac caeleste. Cum enim rationale animal dicimus, homines deosque significari Porphyrius putabat; atque idcirco mortale adiiciendum credidit, ut hominis definitio absolveretur. Ea itaque causa est, quod animal dicitur Deus, non quo ex artibus constare, sed quo per se subsistere intelligeremus. Caeca namque humana mens multo eget orationum Scipione, ut recta intelligentiae incedat via. Quare audiat oportet Deum esse vitam, ut simplicem cogitet esse animal, ut subsistentem animadvertat. Utrumque is assequitur, qui se divinis dedit, et simplicitatis unitatem, cum nihil animo volutat, nisi simplicem beatamque divinitatem, et per se subsistendi vim, cum externorum non indigus intus habet unde sibi sufficiat beatusque sit. Quibus quidem duobus nihil habuit quod ulterius peteret a diis immortalibus Socrates. Date, inquit, et ut intus sim pulcher, et ut internis externa non dissonent. Corpus vero habere Deum idem Socrates affirmat; vel de caelestibus diis loquitur, sole, luna, stellis, ut in Epinomide disserit vel de mundi mole intelligit, quam Deo haud secus curae esse constat, atque nostrum corpus est animae aeternum vero idcirco corpus Deo tribuit, non quo initium, sed quo finem interitumque mundi auferret. Natura vero mundi corpus non Deo coniungitur, sed a Deo ita institutum, ut quod gigni natura non potuit, genitum vivere natura duce possit, modo divinus non obsistat nutus. At vero membra mensurasque Deo non numquam fuisse tributas nostrae mentis

---

4 cetera] -que *add. ac. A* 7 coagmenta *A* | capiatur animal *tr. A* | tuncque] tunc *A* 19 procedat *N2*

10–11 Hac … tractant] 12 Met. *N1 N2 V A* 26–27 Corpus … affirmat] Phaedr. in prin. *N2* 28 Epinomide] Epin. *N1 V A* 33 At] *asteriscus N2*; *texti divisio N1 V A H*

infirmitas est in causa, quae sensibus sensilibusque cogitationibus assueta, quod corpus non sit, aut corporeae rei non comparetur, excipere potest nihil, ut homo solidis itineribus natus aut solido elemento ingreditur, aut si "maria camposque liquentes," ut Maro ait, tranare instituerit, non nisi solidae rei adminiculo audere id potest. Ita ferme hominis mens aut sensile tantum cogitat, aut si aspirat altius, non nisi sensilibus imaginibus surgendum intelligit. Clausus etenim tenebris ac carcere caeco noster Daedalus manus, non alas a natura sortitus est. Is cum nosset solis manibus lacertisque volitare non posse hominem, pennas vero ab avara natura non recepisse, cogitare coepit fieri fortasse id posse, si alienas alas suis lacertis accommodarent manus. Instrumentorum quippe omnium, teste Aristotele, initium est manus; ac quamquam manus pennas non habet, industria tamen manus alas parat. Quam ob rem "praepetibus pennis gelidas enavit ad arctos," ad caeli regionem illam, quae in iis, quae a nobis suspiciuntur, una immota est. Ita animus ad immotam illam unitatem e carcere corporis assurgit ope partis sensilis, quae, ut proboscis elephanto, menti pro manu est. Est tamen intellectus in nobis. Est et rationis vigor; ille major, praestantior, ac prior, hic minor, imbecillior, ac posterior; ille divina luce omnia aggreditur, hic omnia sensilium collectionibus demonstrari petit. Quo fit, ut ad id, quod et animal et vitam, hoc est, unum et simplex diximus, nonnisi unitate atque simplicitate quasi alis duabus perveniatur: alterum relinquendo sensilia, alterum lucem unitatemque consuetudine attingendo consequimur. Licet autem ubi applicuerimus, exeundum sacrandumque sit remigium alarum, dum tamen incipimus longe a scopo absumus; uti eo sapienter oportet, ut ratio neque humilius cadat nihil contemplata, vulgi more, neque rursus altius lasciviat temeraria, audens promiscue omnia demonstrare, sapiens intellectus, ac tumens ratio, Daedalus, atque Icarus. Hic minimum fidit operi, sed solum alis utitur, sed etiam in divinis explorandis abutitur; prudens ille senex sensilium, quidem rerum imagines capit, eo tamen et consilio et usu, ut carcerem egrediatur, hoc per corporea iter secet, discatque insuetum illud per iter a mediocritate non discedere, quod ii faciunt qui vel nihil speculati umquam contabescunt in carcere, vel, si egredian-

2 quod *add. in marg. N1* 6 sensibile *V A H* 6–7 sensibilibus *V H* 7 ac] aut *ac. A* 16 sensibilis *V H* 17 Est] autem *add. ac. A* 18 vigor] lieber *praem. ac. A* 19–20 sensibilium *V H* 20 petit] potest *ac. H* 22 sensibilia *V H* 25 tamen] tantum *H* 30 sensibilium *V H* 31 hoc] est *add. N2*

17 Est] *asteriscus N2*

13–14 praepetibus … arctos] Aen. 6.15–16

tur, omnia humana coniectura assequi se posse confidunt, quibus caelo appropinquantibus tabescunt cerae, pennas spectamus in undis. Denique medium unum est, quae a medio dissentiunt permulta. Attinges ad arcton, hoc est, ad divinam illam quo tendimus regionem, si ursae polique nomine et immotum primo et proinde etiam intelliges incorporeum, Dedaleamque medii et unitatis tenebris viam, multitudinis et Icariam declinabis. Patrem enim sequens unitatem, filium fugiens simplicitatem tenebis, quorum alterum fecit ut incorporeum Deum vocaremus animal, alterum ut vitam appellaremus.

90. *Deus non coagmentatus, non compositus est*

Coagmentati aliquid in Deo reperiri putare fortasse aliquis posset, tum quod forma quae suapte natura dividua est aptaque secari in multa, veluti humanitas in hunc illumque hominem non nisi per corpora materiaeque partes individua fit; tum quod aliud divinitas, aliud id, in quo est, esse videtur: dicimus enim essentiam ac divinitatem in Deo esse, in se ipso autem esse potest nihil; tum denique quod esse Deum ex actionibus scimus, nullo tamen pacto essentiam divinitatemve cognoscimus: quare aliud essentiam, aliud divinum esse existimari posset. Scribit in libro de Republica Plato, quattuor de Deo, quorum quidem unum omnibus iis quae diximus commune est, tria vero alia tribus his rationibus, quae altissimas quaestiones continent, quam accommodatissime respondent, ἁπλοῦν τε εἶναι καὶ πάντων ἥκιστα τῆς ἑαυτοῦ ἰδέας ἐκβαίνειν, "simplicem esse minimeque omnium sua de specie recedentem." Paulo etiam post, οὐ γάρ που ἐνδεᾶ γε φήσομεν τὸν θεὸν κάλλους ἢ ἀρετῆς εἶναι, "neque enim pulchritudinis aut virtutis indigum esse Deum" asseverabimus. Quattuor sunt itaque quae hoc loco a Platone connumerantur, simplicitas, pulchritudo, virtus, species. Primum est quod hic a nobis quaeritur, coagmentatumne, an simplicem Deum facere oporteat. Respondet eo in libro Plato, ut diximus, ἅπλουν εἶναι. Hanc vero sententiam ne credendam dumtaxat relinqueret, tribus statim rationibus

5 intellige *A* 6 Iscariam *A* 17 divinitatemve] divinitatem ve *N2* 19 de Deo] esse in Deo *N2* 28 coagmentatumne] coagmentatum ne *N2 V*

18–19 Scribit … Deo] 2 Reip.64 *N1 N2 V* 23–25 Paulo … Deum] 2 Reip. 66 *N1 N2 V*

22 … ἐκβαίνειν] R. 2 380d 23–26 Paulo … asseverabimus] R. 2 381c

confirmavit, ratus ratione omnia firmanda esse, quae machinas rationis admittant. Pulchritudinis itaque indigum facere Deum haud quamquam decet, cum ex Timaeo mundum fieri pulchrum nulla ratione potuisse didicerimus, nisi ex aeterno exemplo traduceretur; nam materiam ἄμορφον ὄν "informe quoddam" vocat. Si itaquae mundus formosus futurus erat, ab eo exemplo trahi debebat, quod non modo formosum, sed ipsa etiam forma atque ipsa, ut ita dicam, formositas esset, quod esse non posset, si quid in se non formosum, si quid ulla ratione informe complecteretur. Licet enim calidum sustineat quicquam frigoris, in ipso tamen calore gelu non recipitur. Quam ob rem si solum Deum pulchri auctorem esse posse arbitratur Plato, fieri non potest, ut aliquid turpis, aliquid informis in eo inveniatur. Non itaque in eo collocanda materia est, quam turpem vocat etiam Aristoteles, quam ait amare formam ac cupere, ut turpe pulchrum ac femina virum. Deus autem formam aliam appetere non potest, neque quicquam quod in Deo sit a forma distinguitur, cum ipsa sicut diximus formositas sit ac forma. Formarum vero duo genera sunt: alia est enim quae communis ex se est, nec nisi in materia ac vehiculo sustineri secarique potest, sicut leonis essentia una communis est species, in diversis tamen excepta corporibus in singulos diversosque leones conrivatur. Alterum formarum est genus, quod quoniam neque in corpore neque in materiae vehiculo distrahi vectarive patitur ob hoc ipsum quod in alio non excipitur, ex se ipso ac per se ipsum existit, suaque natura individuum manet, tanto exactius individuum quanto id quod ex se est atque omnino tale id antecedit quod vel ex alio suscipit vel etiam non omnino. Forma enim quae vehiculo eget et ex se individua non est, cum sit communis, et cum individua evadit, vehiculi opera atque auxilio evadit; at libera absolutaque forma neque communis est, neque vehiculi societate individua fit. In utroque igitur vecta forma deficit, tum quod individua ex alio, tum quod individua omnino non est, quippe quae in se ipsa ac citra vehiculum in formas innumerbiles partibilis intelligitur. Deinde virtutis indigus si Deus non est, non aliam ob causam id evenit, nisi quod Deus atque eius virtus idem est, non quem ad modum nos qui virtutis expertes nascimur, nec nisi tempore, labore multo, exactam virtutis formam adipiscimur. Est itaque virtus aliquid essentiae extrarium atque peregrinum, quae quidem tamquam advena atque adventitia ad antiquiorem accedit

5 quoddam] quodam *V* 21 vectarive] vectarique *ac. N2*

3–4 cum … didicerimus] Tim. 105 *N1 N2 V* 12–13 materia … Aristoteles] Phy. 1 *N1*

essentiam. Quare quicquid rerum est a Deo factum, quicquid inquam substantiarum in natura subsistit, concreti aliquid habeat necesse est ex essentiae virtutisque societate. At divinae naturae nihil omnino iungitur, nihil accidit, nihil extrinsecus adventantis accedit, si virtus et quicquid in Deo est, idem omnino ipso cum Deo est; quo fit ut concreti ratio prorsus a divina natura repudietur. Nam in rebus aliis essentia idem cum rebus est, nisi quod aliqua rebus accidunt a natura atque essentia aliena, ut colores, ut scientiae, ut aliorum formae praedicamentorum. Ac propterea fit, ut essentia ab iis, in quibus est, non nihil differat, Platone et Aristotele testibus. Quare si soli Deo nihil admovetur extrinsecus, in solo Deo essentia atque id in quo essentiam esse dicimus, idem omnino sunt. Nec movere nos debet, quod essentiam in Deo esse dicamus; nam quem ad modum paulo ante de animali diximus, mentis nostrae infirmitas est in causa, quae assueta humanis aspectibus, ab humanis quoque sermonibus non recedit. Non enim in Deo aliud est quod insit, aliud in quo insit; sed ut de homine consuevimus atque humanitate, quorum alterum simplex est, alterum per se subsistit; ut utrumque in Deo esse affirmemus nunc divinitatem, nunc Deum, nunc essentiam nunc quasi habens essentiam nominamus, quae tanto divinius in Deo uno sunt, quanto simplicius unum idemque sunt. Species denique Deus appellatur, atque is qui minime omnium a specie recedat. Sunt siquidem tria rerum genera: alia materiam habent, quae a specie recedunt atque natura, cum obitu superveniente intereunt; alia non obeunt quidem, verum a specie non morte et materia recedunt, ut quae prima ratio adeo seiungebat, sed accidentibus adventitiisque quibusdam, quis de altera ratio tractabat caelum namque a specie atque natura recedit, cum multa complectatur, quae a caeli sunt essentia aliena, ut lucem, ut mensuras, ut agitationem, ut figuras. Tertium rerum genus est, quod neque letalem materiam, neque rursus corporeas illas nugas, quas caelum stellaeque sortitae sunt. Recedunt tamen modo quodam a specie, cum aliud in eis esse, aliud essentia sit, aliud perfectio, aliud modo quodam quod perficitur. Haec vero multitudo, haec coagmentatio non tanti est, ut ad penetralia divinae ut unitatis et simplicitatis ascendat, nam esse essentiae actus est, essentia sequentis actus potentia est; atqui potentia omnis indiga ex se speciei atque actus est. Quare alia omnia, et tertium illud substantiarum genus, quod a corpore absolutum seiunctumque est, a specie recedit, aliquidque habet quod a specie

5 cum *sl. N2* 18 quasi] qui *corr. in marg. N1* 25 ratio tractabat] ratractabat *N2* 31 quoddam *N1* | vera *V*

actuque dispescitur. Hoc itaque est quod Plato, hoc quod Dionysius, hoc quod Moses ait; illi essentiam Deo auferunt, hic Esse proprium facit Dei nomen, ut essentiam ab esse differentem, quae manca indigaque potestas est a specie formaque recedens. Iure itaque Plato Deum dixit simplicem, quem pulchrum, quem non virtutis indigum, quem non a specie recedentem esse oporteret; quibus quidem veluti tribus invictissimis rationibus nihil in Deo coagmentati, nihil conglutinati esse demonstravit. Nec obest, quod ex caeli conversione, et ex iis quae proficiscuntur a Deo, animadvertimus esse Deum, essentiam tamen minime cognoscamus; cum ob ea, quae alias hac super re diximus, non Deum esse, sed vel esse primum, vel immotum, vel alia id genus monstrari consuevisse, tum vel certe quod id esse scimus, quod est copula enuntiationis, non quod est actus essentiae. Novimus enim esse Deum, rerum mundique et principem et administratorem, perinde tamen divinum esse nescimus ac divinam essentiam ignoramus. Scit etenim et vulgus caelum atque esse animam, quid autem utriusque vel esse vel essentia sit, vix compertum est iis, quos credimus vocamusque sapientes.

91. *Deus in nullo genere est. Iuno. Aeolus. Gradus quinque ad bene beateque agendum*

Si omne id quod est in decem prima genera secatur, ut Archytas prodidit et eius tamquam interpres Aristoteles, Deum, quem esse ostendimus, ad aliquem eorum generum gregem pertinebit. Ut enim Platonicus persuadet Sophista, genera aliqua philosophis statuenda sunt, quibus omnia contineantur appellenturque, ne contemplatoris animus rerum multitudine atque infinitate confundantur. Omnia praeterea, quae in subiecto sunt, subiectis accidunt, ut in Praedicamentis est scriptum; quae vero in subiecto non sunt, sed per se ipsa existunt, substantiae sunt. Atqui in subiecto nullo Deus est, maximeque per se ipsum, non alterius rei vel vehiculo vel adminiculo vivit. Quam ob rem fieri non posse videtur, ut substantia non dicatur. Ad haec sapientiam Deum esse scientiamque volumus. In qualitatis itaque genere sit fateamur oportebit. Plato vero in Republica sua Deum soli comparat, qui iis quae cernuntur, non modo dat

4 itaque] atque *corr. in marg. N1*

22–24 Ut … appellenturque] Soph.77 *N1 V* 31–32 Plato … comparat] 6 Reip. *N1 N2 V*

ut cernantur, sed etiam generationem, alimoniam, incrementum, cum tamen neque generatio, neque nutritio, neque augmentum ipse sit; ita Deus, quem ipse bonum vocat, dat rebus substantiam, cum tamen ipse minime substantia sit. Nos etiam addere illustri huic Platonis sententiae possumus, quod non modo substantiam, sed universa genera a Deo proficisci, ipsum tamen ad nullum plane genus pertinere. Divinae namque sunt partes tam continere omnia, quam nullis omnino claustris contineri. Porro duo sunt, quae ad substantiae rationem pertinet: alterum ut vehiculo non egeat, sed per se ipsam existat; alterum ut genera in se alia suscipiat. Id Deo convenit vel uni, vel maxime, hoc refugit abhorretque vis divina. Platonis vero decretum super ea re quamquam a Dionysio aliisque receptissimum est, rationibus tamen firmari haud obscure potest. Numerat in Timaeo substantias idem Plato; cumque duas per se existentes absolutasque instituisset, id quod agit et id quod fit, ideam atque coagmentatum, addit iis materiam ac formam, quas vocat infinitatem ac terminum. Hae vero posteriores quamquam per se non subsistant, idcirco tamen inter substantias scribuntur, quod semina initiaque sunt rerum subsistentium et substantiarum, eiusque esse generis decet initium, atque id quod ex initio proficiscitur. Alia itaque proprie in genere sunt, ut species et singula; alia ad genera quadam ratione referuntur, ut initia rerum atque privationes, quem ad modum materia et oculorum caecitas. Deus neque prioribus, neque posterioribus cum rebus ad genus accedit; non quidem ut initia rerum quo enim initium est generis alicuius, id genus non transilit, ut nautarum ars extra maria aquasque nil potest, neque ultra agricolationem colonus, punctumque continuorum ac unitas numerorum non metas egreditur. At Deus licet substantiarum sit causa, quia tamen initia substantiae valvas non occluditur, sed omnia longe lateque et fecit et regit, idcirco ad substantiam initiorum more non trahitur. At privatio cum Deo quidquam commune habere poterit, qui etiam ob hoc ipsum substantiae limen evitare posset, ne cum absurdissima privatione eodem sub tecto occluderetur. Quod vero specierum more ad genus non pertineat, haud dubia ratione convincitur. Nam quaecumque eo pacto subsunt generi, esse habent ab essentia differens; omnes enim species eandem continent generis essentiam, in qua iunguntur, idemque inter se sunt, esse tamen in ipsis est diversum quo veluti seiungente

3 Deum *N1 V* 7 partes tam] tamen *corr. in marg. N1* 18 eiusque] eius *N2* | generis] generationis *ac. N2* 29 etiam] et *add. N2* 35 diversus *N1*

12–13 Numerat … substantias] Tim. *N1 V*

distinguntur. At aliquid itaque habeat cum specierum genere commune, atque idem aliquid ab illis diversum necesse est. Unum vero, Parmenide teste, neque idem, neque diversum est cuique, hoc est, neque societatis genere iungitur, neque generis differentia separatur. Nosque ostendimus superiore sententia divinum esse a divina essentia minime disiungi, sed esse omnino unum, quod alta Parmenidis intelligentia obscura disputatione dicere volebat, qui a quibusdam importunius quam iustius vexari consuevit. Latius praeterea genus est quam species, pluraque laxo sinu et continet virtute et complectitur; et quamquam alia sit continendi ratio, quicquam tamen esse Deo maius, quicquam altius superiusque, quod et plura virtute complectatur, Deumque intra septa arceat, et praeter eum multa, omnium quae dici possunt absurdissimum est. Nulli itaque Deus subiiciendus est generi, ne quid id sibi arroget genus, se esse Deo maximo maius, quod intra vallos suos intraque suos ordines et Deum teneat et praeter eum ordines permultos, fieretque hoc pacto Deus optimus maximus, ut tamquam in cuiusdam militiae castris neque optimus ordine, neque maximus imperio videretur, sed alteri tum cederet tum pareret tamquam plebeius aliquis ac gregarius miles, quem si quis fortasse quaereret, non seorsum optimi imperatoris officio fungentem, sed inter manipulos censuram reformidantem inveniret. Atque hoc est quod Parmenides disseruit arcana illa disputatione, quam legere quidem impius potest, idem capere aut intelligere non potest. Cum enim dixisset, divinum illud unum neque idem esse nec diversum cuiquam hoc est neque genus, in quo species idem sunt, nec differentias quibus seiunguntur, admittere; addidit continuo, neque simile esse, nec dissimile; quae enim genere differunt, nihil commune habeant oportet, ut Aristoteles docet. Quare non modo genere, verum etiam nulla qualitate, nullo ordine, nulla aliis cum rebus societate iungendus est. Dissimile etiam esse negavit; nam sicut differens omne differentia aliqua differat necesse est, quae formam aliquam in differente significat, ita dissimilem Deum esse noluit, ne quam illi formam adderemus, qua posset credi dissimilis; quod vero additi adiectique quicquam habet, iam unum dici non potest, cum aliud quod additur, aliud cui additur esse soleat. Iure igitur quod unum est, neque simile cuiquam neque dissimile dicendum putavit, ne quod unum fecerat, etiam

---

1 genere] grege *N2*; graece *N1* 14 teneat] conteneat *ac. N1* 23 cuique *N2* 25–26 differunt] dicuntur *corr. in marg. N1*

2–3 Unum … cuique] Parm. *N1 V* 6–7 esse … volebat] Parm. *V* 20–21 hoc … disputatione] Parm. *N1 N2 V*, 36 25 addidit … dissimile] Parm. 37 *N1 V*

non unum facere cogeretur. Genus quoque aliquid actu, aliquid potestate complectitur: actu communem formam, potestate discriminantes differentias. Quae itaque generi alicui ascribuntur, utrumque in se suscipiunt ac conglutinant, et potestatem et actum. At Deus utrumque a se arcet nihil potestatis, nihil conglutinati divina sustinente natura, in qua non multitudo, conglutinatio, potestas, sed unum, simplicitas, actus reperitur. Potestas namque ea, quae generi peculiaris est, indiga actus est, cui perfectio formaque tamquam mancae atque informi ex actu differentiae accedit. At Deum dixit Plato esse οὐκ ἐνδεᾶ virtutis et pulchritudinis, hoc est, cui nullus actus, nulla absolutae formae perfectio vel intus deest vel extrinsecus addi potest; quod dixit, ne quis divinae praestantiae inchoatae imperfectaeque potestatis infirmitatem, egestatem, inopiam iungendam arbitraretur. Pulchritudine vero ac virtute Plato idem intelligit, ac si actum ac perfectum dixisset; virtus enim in nobis est, quae complet formatque potentiam, atque ad bene studioseque agendum habilem reddit. Haec vero tria in Deo, quemadmodum in nobis, non sunt, potestas, virtus, actio; sed perfectio sola est, quam nunc actionem, nunc virtutem Plato vocat. Actionem quidem, quoniam summa atque absolutissima; virtus vero, quoniam non varia, non interpolata, sed naturali quadam constantia perpetua est. Verum actio quidem non Deo dumtaxat, verum etiam tam hominibus quam caelestibus mentibus sua cuique inest, nulli tamen ita inest, ut nihil patiatur imperfecti; nam si in omnibus aliquid essentiae addit, id itaque, cui additur, indigum atque egens ex se est, sed actionis copula quasi connubio quoddam perficitur, saturatur, expletur, ut laquearia aurata, et si undique aurum renidet, undique micat aurum, non tamen si explores interius, undique invenias aurum. Lapis enim ac caementa in recessu latitant, licet ardeat in fronte micans aurum. At aureum poculum, aureum, inquam, non auratum tantum, quantum vis explora, quantum vis exanima, idem in limine, idem in penetralibus, idem foris, idem intus offendas. Ita ferme sese res habet; actio perfectioque rerum aliarum alia ab essentia est, vel omnis, vel multa, communem nunc loquendi usum sequor, non Averroem, quare non idem intus essentia quod foris actus est. At unum illud Parmenidis, quia omnino est unum, hon habere aliud potest intus, foris aliud; sed essentia actioque idem sunt; quare divina etiam non modo agens ac perfecta, sed

10 est *add. N2*

9 Deum … pulchritudinis] 2 Reip. 66 *N1 N2 V*

9 Deum … pulchritudinis] R. 2 381c

ipsa etiam actio ipsa sua perfectio nuncupatur. Mentes itaque, atque alia omnia, aurata fortasse dici possunt, ut laquearia, aurea etiam dici non possunt, cum non sola in illis actio sit, sed id etiam ab actione seiunctum, cui ut corpori umbram addimus actionem. At Deus, cuius actio ab essentia nihil omnino distat, sed cum essentia idem atque ipsa essentia est, idemque plane intus ac foris, non auratus, sed aureus, immo potius aurum nominari potest, non laquearium more, sed poculi potius exemplo persimilis dicendus est is, quem poculum fontemque naturae nominamus, unde mundus, unde rerum ordo, unde caelum, elementa, et quae usquam subsistunt omnia defluxerunt. Habent itaque alia virtutem actionemque; pulchritudinem ab omni informitate absolutam non habent. Idcirco sapientissime remotissimeque oraculum dixit, "cognovi volatilia caeli," hoc est, actionem semper habeo, sapientiae meae alta atque sublimia contemplantis, sed ne quis actionem essentiae additam ut flores in agro natos suspicaretur, non se floridum dixit agrum, ubi aliquid in summo aspectu pulchri est, aliquid etiam informe subterlatet, sed ita addidit: "Et pulchritudo agri mecum est," hoc est, solus actus, sola forma, sola perfectio, cui nihil subest vehiculi, nihil squalidi, nihil informis, ut aliis rebus omnibus, sed quasi sine tellure flores soli, sola lux sine cereo, sola sine ullo fulcro formositas. Nihil itaque in eo nisi pulchritudo, nihil quod pulchritudo illa non sit. Quod si in aliis aliud pulchritudo, aliud id in quo residet pulchritudo, aliquid igitur est in rebus illis, quod pulchritudo non est. Non itaque omnino pulchrum est, quod aliquid obtinet a flore pulchritudinis alienum. Hinc Plato librum edidit, quem inscribit De pulchro, quemque Socratici Phaedri nomini dedicavit; ut enim in Timaeo corporeum ignis elementum non ignem, sed igneum vocat, quoniam praeter ignis formam aliquid habet, quod non magis ad ignem pertinet, quam ad aquam et terram; est enim materia omnium vehiculum acceptabulumque formarum, ipsum vero ignem, et ipsum pulchrum formam, cui nihil extrarii iungitur, vocabat, non hanc quidem corporeo curru vectam, sed ipsam per se ipsam absolutam, alienae opis ut nihil obtinentem, ita etiam nihil desiderantem. De pulchro itaque liber inscribitur, non de pulchritudine, ut per se existentem illam quidem, non cuiquam nisam, non cuiquam haerentem cogitaremus. Sensit secretam hanc

5 ipsa *iter. N2* 7 aurum *iter. N1* 21 id *om. V* 23 omnino] pulchrum *praem. V*

13 caeli] Ps. *N1 V* 24–25 Plato … dedicavit] Phedr. *N1 V* 25–26 ut … vocat] Tim. *N1 V*

12–13 cognovi … caeli] Ps. 49.11

divinae pulchritudinis differentiam David; quam ob rem cum sponsi formam hymno elegantissimo caneret, qui inscribitur Ad intellectum canticum pro delicto, ubi habitum mentis divinum amatorium stilum et stili materiam, sacrum nimirum significat amatorem, utque non agrum floridum, sed solos illic flores pura niveaque pulchritudine candicantes על־ששבים hoc est "pro liliis," titulum praefixit, ut in Orphicis vel myrram, vel thymiama, vel alia id genus praeponi consueverunt. Commendat hanc divinae naturae formam, in divino Filio, in quo nihil nisi forma, nihil nisi actus ac solida pulchritudo refulgeat. Speciosus, inquit, forma prae filiis hominum; quod etsi de nascituro Rege dictum sit, qui, teste apostolo, Dei servique hominis habuit formam, de Verbo praecipue dictum esse par est, a quo omnis suscepto homini pulchritudo dimanavit. Cui quidem sententiae id astipulatur, quod primus hymni versus a natura sumit non hominis suscepti, sed Verbi suscipientis exordium: "Eructavit cor meum verbum bonum." Commendat postea sponsum cum aliis permutis, tum vero ut artis est aliarum formarum comparatione. Cum vero post sponsum illum Verbumque divinum nihil sit sponsa pulchrius, quem ad modum si a sole abeas nihil nobis in caelo fulget luna plenius luminosiusque, ait nihilominus: "Astitit regina a dextris tuis in veste deaurata," quasi diceret, non ex se pulchra est sponsa, neque aurea, sed ab aureo sponso, qui ipsa etiam pulchritudo est, participat pulchritudinem. Cum haec de sponsa in sponsi hymno cecinisset David, audi quid de sponso in sponsae epithalamio canat Salomon: "Caput eius," inquit, "aurum optimum caput" enim "Christi Deus," ut Apostolus ait; quare non auratum, sed aureum dixit Deum, utpote actum et pulchritudinem, ubi nihil potestatis, nihil rei informis intercedit. Solum enim inter metalla aurum ita purum, ita defaecatum affirmant, ut neque saepissime igni admotum quicquam amittat, neque manus contractantium tingat, quod idcirco evenire existimant, quod nihil supervacanei, nihil extranei secum patiatur. Convenit id profecto divinae pulchritudini, quae sola per se subsistens nec lectum habet differentis essentiae, nec ullam alienae rei societatem. Porro alia omnia in pulchritudinem ac pulchritudinis lectum, in id quod suscipit et id quod suscipitur, in potestatem et actum; ut oculus cum pulchri miratur aliquid, aliud oculus ipse est, aliud aspectus in oculo;

20 diceret] dicat *N2* 26 metalla] mella *ac. N1* 32 omnia] ratione *corr. in marg. N1*

6 pro liliis] Ps. 44 *N1 V*

6 pro liliis] Ps. 44.1 9–10 Speciosus … hominum] Ps. 44.3 11 Dei … formam] Phil. 2.7 23–24 Caput … caput] Cant. 5.11

nam et qui dormiunt oculos habent, aspectum non habent. Oculi itaque vis excipit foris lumen, quemadmodum nupta virum, quo cum caret, se caecam viduamque miseram, cum potitur, cernentem, nuptam, beatam et arbitratur et dicit. Quidquid itaque excipit, femineum dicitur, quicquid excipitur, virile nominatur. Potestas itaque atque actus ubicumque gentium iunguntur, connubium ineunt tamquam uxoris et viri. Atqui Averroes alia omnia, praeter primam mentem, quae sola solus est actus, ex actu potestateque constare, alia inquam omnia, quae per se ipsa existunt, ne quis de materia vel de formis cavillaretur. Quas ob res mentes omnes, quae in genere constitutae sunt, coniugium in se continent actus, et potestatis; id ex genere, hoc ex differentia; id vehens, concipiens, imperfectum hoc vectum, exceptum, exactum; id feminae, hoc mari simile. Quod ut mortalibus, sicut poterat, significarent veteres, qui, ut Aristoteles testatur, de divinis rebus per figmentorum fabulamenta philosophabantur, deorum hos mares, has feminas faciebant, ut in mentibus omnibus a Deo optimo genitis hinc potestatem, hinc actum demonstrarent. Praeclarum sane ac sanctum institutum, nisi sacras divinorum intelligentias profanis actionibus, foedis amoribus, obscaenis voluptatibus labefactassent. Licet enim divina quoque oracula non aptius res divini conubii, quam epithalamio amatorio prodi posse nos docuerint, casti tamen, non turpes, sacri, non profani, puri non obscaeni fingendi fuerant. Genitum nos a Patre Verbum, illi a Saturno volunt Iovem. Naturam deinde rationis participem ad divinam similitudinem conditam facimus, lucis divinae excipiendae potestatem habentem, et non aliud ad beatam vitam, quam verbi solisque divini splendorem in connubia nuptasque desiderantem. Verbum itaque, quod solem Plato vocat boni filium, quia actus dumtaxat est, et mas et sponsus est; mens condita, quia actum illum natura non habet, sed appetitu gravidam potestatem et femina et sponsa dici solet. Mens itaque, quatenus ut verbi coniugio beata evadat nata est, divini sponsa verbi nominatur; quatenus vero, licet non natura, eodem parente nata est, cognomine sororis appellatur, ipseque idem divinus filius in amatoriis Canticis, ubi de sacro hoc coniugio arcane divineque tractatur, cum mentem appellat, duobus his nominibus appellat: "Soror mea sponsa," inquit. Quae sane res ne ipsos quidem fugit antiquos, a quibus dicta est "et soror et coniunx." Iuno, quae mentium naturam rationis participem

19 non … res] aptius non res *tr. N1*; altius non erant *V*

13–14 qui … philosophabantur] Arist. *N1 V* 25–26 Verbum … vocat] 6 Reip. 38 *N1 N2 V* 32 Canticis … tractatur] Cant. *N1 V* 35 et … coniunx] Virg. *N1 N2 V*

significat ea si qua carent, spe beatitudinis carent, quae vero praedita sunt, ad beatam vitam et divinas epulas nata sunt. Quam ob rem uni illi dictum est: "Tu das epulis accumbere divum"; sola enim mens capax est divinae lucis. Ita enim Aristoteles definit intellectum potestatis, qui fieri potest, omnia, et Protei nomine a Platone vocatus est, "omnia transformans sese in miracula rerum," ut ab Homero Plato et a Platone accepit noster Maro. Nam veluti materia ea, quae gignuntur, ita et mens quaecumque intelliguntur, cumque intelligantur ferme omnia, concipere mens sola potest omnia, quod alias eidem sub Sibyllae nomine dicebat Aeneas: "potes namque omnia." Et quoniam humana ratio numquam perturbationes omnes superaret continentia, nec pacaret temperantia regnum, nec sceptra imperiumque heroica virtute gestaret, nec, quod iis tribus pernecessarium est, divinam sibi benevolentiam conciliaret, nec denique, tamquam horum quattuor fine, aeternis cum Deo conviviis potiretur, nisi mens adesset et humana intus a Deo persuasa, et foris caelestis ut nuntia ac custos a Deo delegata. Quo circa Aeolus, qui inferioris rationis tenet locum, inconstans natura ac varius, cum facile nunc metu concidat, nunc aegritudine dilaceretur, non libidine ardeat, nunc gestienti voluptate solvatur, rursus quandoque humano se volutet caeno, non numquam caelo tactus ac resipiscens etiam divinis aspiret, mentis vim superiorem alloquitur, eamque reginam vocat et rationis ducem: "Tuus, o Regina, quod optas, explorare labor, mihi iussa capessere fas est." Ubi prima excitatio mentis est, qua Deus custodem, custos mentem nostram mens et a Deo et a custode persuasa rationem affatur, orat ut sociam, uti expergiscatur, falsa deserat, veritatem agnoscat; illa cum voluptatum, cum honorum studio tenetur, nec audit, nec obtemperat, sin vero altius cogitet, suisque quandoque rebus perspiciendum intelligat, se ipsam accusans errorem fatetur, miseram se ac despectissimam dicit, protinus intellectum accipit. Deus enim, oraculi testimonio, intellectum dat parvulis, hoc est prudentes facit, ut videant et finem et quae a finem ducunt. Ea autem quinque sunt, quae sola ratio a mente illustrata cognoscit. Tunc itaque prudens reddita, prudentum virginum tam mores quam numerum imitata, quinque ea, quae a mente afflata hausit, et recitat et accepta

13 ne *V* 29 accipit] aspicit *V* | oraculi] *add (in marg.) N1* 33 hausit *sl. N1*

3 Tu … divum] Virg. *N1 N2 V* 5–6 omnia … Plato] 2 Reip. *N1 N2 V* 21–22 Tuus … est] Virg. *N1 V*

29 Deus … parvulis] ps. 118.130

refert: "Nimborum" reddit "tempestatumque potentem," debellandarum continentia perturbationum: "Tu mihi quodcumque hoc regni," pacatum enim dat regnum temperantia: "Tu sceptra," quae insignia reges ornantia sunt, quod heroica facit altitudo: "Iovemque concilias," tres illi humani habitus non absque divina benivolentia comparantur, ut enim, hac stante, stant omnia, sic rursus, hac ruente, ruunt omnia: "Tu das epulis accumbere divum," qui supremus rationis est portus, quam Deus e fluctibus eripit insaniae humanae, "nimborumque facit tempestatumque potentem"; nam "hoc opus, hic labor est," ut incipiat ab affectibus dediscere, illosque prima in acie fundere. Nam ubi semel vincere coeperit, facile, ductore Deo, explet sacrae numerum militiae, et absolutae victoriae beatique triumphi gloria potitur, non diecula, non curru ligneo, non ad capitolinum Iovem, sed aeternitate, beato corpore, et ad felix id verbum, quod actus beatissimus cum sit, Iunonem ac mentis rationisque potestatem implebit amplexabitur beabit facietque potestatem in genere sitam, actu generis nescio post mortem fruentem ac participem, quam hac in vita "nimborum" fecerat "tempestatumque potentem." Nec Deum rationes illae cogunt, ut generis patiatur angustias, cui illae appellationes alia ratione conveniunt, quam iis, quae sunt in genere, quae quidem omnia ut coagmentata sint necesse est ex actu potestateque, quae divina secum natura non patitur. Substantia enim dicitur, non quod in genere sit substantiae, sed quod in eo substantiae similis est, quod in alia re non insidet; sed generis substantiae licet accidentium more in alia re, quae actu existat, non iaceant, actum tamen habent in sinu potentiae procumbentem. Quae quidem divinae pulchritudini inuri nota non potest. Substantiae vero quae collocantur in genere, licet eo modo in subiecto non sint, sicut quae substantiae accidunt; actum tamen habent in potestate tamquam in quodam vehiculo ac subiecto delatam; quod Deo ascriberet, si quis eum generi alligaret. Nec qualitatis genus is admittit, qui nihil simplici pulcherrimeque essentiae addi sinit; scientiam enim illam non in qualitatis genere ponimus, tum quod species, ut ante diximus, absque generibus Deo insunt, tum quod ea scientia eadem cum essentia est, qualis ea non est, quae qualitatis generi subscribitur. Vim enim generis contineret, quae potestas ac feminea vis est, quae a Deo ut abest, ita curandum est uti nobis non imperet. Rationis enim partes duae, superior et inferior,

1 reddis *N2* 12 currus *N1* 15 implebit … facietque *om. N2* 27 habet *N1 V* 34 potestas] potestatis *corr. in marg. N1*

1–4 Nimborum … concilias] Aen. 1.76–80

Iuno et Aeolus qui varius interpretatur: Adam vir Eva femina, sicut interpretatur Origenes; vigilandum itaque nobis semper est, ne a Deo cadamus per inconstantiam femineae imbecillitatis, quae remotissime discedit a Deo; ad superiorem divinorum spectatricem surgendum est semper, neque feminae conditioni credendum est, ne ab unitatis pulchritudine moveat nos, et in turpitudinem varietatis iniiciat. Quae quidem duo huius vitae pericula theologi aversionem ac conversionem, poetae Scyllam et Carybdim vocant; Maro elegantissimo versiculo comprehendit, quod ex animo sapientis nullo cadere tempore deberet: "varium," inquit, "ac mutabile semper femina." Varium, cum ab immutabili, ut theologi aiunt, flectit bono; mutabile, cum ad mutabilia se convertit. Altero a pulchro invariabili recedimus, altero ad mutabiles illecebras, Eva persuadente, properamus. Is itaque stultus, qui internae Sirenis voces audit; is sapiens, qui non audit, cuique mens et Deus obstruit aure. Et quoniam non sat est appetere pulchrum invariabile, nec secundo aspernari variabile, nec tertio a femina cadente, quae facile deficit trahiturque in affectus, sed semper in universa vita cavendum est, cum illa, dum vivimus semper insidietur. Nemo enim mortalium, quantum vis probus, quantum vis sapiens, quantum vis omni ex parte perfectus, ab internae feminae insidiis tutus est; suspectum itaque femineum ingenium esse debet semper; feminam enim non solum varium ac mutabile, sed etiam semper.

92. *In Deo nihil est praedicamentorum, nisi substantia et relatio sublimi quodam modo*

Tractatum satis hactenus de substantia, quonam modo conveniat Deo. Nunc aliis de generibus agendum est nobis. Potentem enim Deum, pulchrumque esse volumus; omnia praeterea et cernentem et audientem, hoc est, scientem intelligentemque; in loco etiam situm, ut in sphaera extima circuloque illius maximo, Plato etiam patrem vocat et filium; vocamusque passim optimum maximum. Quas ob res cum haec omnia ad genera alia attineant, non modo genus aliquod, verum etiam permulta sustinebit. Iam vero, uti de substantia diximus superiore sententia, aut nullius generis appellationem, aut altiore, sublimiore, diviniore quadam

28 patrem etiam Plato *tr. N1 N2*

7 theologi] XP *N2* 8–10 Maro … femina] Virg. *N1 V*

21 varium … semper] Aen. 4.569

ratione recipit Deus; ita quod si quid boni perfective genera sortiantur, id Deus et creans dedit et habuit longe copiosius creaturus. Quoniam tamen genera aliquid etiam miscent indignum Deo, idcirco eum facimus procul a rebus aliis sese continentem et generum indignitatis immunem. Genera vero decem decem primis substantiis respondere numero, ordine honore videntur; nam sicut enumerat Dionysius, imperat in caelo rex omnium Deus, novemque illi mentium ordines, et adstant et obsequio parent. Ita in generibus stat substantia ut princeps utque omnium regina, quam quidem perfectione, cognitione, tempore, ut Aristoteli placet, novem deinde genera consequuntur. Haec autem novem genera, de quibus primus Archita disseruit, ut Simplicius putat; trifarium capi possunt, vel communi omnium ratione qua accidunt, vel propria singulorum generum, vel etiam pressiori atque contractiori earum, quae subsunt generi, specierum. Communis quidem ratio omnium accidentium, quia infirma imbecillaque est, cum ex se stare non possit, nec quicquam sit aliud affirmare accidentia esse, nisi dicere ea rei alicui inesse, ut in ulmo vitem, vestem in corpore, in capite comam, haud secus atque de coccyge ave proditum sit, quod adeo segnis, adeo vecors est, ut non nisi nido incumbet alieno. Quam ob rem communis haec generum novem ratio ob inconstantiam, ob pauperiem, ob mendicitatem (mendicat enim sedem, quam non nisi a substantia consequi potest) a felicitate divinitatis arcenda est. Sufficit enim Deus non modo sibi, verum etiam et rebus universis atque hoc est, quod ante citavimus ex sententia Platonis, quod οὐκ ἐνδεᾶ φήσομεν τὸν θεὸν, "minime egentem faciemus Deum." Egentem rursus Deum faceremus, si haec illi genera ex propria singulorum ratione ascriberemus; nam praeter communem illam accidendi, haerendi, sequendi notam, quae servitiorum est atque mancipiorum, sua quodque vincula habet quibus tamquam compedibus ac catenis rei, cui sese addixerint, annectuntur. Quantitas namque substantiam non modo sequitur, sed sese in ea et spargit et protendit, ut mensura. Qualitas ut ancilla abiectissima, quidquid agendum patiendumque est, se ipsam offert, praestoque adest tanquam necessaria substantiae dispositio. Eodem etiam modo genera alia praeter communia munera proprio quoque officio funguntur in gestantis substantiae servitutem. Quamquam tamen ita se habeant

18 sit] est *ac. V* 20 ob mendicitatem *om. N2* 22 verum … universis] verum et rebus etiam universis *tr. N1 N2* 29 sed *sl. N1* 34 Quamquam] de uno tamen (355.1) *hoc loco inser. ac. N2*

9–10 quam … consequuntur] 7 Met. *N1 N2 V*

23–24 … θεὸν *v. s.*, *cap. 91*

ea, quae substantiae iunguntur, de uno tamen eorum genere secus putat Plato; nam cum multa enumerasset, quae vocabat ad aliquid, duplum, dimidium, magnum, parvum, scientiam, atque id quod scitur: "quod," inquit, "alterius est, talis cuiusdam est, ut duplum dimidii." Quare post communem sequendi legem, qua substantiam sequuntur accidentia, id quod ad aliquid est, quia non ad gestantem substantiam, sed ad aliquid aliud extrinsecum vergit, non aliud servitutis munus, neque imperfecti aliquid admittit. Qualitas enim ac quantitas non solum substantiam sequuntur, sed etiam altera aptat, altera metitur; duobus substantiae vinculis alligantur, tum quod haerent, tum quod cum haec accommodet, haec mensurat. Id vero quod est ad aliquid, hoc est accidens, quod aliud referendo substantiae haeret, haeret sequiturque dumtaxat communi octo aliorum generum servitute; sed quoniam proprium munus habet praeter commune, non ut substantiam cui haeret, sed aliud foris referat; ideo etsi imperfecti aliquid habet, quatenus accidit, quia subiecto haeret, quatenus tamen aliud refert, quia subiectum ne respicit quidem, nihil omnino recipit imperfecti. Dixi ne respicit quidem, non quod ad aliquid subiectum non respiciat, id enim alterius negotii est, sed quod quatenus ad aliud vergit, nil nisi id aliud refert, ut duplum non rem duplam prospectat internam, cui haeret, sed, cui non haeret, dimidiam et externam. Quam ob rem Plato dicebat: "Quod alterius est, talis cuiusdam est ut dupli dimidium," ut doceret, id quod est ad aliquid sub propria generis ratione non id, cui haeret, sed id, quod refert, aspicere. Quamquam itaque qua accidit hoc genus a Deo refugiat, egentia enim subiecta re sunt talia omnia, qua tamen aliud refert, quae propria eius generis ratio est, cum eatenus nihil omnino vel vehiculi postulet vel imperfecti sustineat, idcirco hoc modo nihil prohibet in Deo collocari. Hoc itaque voluit Plato cum patrem cum filium in Republica nominavit; hoc nostrorum sapientum senatus; hoc omnium facile princeps Augustinus meus, qui unus apertam tulit in ea quaestione sententiam, duas tantum ex decem appellationibus Deo tribuendas esse, substantiam, et ad aliquid. Diximus de communi accidentium ratione; diximus etiam de propria generum. Commemorandum est etiam id quod de generum speciebus non nullis ante dicebatur. Tribuuntur etenim Deo species quaedam, non quidem eadem ratione, qua subnectuntur generi, hoc enim

---

7 servitutis *sl. N1* 15 habeat *V*

1–2 de … Plato] 4 Reip. 41 *V*; 4 Reip. *N1 N2* 29–31 Augustinus … esse] Aug. *N1 V*

pacto etiam generis informitatem amplectuntur; sed cum ultima specierum differentia aliquid semper afferat et formae et perfecti, ideo species ex differentiae illius perfectione datur Deo, ne quid perfecti a divina praestantia abesse videatur. Abire in malam rem Demonem iussit Christus, cum omnia ille se daturum polliceretur, quasi quicquam boni usquam esse posset, quid bonorum omnium auctori deesset. Licuit ergo Deum casus et ruinae suspicari formidantem, licuit appellare esurientem, boni perfectique indigentem extimare non licuit. Enimvero ut generi animalis differentia iuncta est eius quod rationis est particeps; hoc autem diis etiam tribuit Porphyrius, licet superiora genera haud utiquam fortasse tribuisset, quemadmodum tribuenda non sunt. Animal namque omne tactu vivit, quem quidem sensum si quis daret diis, carnem, nervos, tactus organa daret oporteret. Colligo itaque ex communi ratione novem generum, nullum illorum a Deo suscipi debere; ex propria rursus, nullum, praeterquam ad aliquid; specierum etiam aliquas admittere, ne quod in ultima differentia perfecti reperitur, in absolutissima Dei natura desideretur. Non tamen ex iis alia enunciandi ratio, quam substantiae suscipienda est, cum illa non speciei, sed generi ascribi consueverit, speciesque a generibus desciscentes sunt, cum divinis in rebus sunt, quod ideo evenit, quod alia quadam ratione pulcher, magnus, sapiens dicitur Deus, quam generum pulchritudo, sapientia, magnitudo. Sicut enim fieri non potest, ut in naturae rebus cuipiam species adsit, cui genus non adsit, sic fieri non potest, ut Deo cum species adsit, genera etiam specierum adsint. Nam ut esse non potest, ut quidquid aliud, praeter Deum perfectum omnino sit; ita esse non potest, ut divina pulchritudine informis aut non perfecti quidquam sit.

93. *Deus simplex est*

In universum quandoque tractanda quaestio est, cuius hactenus partes tractatae sunt. Videntes enim mundum, elementa, caelum, animas, mentes caelestes concreti habere aliquid et coagmentati, immortalia tamen esse, aeternam sortita tum vitam tum actiones, ecquid prohibet, inquiunt, Deum etiam spiritum his esse rebus similem, et nihilominus gubernare

4 videantur *N1* 23 etiam] et *add. V* 24 quidquam *N2* 30 habet *N1*

4–5 Abire … Christus] Matt. 4 *N2*; Matt. 6 *N1 V*

omnia et frui aeternitate? Nos vero, qui ab oraculo id audivimus, "Ego et Pater unum sumus," et a Mose, "Qui est, misit me," nec non Parmenidem apud Platonem legimus de divina hac unitate copiosissime disputantem, simplicem omnino Deum esse dicimus. Habemusque unde hanc sententiam sexcentis fulciamus rationibus; sed ne ab instituto discedamus longius nonnullas perstringemus. Longe enim alia volutamus animo, unde nos posteris aliquid speramus esse profuturos. Si itaque unum est id, quod naturae praeest universae, simplex sit omnino oportet; quod enim non simplex, plura in se ipso complectitur; si plura, non vere unum, cum non solum unum, ut non omnino aurum, cui aliud metalli genus mixtum est. Quare neque Plato in tam longa disputatione verum statuisset, neque Moses, immo Deus ipse, verum Aegyptiis nomen aperuisset; coniuncta enim omnia non solum habent, sed etiam distinctam essentiam, neque Christus Deus Dei Filius id quod voluit plane praedicasset, si ita se ac Patrem unum dixisset, quem ad modum unum caelum, anima una, mens una nuncupatur. Numerus quoque omnis unitatem participat, teste Parmenide, nec fieri, nec esse ullus potest numerus, qui non ex impartibili unitate nascatur; unitas enim ea est, quae secari ulterius in numerum non potest, cum non ex numero unitas, sed ex unitate numerus oriatur. At rerum species numeris sunt similes; quare initium rebus inerit, ut simplex prorsus et impartibilis unitas. Diximus dicemusque persaepe Platonis id sacrum verbum οὐκ ἐνδεᾶ τὸν θεόν; nostri addunt non modo Deum sed ne mortales quidem, qui se Deo imitando tradiderint, egentes esse posse. Quod si simplex non sit aliquid haberet, quod virtus actusque non esset; constaret enim ex pluribus. Quaero ego, an ea rationis essent eiusdem an alterius? Si eiusdem vel mortales essent, ut quae eadem in forma multa fiunt. Materia enim multa fieri solent, ac proinde mortalia, Aristotele et Averroe testibus, vel certe quantitatem habebunt, eruntque corporea, quae dudum nobis explosa sententia est. Sin rationis alterius, partim erit actus, partimque potentia. At potentiam nihil aliud esse diximus, quam partem actus egentem. Quare egentem faceremus Deum, cui egentem partem admoveremus. Ad haec id unum simplex nisi fuerit, fateri

2 unus *N1* 5 ne *om. N1 V* 22 non] solum *V* 23 sese *N1* 25 ego] ēgo *N1*

1–2 Ego … sumus] Io. *N1 V* 2 Qui … me] Exo. *N1 V* 2–3 Parmenidem … disputantem] Parm. *N1 V* 7 Ratio 1 *N1 N2 V* 16 Ratio 2 *N1 N2 V* 16–17 Numerus … Parmenide] Parm. 46 *N1 N2 V* 20 rerum … similes] 8 Met. *N1 N2 V* 21 Ratio 3 *N1 N2 V* 21–22 Platonis … verbum] 6 Reip. 66 *N1 N2* 27–28 Materia … Aristotele] 7 Met. *N1 N2 V* 28 Averroe] 3 De anima *N1 N2 V* 32 Ratio 4 *N1 N2 V*

oportebit constare ex partibus, quod Plato divinae unitati contingere nulla ratione posse existimavit; pars enim verius dignius esset ut una dicetur, cum ex multis, quae uni opponuntur, non constaret. Idem praeterea ac diversum, ut ante dixi, ab uno illo rerum exordio alienissima sunt. Sed si simplex non sit, partes et convenirent invicem et different; quae enim non conveniunt, non iunguntur, ac quae omnino non differunt, omnino unum atque simplex sunt. Pauperies vero amori, non pulchro, ipsi tribuitur in Symposio. Est enim appetentia ac desiderium pulchri, quae si in pulchro ipso reperiatur, iam pulchrum non erit; aliud est enim pulchrum et finis, aliud quod appetit pulchrum, ut Juno, et mens omnis, ac quod anhelat ad finem. Si partes habeat Deus, altera potestas esset et feminea et Juno, anxia atque aemula viri voluptatum; cumque actiones totius sint, ut animam non intelligere, sed hominem Aristoteles docet, Deum ipsum anxium atque aemulum dicere cogeremur, et quod multo cogeremur et quod multo cogitatu insulsius est, non alterius rei, sed sui ipsius et aemulus et zelotypus esset Deus. Nam et colligere possumus, quas prius numeravimus rationes. Si enim coagmentati quicquam haberet Deus, aut ex materia, aut ex potestate, aut ex essentia, et iis quae iunguntur essentiae, ut est esse accidens hypostasis ab essentia differentia. Sed iam late satisque est ostensum, coagmentatum ex iis non esse Deum. Quare relinquitur, ut nulla in eo coagmentatae rei suspicio esse possit. Solem praeterea vocat boni filium Respublica Platonis. Is nihil secum tenebrarum patitur, nec fieri potest, ut insint in sole tenebrae. Atqui potestatem actu luceque ex se carentem diximus. Fieri itaque non potest, ut aliquid addatur Deo post impartibilem ac simplicissimum actum atque lucem. Adde quod quidquid ex partibus ullis conflatum est, vel novum, vel partibus posterius semper est; an novum erit, quod solum aeternum est? At quidquam Deo vel esse vel dici prius, absurdissimum est. Sed nec absolutum perfectumque principium haberi Deus posset, si quid intus haberet, quod perfectum non esset. Nam neque coagmentatum aliquod absque potestate, neque absque imperfecto potestas esse potest. Accedit quod si partes haberet rerum principum, haec mate-

13 sint totius *tr. N2* 13–14 Aristoteles docet] docet Aristoteles *tr. ac. N2* 20 satisque *om. V* | ostensum est *tr. V* 26 partibus] partibilis *praem. ac. N2*

1–2 Plato … existimavit] Parm. *N1* 3 Ratio 5 *N1 N2 V* 3–5 Idem … sunt] Parm. 36, 37 *N1 N2 V* 7 Ratio 6 *N1 N2 V* 7–8 Pauperies … Symposio] Symp. *N1 V* 13–14 ut … docet] 1 De anima *N1 N2 V* 16 Ratio 7 *N1 N2 V* 22 Ratio 8 *N1 N2 V* | Solem … Platonis] 6 Reip. 38 *N1 N2 V* 26 Ratio 9 *N1 N2 V* 29 Ratio 10 *N1 N2 V* 32 Ratio 11 *N1 N2 V*

riae, haec formae similis esset, utque materia a forma, ita forma penderet a materia. Quare nihil omnino esset, quod non ex alio et aliunde penderet. Totum siquidem partibus, et pars utraque alteri immitteretur. At si penderent aliunde omnia, iam nihil esset Deus, quandoquidem non Deum ex aliis, sed alia ex Deo pendentia esse omnia, et Aristotelis testimonio et ratione convincitur. Omnino vel omnia aliunde pendent, vel primum aliquod statuendum est; si non simplex sit illud, pendebunt prorsus omnia, ut dictum est. Quam ob rem nullum omnino invenietur, quod primum statui possit; pendentia enim omnia posteriora sunt iis, quibus nituntur. Quod si omnia pendent, omnia habent aliquid et prius et antiquius, ac proinde nihil erit, quod dici possit primum; quod quidem et rationi et Platoni et Aristoteli magnopere repugnat. Quod si primum sublatum sit e medio, in infinitum in iis, quae pendent, ibitur. Sed infinitum natura non patitur, tum ut ordo sit rerum, tum ne non rerum cognitionem et philosophiae decus e medio prorsus tollere videamur. Primum vero statuere non potest in iis quisquam, quae innumerabilia esse fateatur, ut late in Physicis disputatum est, Platoque in Legibus necessaria ratione confirmavit. Impartibile vero esse id quod caelum movet, demonstrat Aristoteles in Physicis. Quod si de omnibus id mentibus dicitur, de primo multo magis intelligendum est; nam aliae orbium motrices moveri quodam modo confitentur, ex accidenti tamen, cum orbis diverso convertatur motu, quam propria orbem moveat agitatrix. Atqui Deum nihil omnino motus, nihil agitationis excipere docuimus. Quare etiam nihil partitionis sustineat necesse est. Quid? quod caelestes mentes orbium caelestium inspectione deprehendi μετὰ τὰ φυσικά volunt; at orbes alii non simplices habent agitationes, cum singuli pluribus conversionibus rotentur, solus extimus orbis uno simplicissimoque omnino motu contentus est. Quare et mentium illarum suprema, quae primi in rebus principii tenet locum unum simplexque omnino constituendum est, ne potior agitatis, quam agitantibus, simplicitas traderetur. Praetereo quod constituta concretaque omnia causam habent; non

---

6 omnia vel *tr.V* 8 dictum] Deum *ac. N1* 24 etiam nihil] nihil etiam *N1 N2* 25 μετὰ … φυσικά *litterarum Graecarum inserendarum causa lacunam rel. V* 31 habet *N1*

5–6 non … convincitur] 12 Met. *N1 N2 V* 6 Ratio 12 *N1 N2 V* 11–12 quod … repugnat] 12 Met.; 8 Phy. *N1 V*, 12 Met.; 13 Phy. *N2* 12 Ratio 13 *N1 N2 V* 14–16 infinitum … videamur] 1 Phy. 35 *N1 N2 V* 17 Physicis] 8 Phy. *N1 N2 V* 17–18 Platoque … confirmavit] 10 Leg. 14 *N1 N2 V* 18 Ratio 14 *N1 N2 V* 18–19 Impartibile … Physicis] 8 Phy. *N1 N2 V* 24 Ratio 15 *N1 N2* 25 μετὰ … φυσικά] *om. cum lacuna V* 31 Ratio 16 *N1 N2 V*

enim simul coeuntia coniungerentur, nisi a causa aliqua ducerentur. Efficiens autem cum forma idem non est, nisi specie tantum, ut theatri formam in Vitruvii menti cogitatum et Romae postea ad spectantium usum aedificatum. Cum materia vero ne specie quidem idem est id quod efficit; alia enim natura est quae agendi, alia quae patiendi vim obtinet. Neque rursus causa se ipsam constituit; quare si Deus constaret ex partibus, causam aliam haberet a se ipso atque ab utraque partium alienam. Taceo quod aliae mentes omnes materiae non nihil simile habent praeter Deum, ut Averroes praedicat. Atqui nisi simplex sit Deus, materiam aut materiae simile non nihil inesset Deo. Omitto quod ubi primum non est, ne ultimum quidem inveniri potest. Quod si Deus non simplex nihil erit in natura primum, quem ad modum ostendimus si non primum, ne ultimum quidem ullum reperietur. Quam ob rem materia, quae rerum ultimam tenet et sedem et basim, nulla erit; quod si quis cogitarit, legat Physica Aristotelis et Platonis Timaeum, unde illa fere de verbo ad verbum deducta sunt. Non dicam universum auferri mundum, nisi simplex sit Deus; nam si non primum, non ultimum, non materia sit, ne generatio quidem erit, nihilque quod et oriatur et occidat. Finem huic quaestioni impono si commemoravero quae μετὰ τὰ φυσικά testantur de Deo, quod actus purus est. Quod si aliae mentes materiam respuunt, Deum et id respuere decet, quod est materiae simile; hoc autem pars aliqua esset, si conglutinatus ex partibus esset Deus. Nec adversus hoc persuadet, quod caelum, anima, mentes aeternae sint, quas ex actu constare diximus atque potestate. Rerum enim omnium solus aeternus omni ex parte Deus est, ut ostendimus. Quod si alia non intereunt, ex superiori id causa sortiri Timaeus respondet. At Deus, quo superius extat nihil, nec aliunde adipisci aeternitatem posset, nullis ex rebus pendulus sit oportet, ut habeat ex se ipso aeternitatem. Quam ob rem partes illi sunt nullae, unde pendeat, sed simplex omnino est, unde omnia pendeant, ut annuli Platonis ex Magnete, et Homeri illa catena, quae a Dei simplicitate sumens originem per formas rerum velut per annulos connexos descendens per

8 mentes aliae *tr. ac. N2* 15 de verbo ad verbum] verbum de verbo *N1 N2*

7 Ratio 17 *N1 N2 V* 8–9 aliae … praedicat] 3 De anima *N1 N2 V* 10 Ratio 18 *N1 N2 V* 14–15 quod … Aristotelis] Phy. 1 *N1 N2 V* 15 et … Timaeum] Tim. *N1 V* 16 Ratio 19 *N1 N2 V* 18 Ratio 20 *N1 N2 V* 19–20 quae … est] 12 Met. *N1 N2 V A* 25–26 Quod … respondet] Tim. *N1 V* 29–30 annuli Platonis] Ion 9, 10 *N1 N2 V* 30 ex … catena] Hom. *N1 V*

29–30 simplex … Platonis] Ion 533e | annuli … Magnete] Lg. 8 848d

mentes, per animas, per caelestes orbes, per animantes, per plantas, per metalla, per coagmentata imperfecta, per elementa percurrit, donec in ideam magnae matris silvam se condat et desinat obscurissimum antrum, quam primam nos materiam appellamus, quae ita pura potestas est nihil pecularis habens formae, ut Deus purus est actus nihil indignae sustinens potestatis. Nimirum hoc est, quod Aegyptios movit, ut res divinas non numero et multitudine litterarum, sed simplicium figuris imaginum significarent, de quibus ut Horus latius, ita Plotinus acutius disputat. Hoc idem Etruscos impulit, ut Iano, clavibus, fascibus, navis rostro, mitra candida, aureo plaustro, et singulis quibusdam arcanisque litterarum notis; de divinis et loquerentur et scriberent, fingerentque in Lucumonum luco figmenta quaedam Iani, Cybeles, Coriti, Iasii, Dardani, atque aliorum, quas quidem a luco qui FAVL dicitur a quattuor sacris litteris appellatum, Faulas, Latini postea Fabulas appellarunt, ut uno nomine, una imagine viri mulierisve, universa sententiae alicuius disputatio demonstraretur. Unde prius in Samothracem, postea in Phrygiam sacrarum rerum mysteria et magnae matris arcana a Dardano translata sunt; oramque Asiae, quam habitandam in partes Etruriae similes distinxit, ac nominibus eisdem appellavit. Atque ut Etrusci Umbri ab aquarum inundatione dicti, quod in lucem elapsi Italiam tenuerunt primi aquarum et memoria et metu alta et inaccessa coluerunt, quae Tosca eorum lingua, unde et Tusci, auctore Festo, nominati sunt; ita et Phrygiae partes primo in montibus eodem aquarum metu, teste Strabone, habitari coeptae sunt, ubi a Cybelari Etruriae colle duxit ut Pessemuntem Cybeli sacraret, imaginesque deorum, quos Penates vocabat, ritus, ceremonias a Cerete Tyrrheno oppido sumptas dedicaret. Quas ob res Mantuanus vates, qui sese ob Tyrrhenam Manto Tyrrhenorum reliquias credebat, tum ob vetustatem, tum ob gentis gloriam, tum etiam ob praestantiam Etruscarum disciplinarum fabulis imaginibusque divina pingentium, nihil duxit antiquius, quam ut et Musa et litteris excoleret Dardani et Etruscorum res prius ex Etruria migrantium in Asiam, postea, Phrygia vastata, ex Asia in Etruriam redeuntium, ubi antiquam exquirere matrem ac non modo antiquam patriam, verum etiam veterem et primam magnae matris originem repetere iussi sunt, ut veteris theologiae symbola in veterem Etruriae

8 ut *sl. N1* 20 tenuerint *N1* 21 inaccessa] in accessa *N1* 24 Pessemuntem Cybeli] Pessinuntem Cybelae *N2*

6–8 quod … significarent] Aegyptii *N1*: *asteriscus N2* 26 Mantuanus vates] Virg. *N1 V*; *asteriscus N2*

26–27 Mantuanus … credebat] Ecl. 9.59–60

sedem reportarent. Argumento est, quod nihil in somnis aliud fere audivit Aeneas, nisi illud: "Sacra suosque tibi commendat Troia penates"; ubi et imagines ac penates ad sapientiam, et sacra ritusque ad pietatem facientia dumtaxat praecipiuntur.

94. *Deus solus simplex est*

Si quis mentes, aut animas, aut etiam formas alias in medium adducat, non Deum tantum simplicem in rebus inveniri suadebit, cum actum non Deum dumtaxat, sed mentes motrices orbium μετὰ τὰ φυσικά dixerint ex perpetua sphaerarum conversione. In formae quoque definitione simplicitas collocata est, cum simplicis atque invariabilis essentiae dicta sit. Distingui oportet res omnes in partes duas: alia subsistunt ex sese; alia aliis iuncta sint necesse est, si futura sint. Illa concreta sunt omnia, praeter Deum; haec et si concreta in se non sint, conglutinatione tamen non carent, cum esse non possint, nisi se rerum aliarum societati conglutinent. Animal namque ac planta nemo non videt conflata initiis suis esse, ac calor et viriditas quamquam concreta ipsa non essent, quia tamen rebus aliis iunguntur miscenturque necessario, ideo munus simplicitatis amittunt. Atqui Unum illud divinum, hoc nomine simplicitatis indicandae gratia vocatum a Parmenide, nec ipsum in se ipso concretum est, cum simplicissimum, nec alia cum re misceri potest, cum perfectissimum sit. Pars enim omnis imperfecta ex se est et imbecilla, ut ante disputatum est, cum partis alterius commercio egeat, ac totius ut finis bonique gratia, instituta sit. Quae quidem officia uni illi Parmenidis quod optime se se habet, non possunt convenire, cum melius adipisci, Platonis testimonio possint nihil. Monstratum prius est, solum Deum esse pulchrum, hoc est vere pulchrum cui turpis et potestatis nihil admixtum sit. Sequitur itaque prima concreti ratio, de qua Parmenides ait, essentiam alicuius rei atque rem ipsam idem non esse; quare res omnes, quae ex se existunt, nexum unum sustinent essentiae atque esse. Cumque hic actus, illa potestas sit, unde ansa datur generi differentiaeque, est rebus generis ac differentiae nexus alter. Additur his et tertius, quod cum solus pulcher sit Deus ea ratione, quod actio virtusque eius non differens, sed idem cum

23 sint *N1 V* 24 potest *N1 V* 28 existunt] existuntiunt *ac. N1* 31 et] etiam *add. V*

23–25 Quae … nihil] 6 Reip. 66 *N1 N2 V* 27–28 prima … esse] Parm. 43 *N1 N2*; Parm. 49 *V*

essentia est; in aliis ut esse actus est essentiae, ita actio ac functio alicuius virtutis sit actus necesse est; et ut esse est actus potestatis, quae ad substantiam pertinet, ita actio, quae substantiae accidit ex virtute oriri debet, quae ascribitur inseriturque numero accidentium. Quod si essentia substantiis, virtus accidentibus adnumeratur, virtus in omnibus ab essentia differt, cumque omnia alia essentiam ab alio ut sint sortiantur, etiam virtutem ut agant ab alio sortiuntur. Una itaque conglutinatio in aliis est ex virtute atque essentia, ubi substantia cum sordibus accidentium foedatur. Altera cum ipsa rei substantia in essentiam et esse veluti in diversas partes caeditur, secatur, et scinditur. Tertio actus potestatis impuritate labefactatur. Denique generis differentiaeque complexio ac copulatio in definitione iudicatur. Adversus haec quattuor, quae omnia passim occupant vinciunt, dehonestant, quattuor divinae pulchritudinis partes Plato in Symposii calce numerat, aitque, "quam felix illud spectaculum futurum speramus, si quis ut pulchrum ipsum cernat, assequatur sincerum, integrum, purum, simplex." Cum sincerum dicit ab accidente, cum integrum ab essentia et esse sectione, cum purum a potestatis impuritate, ut purus actus sit, cum simplex a generis a differentiae colligatione seiungit. Quam ob rem si nihil, nisi Deus, ab iis liberum est, cui sola inest sincera, integra, pura, simplexque pulchritudo, solus omnino vocandus est simplex, nihilque aliarum est rerum, quae vere absoluteque simplex dici possit.

95. *Anima simplex omnino non est. Prometheus, ferulaque et harundo. Differentiae quattuor*

Etsi forma omnis, quemadmodum demonstratum est, in simplici essentia sita est, profecto multo simplicior formis aliis corporum censenda est anima, quippe quae neque corpus sit, neque ut formae aliae corporeis extenditur mensuris, quod arguit simplex eius actio cognoscendi contemplandique, et multo manifestius ex eo, quod intelligitur, convinci id potest. Ex eo enim, circa quod versamur, actio, potestas, essentia iudicatur. Nam velut sensus in animantibus diversos volumus esse, quoniam ea quae sensibus comprehenduntur diversa sunt, et ut vox a coloribus odoribusque, ita audiendi facultatem et vim a cernendi et olfaciendi sensibus dispescimus ac seiungimus. Ita de sensu ac mente existimare

---

5 numeratur *V* 17 esse] etiam *N2* 21 quae] quod *N2* 31–32 comprehenduntur … olfaciendi *in marg. V*

13–16 quattuor … simplex] Symp. 55 *N1 N2 V*

decet; nam tale unumquodque dicendum est, qualia sunt quae amat et circa quae versatur. Atqui sensus corporibus in iudicandis, mens in iis quae a corporis mole seiuncta sunt. Quam ob rem ut sensus corporeus, ita mens putabitur in corporea. Quam quidem vim anima sortiri non potuisset, nisi peritus in corporea extitisset; neque enim actio est agente praestantior, neque quae substantiae adduntur acceduntque sunt substantia eminentiores. Ita animae naturam venari explorareque docebat olim Socrates; cum enim non nulli Charmidis adulescentis formam commendarent, dicerent multo intus, formosiorem videndum esse, si amictus deponeret et nudus appareret, tum Socrates insuperabilem, inquit, virum narratis, si quid adhuc parum adulescenti adesset; ecquid nam istuc parum, inquit Critias? Si optimo, inquit, animi habitu decorus sit. Hanc formam admirabatur Socrates, cuius humana anima Deo quam simillima puritate ac simplicitate capax est; utque summa pulchritudo Deo adiudicata est, quod alienus sit ab omni nexu, ita magna multaque participatio in id ipsum (ut oraculi verbis utar), hoc est, magna divinae pulchritudinis portio et similitudo datur animae, quae ut parentis formam referat, ut potest, est prorsus a mole corporis aliena. Sed audiant venationis studiosi, qui inopes fame perire patiuntur, ut greges alant canum, audiant, inquam, eum cui perinde ac venatori optimo dixit Zeno ὥσπερ γε αἱ Λάκαιναι σκύλακες εὖ μεταθεῖς τε καὶ ἰχνεύεις τὰ λεχθέντα, "ut Lacaenae canes bene transcurris dicta et investigas." Hic, inquam, prudentissimus arcanorum venator Socrates divinam docet venandi rationem: Quid igitur, inquit, non animum nudamus prius, interioremque decorem potius, quam exteriorem speciem contemplamur? Haec Socrates; ubi de homine interiore cum divo consentit Paulo. Sed quae tandem venandi vestigandique et animi et eorum quae intus a sensu procul latent? Cum talis, inquit, sit, disserere nobiscum non negabit. Haec itaque universa venandi ratio, quam docuit Socrates, ut animus disserendo appareret, hoc est virtus essentia ac rei ipsius praestantia de actionis indicio deprehenderetur. Actio enim formas ostendit, ut scripsit Averroes, neque aliter

---

2–3 in … sunt *in marg. V* 4–5 Quam … corporea *in marg. V* 6 acceduntque] accendunt quae *ac. N1* 11 parum] parvi *N1* | ecquid] et quid *V* 12 Critias *hoc loco manus alii scriptoris incipit V* 14 Deo] a Deo *N1 V* 14–15 adiudicata] ad adiudicata *V* 21 ut *sl. V* 24 inquit *om. V* 28 itaque] igitur *praem. ac. N2* 30 ac rei *in marg. V*

7–8 Ita … Socrates] Carm. 4 *N1* 19–20 audiant … Zeno] Parm. 5 *N1 N2 V* 31–365.2 neque … motu] 7 et 8 Phys. *N1 N2 V*; 12 Met. *N1 N2 V*

20–21 … λεχθέντα] Prm. 128c

caelestes mentes venantur Aristotelis et Physica et μετὰ τὰ φυσικά nisi ex actione ac motu. Quod sapientissime quidem docuit legislator Deus, arbores ex fructibus cognosci oportere. Nihil profecto sibi hii volunt aliud, nisi ut statuant ex actionibus omnia iudicari, cum omnia circa ea quae sibi cognata sunt, exerceant sese, in eisdemque natura suadente conquiescant. Cognata namque amata sunt amanti, et contemplanti veritas, ut Plato scribit. Quam ob rem cum formarum omnium, quae genitis in corporibus sunt, sola humana anima ad divina cognoscenda sese erigat, non nisi ad cognata accedere cogitanda est. Cumque divina illa, quae cernit ratione ac mente, incorporea sint, fieri non potest, ut ipsa quoque incorporea non sit. Pulchri enim ipsius ac divini quod anima intelligit συγγενής ac cognata a Phaedone dicitur, utpote idcirco Deo similis, quod immortalis, quod incorporea, quod divinarum rerum contemplatrix. Non tamen idcirco ita simplex, ut Deus; imitantia namque omnia deficiant necesse est ab eo, quod imitantur. Agedum videamus quinam fiat, ac quonam pacto ostendi possit, ut animam, quam incorpoream facimus, recte non simplicem prorsus faciamus. Principio quaecumque sunt, vel coagmentata sunt ex materia formaque, vel non ex his coagmentata sunt. Deinde quae coagmentata ex his non sunt, bifariam sese habent; hinc enim forma est, et hinc materia. Forma autem aut in materia cubat, aut procul a materia extans incorporea plane est. Quae denique in materia non residet, esse habet aut in essentia differente susceptum, aut nulla in re susceptum omnino, sed penitus ex se ipso subsistens. Ut sint haec omnia numero quinque: coagmentatum corporeum, materia, ac forma triplex, in materia, in essentia, in se ipsa. Coagmentatum quidem, quod corpus est, partes habet materiam atque formam. Materia vero etsi has partes non habet, esset enim materia materiae, nec illa prima esset ut volumus; suas tamen ipsa etiam partes habet, ut enim Averroes prodidit, numquam ab ea corporis mensurae seiunguntur, semper extensa, semper laxo apertoque sinu patens, semper ex partibus constans est, quas socia semper quantitas metitur. Non refert, habeat ne ex se ipsa partes materia, an ex copula quantitatis accipiat. Omnino constat partibilem esse materiam semper, semperque ex partibus, spacio, loco, situ,

3 fructibus] fluctibus *N1* (*ac.*) *V* 7 omnium *sl. V* 8 sese *sl. V* 9 est *sl. V* 18–19 ex … sunt *in marg. V* 19 Deinde] deinceps *N1 V* 27 nec *sl. V* 28 tamen *sl. V* 33–366.1 ex … Utrumque *in marg. V*

6–7 Cognata … scribit] 6 Reip. 3 *N1 N2 V* 11–12 Pulchri … dicitur] Phaedon. 33 *N1 N2 V*

3 arbores … oportere] Mt. 7.16–20

distantibus constare. Utrumque itaque tam coagmentatum, quam materia partes obtinet, sed illud rationis diverse, haec eiusdem forma etiam, quae in materia sparsa est, ut elementi, ut plantae, ut bruti, partes materiae partibus aequales habeat oportet. Quanta enim materia est, tanta esse et forma consuevit. Supersunt praeterea formae aliae duae, quae a tribus his rebus, quas diximus; longe distant. Sunt autem illae quidem mens ac Deus. Mentem nunc intelligo naturam et conditam et rationis participem, sive caelestis sit mens, sive humana anima. In Ethicis namque non solum anima, sed ipse etiam homo intellectus vocatur. Duae igitur hae formae, mens ac Deus; nam neque materiam habent, neque partes quantitatis ullas, neque quidquam sustinent protrahentis metientisque quantitatis; quare impartibiles ideo sunt, quod quantitatis partes non admittunt. Verum etsi hoc modo impartibiles sunt, ut de Deo taceam, mens certe, sive animas, sive secundos deos mentis nomine significari velimus, non propterea impartibilis omnino, nec simplex est, ut Deus. Nam sicut Alexandri facies ac forma una dumtaxat extitit, quam Philippo Olympias edidit, quam armis domita prior vidit Graecia, quam postea devicta Asia venerata est, quam Thalestris Regina Amazonum adamavit, sed licet ea forma in Alexandro sita una in universa vita semper esset, quam soli aetatis illius homines intueri potuerunt; Pyrgotelis tamen et Lysippi industria factum est, ut nos etiam Alexandri formam intueamur, non eam ipsam, quam Olympias peperit, sed quae marmore, quae aere caelata est; utque illa in Alexandro veluti origo atque exemplar una erat, atque si in se ipsa permaneat, plures esse non possent, ita postea quot aera, quot marmora, quot tabellae exemplar id unum imitatae sunt, totidem Alexandri formam participaverunt, ac participatae Alexandri formae totidem evaserunt. Illa tamen naturae erat opus, haec artis; in illa unitas perstitit, in hac numerus et multitudo pullulavit. Idem de aqua dicendum: una namque in fonte est, et in montis spelunca, ubi, Aristotele auctore, aer frigore densatur atque in aquam coit; una tamen suo in fonte aqua in tot postea partes scinditur, quot vel rivi ducunt vel vasa suscipiunt. Ut maris aqua una est universa perpetuo nexu iuncta, quamquam in Indico hallucinatum Ptolemaeum Lusitana diligentia deprehenderit. Similia simul

1 itaque] igitur *N2* 10 nam] na' *abbr. N1 V*; natura *N2* 13 de *sl. N2* 16 Olympiades *N1 V* 19–20 una … illius *in marg. V* 19 esset] essent *ac. N1* 20 Pyrgotelis] *sex verba* antecedentia *lnp.V* 22 Olympiades *N1 V* 27 opus erat תר *N2* 31 quod *V* 32 Indico *sl. V* 32–33 hallucinatum *sl. N1*

8–9 In … vocatur] 10 Eth. *N1 N2 V* 28–30 una … coit] Meteo. *N1 N2 V*

iuncta non sunt; alveus enim lectusque alius fluvium ab aliis se iungit et dirimit. Quin et sigilli forma una est, quot tamen subduntur imprimunturque cerae, tot sigilli caelantur imagines. Quorum tot exempla indicata sunt? ut rem difficilem, philosophis tamen apertissime notam, nosse illi etiam possint, qui nullum in physica studium collocaverunt. Quare ut Alexandri forma, ut fontis aqua, ut mare, ut sigilli exemplar unum cum sit, multa fieri nullo modo posset, nisi multa adducerentur, in quibus recipi dividique id unum posset. At forma omnis in se ipsa est una, ut alias disputatum est, una est leonis, una est equi species, una in se ipsa essentia, una forma. Quomodo itaque leones multi, equive multi sunt? non nisi ex materia, ut Plato, ut Aristoteles, ut Averroes volunt. Quam ob rem ex forma unitas est, ex materia multitudo; quod ut moneret Plato in Philebo, ex uno et multis fieri dixit omnia quae gignuntur, quod quoniam hac ratione dixit, taxandus non fuerat. Diximus de coagmentatis, quodque eorum formae in se ipsis unae sunt, sed unitatem amittunt cum in alio suscipiente collocantur. Multitudinis ergo causa receptio illa est, et ideo genitorum multitudo infinita fere est, quoniam formae unitas in materiae segmentis receptatur. At formae, quae absque materia subsistere per se possunt, cum in materia aliarum more formarum non spargantur, ab illa infinitudine alienae sunt; sed quoniam aliquae esse habent in alio receptum, ideo unitatem amittunt, constantque ex recipiente et recepto, ex esse et essentia. Nam forma, ut diximus, quae in suscipiente materia pullulat et adolescit in numerum, si ab omni materia seiungeretur, unica tantum esset, ut aqua, et sigilli, et Alexandri forma. Ita de albedine dicit Averroes, quod a cygno, a lacte, a nive, et ab omni vehiculo abduceretur, modo haberet aliquid per quod discerperetur, atque ideo una fieret, ut ex uvis, quae multae sunt, si succus in lacum fluit, unum tantum efficitur, quod vinum appellamus. Albedo itaque si ita abiungi posset, non modo una, sed etiam mens aliqua evaderet; nihil enim esse potest, nisi mens, quod omnino a materia sit seiunctum. Ita de ipso esse definiendum est, quod licet multa sint, quae esse habent, si tamen esse in se ipso contemplemur, nullo in vase, nullo acceptabulo, nullo vehiculo fulcrove susceptum, fieri nulla ratione potest, ut in plura scindantur. Quapropter unum atque impartibile prorsus erit, quod nulli iungitur, nulli innititur, nulli

2 una *sl. N1* | quot] quod *V* 4 tamen *sl. V* 6 formam *V* 19 more] mole *V* 27 tantum] tamen *ac. V*

10–11 Quomodo … Plato] Phileb. *N1 N2 V* 11 ut Aristoteles] 7 Met. *N1 N2 V* | ut Averroes] 3 De anima *N1 N2 V* 13 in … gignuntur] Phil. 14 *N1 N2 V*

omnino haeret. Nam si in aliis, ut et Plato vult et eius discipulus consentit Aristoteles, aliud est essentia, aliud id quod est. Esse itaque, quod habent, non purum, non ex se esse est, sed mixtum, participatum, in alio situm, per aliud existens. Sed fieri non potest, ut aliquid sit et per aliud et participatum, nisi fontem habeat, ubi per se ipsum subsistat. Ipsum itaque esse et unum et per se, seorsum ab omni concretione secernendum est, quod nos et purum esse dicimus et Dei appellatione nominamus. Is cum bonus esset, immo et ipsum esse, ita et ipsa bonitas, idcirco mundum condidit. Bonum enim appetibile est, nec appetitur quod participari non potest. Ut itaque boni ratio conservaretur, par fuit, ut etiam participaretur. Condidit itaque mundum, species naturasque constituit, esse rebus tribuit, hoc est, se ipsum imitandum et ac participandum exhibuit. Ut autem purus ignis supremum elementorum obtinet locum, hic si ignem habituri simus, alienae materiae mixtum concretum habeamus necesse est, ut ligno, ut oleo, ut cera, ut aliis id generis flammarum alimentis; ita ipsum per se esse, quod Deus est, praeberi aut participari non poterat, nisi in aliquo amplexante exciperetur. Quare quaecumque esse ceperunt, quia non purum coeperunt; idcirco enim purum illud est, quod nulla alia in re susceptum est, non nisi in essentia illud exceperunt, quae ita adesse susceptum sese habet, ut potestas ad actum. Et ut aspectus ac scientia reperiri non potest in humanis rebus, quae non in oculi vel mentis alicuius potentia sita sit, ita et esse, qui actus nominatur, reperiri non potest in his quae condita sunt, nisi peculiari propriaeque potestati copuletur. Purus enim atque omnino seiunctus actus existere non potest, nisi unus, ut de Averrois albedine paulo ante diximus. Quem ad modum et si vasa et acceptabula sublata sint omnia, nihilque vel seiungat vel segreget, in unum aqua omnis statim confluet, nec plures quam una tantum erit aqua. Si rursus ex universo eo pelago dividenda sit aqua, dandaque postulantibus, nulla aquae pars cuique tradi posset, nisi acceptabulo aliquo comprehenderetur. Quam ob rem quidquid particeps illius factum est, quasi in vase aquam, et in caua ferula ignem, ut Hesiodus philosophatur in Prometheo, esse in essentia suscepit. Nam ut ignem elementum id vocant omnium purissimum, supremum, lucentissimum, ita figura quadam similitudinis

---

6 se *sl. N1* 12 autem] aiunt *corr. in marg. N1*; unde *corr. sl. V* 15 ipsum … esse] per ipsum *V* | esse *om. N1 N2* 19 adesse] esse *N1* (ad *in marg.*) *V* (ad *sl.*) 27 aqua] qua *ac. N2*

1 ut et Plato vult] Pla. *N1 V* 1–2 et … Aristoteles] Arist. *N1 V* 7–8 Is … condidit] Tim. *N1 N2 V* 31 Hesiodus] *asteriscus N2*

et esse id purum ac summum, quod non lucens, ut alia, sed lux nuda est, ut ante diximus, ab Hebraeo Mose, quem utpote in Aegypto natum nihil disciplinarum latuit, ignis nomine appellatum est. Iapetus etenim a Noe natus est, qui a vini inventione et usu Iani nomen accepit. Huius filius Iapetus duos praecipue cum aliis non nullis, Tubal et Iavan, filios procreavit, insularum et Europae incolas, teste Mose. Horum prior Italiae, posterior Graeciae nomen dedit; quod oraculi testimonio comprobari potest. Isaias namque cum Tubal Iavanque scripsisset, interpretes Italiam et Graeciam transtulerunt. At Tyrrheni sapientiae et divinarum rerum cognitionis studiosissimi, quam a gentis principe Iano didicerant, divinas actiones ut vulgo abderent, bonis studiosisque symbolis et fabulis insinuarent, maiorum suorum nominibus consecraverunt. Noe autem ac Iapetus filius bonis liberis divinarum rerum intelligentiam secreto tradiderunt. Iapeti filius Tubal primus omnium, ne res in vulgus abiret et malorum temeritate contaminaretur, fabellas instituit, per quas et bona ingenia instituerentur exercerenturque in comparanda sapientia, et vulgus blanda voluptate delectaretur. Ludos quoque instituit et theatra, ubi primi Iapeti et Iani avi, quasi divorum, memoria celebraretur, ubi et fabula et hymnos et musica et tubas instituit primus, unde postea inditum est tubae nomen ab inventore. Et propterea rerum Etruscarum studiossimus Maro id innuit Tyrrhenamque tubam scriptam reliquit. Nomen is artemque superioris Tubal secutus filii Adae, quamvis nomen illius Iubal, non Tubal, apud Haebraeos sit. Iapeth etiam nomen consentit; Haebraea enim lingua F litteram non habet, P tantum illis in usu est, quod nunc simplex et tenue, nunc duplex et densum exercere solent. In plerisque id evenit, ut ubi ipsi PE, nos FE dicamus, quem ad modum in Faraone usus obtinuit, quem illi et scribunt et vocant Paraonem. At Graeci, qui Iavan fratrem susceperant, auctoris nomen aeternitati consecraverunt, ac Graeciae oram Iavan appellitaverunt, unde Ionium Mare Ioniique populi cognominati sunt. Hos vero fratres Graeci, Prometheum atque Epimetheum vocaverunt, Etruscamque fabulam Atticam fecerunt: dixerant namque illi Tubal Iapeti filium curvo consilio decepisse Deum. In filio Iapeti mens intelligentiae compos intelligitur. Nomine illius qui

4 qui *in marg.* 8 interpretes *N2*; interpres *N1 V* 14 Iapeti] Iapetus pare *ac. N2* 15 contaminarentur *N1* 16 exercerenturque] exercerturque *ac. V* 17 blanda] in blanda *V* 23 Iapeth] Sapet *ac. N1* 27 Pharaone *N2* 33 mentis *N1*

4–6 Huius … procreavit] Gen. *N1 N2* 8 Isaias … scripsisset] Esa. 66 *N1 N2* 21 Maro] Virg. *N1 V*

4–6 Huius … procreavit] Gen. 10.2 8 Isaias … scripsisset] Isa. 66.19

primus de mentibus et de divinis rebus cepit latius in theatris per fabulas philosophari, et arcana prius quibusdam clam credita ac per manus tradita, ut populis proponerent, tecta tamen atque adoperta Etruscarum velaminibus fabularum. Proinde curvi Promethea consilii idcirco fecere, tum ob fabulam, tum ob id, quod fabulae cortice circumamicitur. Obliqua etenim consilia sunt, quae aliud ostendunt, aliud longe abdunt, quod antiquae theologiae proprium fuit, quae omnia fabulis et musarum antris occludebat. Curvum quoque intra fabulae sinum consilium vocant conditae mentis intelligentiam ac contemplandi usum. Non enim sicuti in Deo recta simplex cognitionis actio est, quae ad nullum aliud flectens genus eadem ipsa divina natura est. Nam velut lineam rectam facimus, quae a puncto movens brevissime ad punctum pertingit, obliquam quae aliorsum vergit; ita divinam intelligentiam rectam volumus, quae in divina substantia sita idem esse cum divina substantia deprehenditur. Decepisse vero Deum non est aliud, nisi mentem male usam fuisse suscepto munere atque intelligendi facultate, cum adeo descivis et mentium caelestium pars in caelo et homo a Deo institutus in terris. Errorem autem viri feminae illecebris, quem ad modum nos de Adam dicimus, si poetae alii supprimunt, Hesiodus latissime prosecutus est, cum Deum ex aqua et terra condidisse dicat femineamque viro dedisse, cuius commercio et fallacia morbi malaque omnia et maria et terras invasere. Bellum vero deorum adversus Iovem una coniurantium nemo poetarum est, qui non commemoret. Abdiderat porro ignem Deus et olim universam in se ipso lucem collegerat, nullique ante orbem conditum concesserat. Quid autem est, quod abdidisse illam dicit Hesiodus, nisi quod adeo sublimem et mentium acies caligantem habet, ut neque natura attingi, neque ab ipsis quidem beatis comprehendi omnino possit? In sacris id hymnis cantatissimum est: "nubes et caligo in circuitu eius," ac rursus: "mirabilis facta est scientia tua, ex me exaltata est, et non potero ad eam." Abscondisse etiam divinam illam altitudinis pulchritudinem et a sacris oraculis dictus Deus est: nam Filius Patrem dicit divina abscondisse sapientibus ac prudentibus; divique Apostoli idem testantur, arcana quaedam esse, quae loqui non fas sit homini, quaeve neque aures audiant, neque cernant oculi, nec

3 proponerent] proponere *N1 N2* (*ac.*) *V* 4 Proinde *sl. V* | curvi *sl. V* 11 flectens] flectentes *ac. N1* 16 descivit *N2* 17 institutis *N1 V* | Errorem] errore *V* 21 terras *sl. V* 25 adeo] a Deo *N1 V* 33 non] nos *ac. N1*

28 nubes … eius] Ps. *N1 N2 V*

31–32 Filius … prudentibus] Luc. 10.21 32–371.1 divique … possit] 2 Cor. 12.4, 1 Cor. 2.9

hominis cor et mens scrutari possit. Furatur illum ignem Prometheus, cum mens condita est sublimis intelligentiae particeps, nec praestolari potuit, ut gratis acceperet, sed et natura in caelo adsequi mens altera, altera neglecto Dei mandato in terris properavit. "Eritis," inquit Daemon, "sicut dii, bonum malumque scientes," ac protinus et homo a daemone, et Deus ab homine deceptus est, si decipi eum fas est dicere, cuius legem primo quidem suscipimus, postea et relinquimus et contemnimus. Furatus porro ignem dicitur et divinam illam ac fulgentissima lucem dicitur Prometheus ἐν κοίλῳ νάρθηκι 'in cava ferula.' Quid enim ferula est, nisi inanis et sterilis mentis pars, quam potestatem et essentiam vocabamus? Et quoniam e divino fonte susceptura erat ipsum esse, qui est actus essentiae, ideo cavam ferulam in vasis modum esse oportebat. Hauriendae enim aquae vasa apta non essent, nisi concava facta essent. Ut ergo essentiae ferula, ita cavitas habilitatis, aptitudinem potestatis est symbolum; semperque in oraculorum nostrorum theologia, quae mystica magna ex parte a Deo optimo maximo data est, cum mentis significanda est imbecillitas, ferulaceae arundinis symbolum usurpatum est, more Etruscorum atque Aegyptiorum symbolis divina significantium. Taxat Isaias eos, qui arundineo baculo innitebantur et umbrae Aegyptiorum, hoc est, sapientes ac philosophos, qui philosophiam ex Aegypto petitam beatam vitam daturam speraverunt. In libro etiam Regum, atque apud Ezechielem idem ponitur symbolum. Invehitur et hoc nomine in impios philosophos hymnus divinus, qui philosophiae ratunculis quasi veneno ita affecti sunt, ut divina non credant, et adversus veritatem, pietatem, oracula tollant cornua confutantes irridentesque divina: "Increpa," inquit, "feras arundinis"; quo praecepto mandatum est, ut vita igneque plectantur qui ita πῦρ ἐν κοίλῳ νάρθηκι κλέπτειν 'ignem in cava ferula furari' audent, et avido animo comparare philosophiam, qua postea freti desciscant a Deo. Tubal vero Tyrrheni montis incola, ubi procul a populo fabulis commiscendis dabat operam ad divina vestienda operiendaque. Graeci Prometheum in Caucaso relegatum, et Cicero, auctor alioqui gravissimus, caelestia contemplatum dicabat. Accedit Strabonis testimonium, qui veteres post inundationes aquarum montes incoluisse, et alio in loco montanis

1 scutari *N1* 8 dicitur *eras. N2* 14 aptitudines *N2* 18 atque] et *V*

18–19 Taxat … Aegyptiorum] Is.36 *N1 N2 V* 21 In libro etiam Regum] 4 R. 18 *N1 N2 V* 21–22 atque apud Exechielem] Ez.29 *N1 N2 V* 22–23 Invehitur … divinus] Ps. 67 *N1 N2 V* 26–27 qui … audent] Hes. Erg. v. 47 *N2*

4–5 Eritis … scientes] Gen. 3.5

habitationibus altas divinasque contemplationes significatas fuisse existimavit. Quod cum de Curetibus et Tyrrhena Cybele agimus in Etruscis rebus late disputamus. Longius profecto hic trahimus orationem, quam statuerimus, ut ad divina vestiganda accendamur ardentius, cum antiquitatem omnem animadvertamus illius et penetralia quasi Musarum antra inspexisse et dulcibus arcanisque fabulis bonae posteritati tradidisse. Quod autem ad rem pertinet, illud est, ut animam ac mentem non simplicem, ut Deum, cogitemus, ubi ignis in ferula, esse in essentia, et actus in potestate conglutinatus est. Simplicem quidem animam facimus, quam neque corpus esse volumus, neque corporis mensuras accipere; sed non modo animam, verum universum mentium genus et Deum decepisse, hoc est, a divina simplicitate defecisse, et curvi consilii habendum esse, hoc est, intelligentiam ab intellectu, esse ab essentia, actum a potestate flectentem, declinantem, differentem obtinuisse, et, quod clarius dicitur, ignem in cava ferula sustulisse, divinam formositatem informi inanique potestate commiscuisse. Novem itaque sunt, quae per hanc nos fabulam erudivit antiquitas. Primo quidem mentis inconstantia in deceptione divina; quae res ideo evenit, quoniam simplex omnino, ac proinde constans non est, ut Deus. Deinde id non in alia natura, quam mentium, esse posse, quae quidem sola rerum est capax divinarum, atque ideo Promethei, quasi providentis et sapientis naturae nomen effinxerunt. Ne vero sapientiam divinae similem putaremus, curui illum consilii statuerunt. Celebrarunt etiam primorum theologorum famam in Iapeti familiae commemoratione. Ponunt postea furtum, malam philosophiae consecutionem, omnia e sensus initiis et assequi et demonstrare posse defendentium. Ignem vero, rerum tam humanarum, quam divinarum intelligentiam, quae mentibus rerum naturas ostendit, ut lux colores oculis manifestat; quam ob rem intelligentiae et cognitionis symbolum est et ignis et lux. Cavitatem autem ac ferulam potestatem atque essentiam dixerunt. Poenas denique nos posteri luimus, omnia malorum genera subeuntes. Haec itaque novem ab Hesiodo numerata sunt, deceptio, Prometheus, consilium curvum, Iapeti proles, furtum, ignis, cavitas, ferula, poena; quae ita ordine eodem scribuntur ab Hesiodo: ὅττι μιν ἐξαπάτησε Προμηθεὺς ἀγκυλομήτης, quo in versu tria eorum, quae diximus, scripta sunt: κρύψε δὲ πῦρ· τὸ μὲναῦτις ἐὺς πάις Ἰαπετοῖο ἔκλεψ' ἀνθρώποισι, sequentia hic tria exprimuntur: ἐν κοίλῳ νάρθηκι, "Iratus," inquit, "Deus,

22 putaremus] putemus *V*; putamus *N1* 27–28 oculis *om. N2*

33–36 … νάρθηκι] Opera et dies

quod decepit Prometheus obliquae mentis, ignem abdidit, quem bonus Iapeti filius hominibus rapuit cava in ferula"; addidit postremo et poenam τοῖς δ' ἐγὼ ἀντὶ πυρὸς δώσω κακόν, ὧι κεν ἅπαντες τέρπωνται κατὰ θυμὸν, ἑὸν κακὸν ἀμφαγαπῶντες, "quibus quidem pro igne malum dabo, quo omnes animo oblectabuntur proprium damnum amantes." Nam tam daemones, quam homines postquam desciverunt a Deo, non Deo, sed potius sibi ipsis imponentes, illi miseriam, hii miseriae leges et vincula ita amant, ut bene agere ut ac beatam vitam sperare hi summa difficultate, illi nulla ratione omnino possint. Qui quidem error ideo accidere menti potuit, quoniam actus ac sapientia mentis non simplex, ac proinde non firma est, quem ad modum divina, sed uterque actus tam essentiae prior, quam sequens sapientiae ἐν κοίλῳ νάρθηκι et in alia quadam re susceptus est. Quae res magno mortalibus terrori esse debet, ne deorum quidem secundorum sapientiam formam esse intelligentibus; conglutinata enim omnia fatiscere aliqua ratione necesse est. Quod vero Prometheus in igne rapiendo sapientiae usum tradidisse intelligendus sit, Plato latissime in Protagora testatur. Cum enim homines a Deo e terra atque aqua conditos narrasset, magnamque rerum distributionem, animalia omnia vestibus armisque instructa, hominem nudum ab Epimetheo relictum fuisse, quo natura rationis expers indicata est: κλέπτει Ἡφαίστου καὶ Ἀθηνᾶς τὴν ἔντεχνον σοφίαν σὺν πυρί, "furatus est Prometheus Vulcani et Minervae artificiosam cum igne sapientiam." Nam ante editam rerum naturam dii, inquit eodem in libro, soli erant. Per deos Iovem parentem, Minervam, quam boni filiam vocat ex intellectione genitam, Vulcanum ex amoris incendiis effluentem intelligit. Qui non dii, sed unus plane Deus habendi sunt. Illam itaque sapientiam et pulchritudinem rapuit Prometheus, licet ipse non exemplar, sed formam quam divinae imitatricem fuerit assecutus. Quattuor vero inter utramque sapientiam differentiae numerari solent, una ex re cognita, altera ex medio, tertia ex comparandi ratione, quarta ex intelligendi facultate praedita. Cognosci siquidem a mentibus ea natura possunt, quae in rerum natura sita sunt; divina, sicut ostendimus, intelligi omnino natura duce non possunt. Ideo altera montium, altera caeli sublimitati comparari potest. Strabo enim, ut ante diximus,

8 hi] ut hi *ac. N1*; ut hi *V* 10 actus … sapientia] sapientia actusque ac sapientia *ac. N1* 12 et *om. V* 14 sapientiam secundorum *tr. V* 30 siquidem] enim *praem. ac. N1*

15–17 Quod … testatur] Prot. 13 *N1 V*

3–4 … ἀμφαγαπῶντες] Opera et dies 58 20–21 … πυρί] Prt. 321d

montanas excursiones pro sapientia humana usurpari a veteribus consuivisse autumat. Mediis etiam mentes utuntur, quas volucres Plato vocat, vel imagines in humano animo, vel intelligendi actus in caelestibus mentibus quasi volucres in caveis esse ait, unde nunc hanc, nunc illam ad mentis aciem educimus contemplandam. Deus imaginem aut actionem nullam plane habet, quae sit substantiae contemplatrici aliena. Comparandi vero ratio longe diversa est: ille enim natura, nos labore; ille substantiae virtute, nos fraude voluntatis adipiscimur; fraude daemones data sapientia usi sunt fraude homines negatam comparaverunt; nunc etiam qui impiae philosophiae sectatores, et se ipsos et Deum fraudant, Deo legitimos honores, sibi oblatam beatitudinem adimentes. Potentia denique longe alia est divina, quam mentium (si potentia divina intelligendi virtus dici potest; sed mortalium sermone utendum mortalibus) virtus namque qua contemplatur Deus, potestas non est, quae vel ab actione seiungatur, vel quae ex potestate atque actu, aut ex essentia et esse conflata sit, ut Promethei mentiumque constat esse naturam. Eaedem et in arcanis sacrorum legi possunt. Prima quidem in hymno "ut quid suspicamini montes?" ut Christum divina, non montana tantum intelligentia praeditum. Secunda in hymno altero "volavit super pennas ventorum," super intelligentiam mentium. Tertiam idem ipse docuit Deus, cum quicumque ante eum venere sapientiae praeceptores et fures appellavit et latrones. Quata eodem in hymno, quem primo citavimus: "Quid," inquit, "suspicamini montes coagulatos?" hoc est, mentes non simplices, sed ex actuum et potestatum multitudine coagmentatas. Quas ob res anima et mens, quas Prometheus indicat, hace habet quattuor, unde concretae coagmentataeque maxima ex parte habendae sunt; montanam sublimitatem, non divinam in animadversis; volucres, et imagines, sive actiones in mediis; furtum in contemplandi ratione; non Deum simplicem, sed conflatum Prometheum in potestate rerum contemplatrice. Eas uno versiculo complexus est Maro propriis nominibus: "Caucaseasque refert volucres furtumque Promethei." His addi superioris sententiae rationes possent, quibus quidem fit, ut nihil praeter Deum simplex omnino esse fateamur.

---

7 illi *N1 V* | illae *N2*

8 fraude] *asteriscus N2* 30–31 Caucaseasque … Promethei] Virg. *N1 V*

17–18 ut … montes] Ps. 67.17 | suspicamini montes] Ps. 67.17 19 volavit … ventorum] Ps. 17.11 30–31 Caucaseasque … Promethei] Ecl. 6.42

96. *Anima ubinam sit, et quibus in membris?*

Libet in animae contemplatione quae homini tam grata esse solet, quam propria est, perstare non nihil, tum quod quae nostris de rebus dicantur, libenter audimus, tum, quod forte magis ad rem pertinet, ne superioribus tantum causis animam non simplicem putemus, quod multitudine quadam in se ipsa conflata sit, verum etiam quod corpori, alienissimae rei, modo quodam admisceatur; quod ad divinae naturae commendationem accedet, quandoquidem sola rerum nexus in se non sustinet, sola alteri annecti non potest, ut pars evadat coagmentatae rei. Iam vero anima vel tota ubique est omnique in parte corporis, vel pars inhabitat partem. Si hoc sit, iam partibilis esset mensurisque distraheretur, ut corpus, fieretque ut vel corpus, vel certe corporea existimaretur. Sin vero universa ubique sit, cum idem diversa loca non occupet, alia crus, alia thoracem, alia summa verticis occupabit, pluresque in unoquoque non modo animae essent, sed etiam animantes, quando eam animantem esse volumus, quae ex corpore animaque constituatur. Recitabo quam brevissime quid Plato hac de re senserit, quantum quidem praesens postulare negotium videtur. Is de universi anima, cui nostras persimiles putat, ita in Timaeo disseruit: ἡ δ' ἐκ μέσου πρὸς τὸν ἔσχατον οὐρανὸν πάντῃ διαπλακεῖσα κύκλῳ τε αὐτὸν ἔξωθεν περικαλύψασα, αὐτὴ ἐν αὑτῇ στρεφομένη, θείαν ἀρχὴν ἤρξατο ἀπαύστου καὶ ἔμφρονος βίου πρὸς τὸν σύμπαντα χρόνον; "Illa a medio per universum usque ad extrema caeli se porrigens, eique extrinsecus circumfusa, ac sese in se ipsa convertens. Ita sempiternae sapientisque vitae in omne tempus divinum dedit exordium." Hactenus Timaeus. Constituit Plato animam ex partibus septem, mathetica altaque ratione in his quoque, quae recitavimus, septem sunt partes, quibus ostendit individuam animae dividuamque naturam, ut idem eodem in libro ait. Sit itaque primum quod de anima statuendum est, per corpus se ipsam porrigere, corpusque et partes omnes penetrare. Cum vero corpus non penetretur a corpore, teste Aristum vero corpus non penetretur a corpore, teste Aristotele, decernendum est animam non corpus esse, sed spiritum, cum praecipue corpori non adveniat, ut quae accidunt, velut humor et calor. Deinceps ait, 'a medio per universum usque ad extrema se porrigentem,' vult igitur internam animanti esse animam, non

---

5–6 multitudine … etiam *om. N2* 34 porrigens *N2*

18–19 Is … disseruit] Tim. 59 *N1 N2* 31 Aristotele] Phy. 4 *N1 N2 V*

19–22 … χρόνον] Ti. 36e

ut navigia adverso trahuntur flumine; quamquam enim ab anima ducantur, animam tamen inditam non habent. Nam qui funibus adversus aquas trahunt, de fluvii ripis trahunt. Intus itaque esse oportet quae animantis sit anima. Sed neque internus spiritus statim est anima, nisi et vitam dedat; ideo sempiternae vitae exordium dedisse dicta est. Nam neque Tiphys argonautarum ductor, neque Palinurus Phrygiorum anima erat eius navis, cuius clavum e puppe gubernabat. Licet enim sederet intus haeretque affixus gubernaculo, quoniam tamen vitam non a Palinuro, sed a Cybele, cum in Tyrrheniam Cybeleiam venisset, navis assecuta est (ut aiunt). Idcirco neque Palinurus, neque Palinuri anima, quamquam intra navim se contineret, navis anima dici potuisset, tum quod non totam simul penetrabat navim, tum praecipue quod vitam alendo ligno non praebebat. Daemones etiam et dii, cum tamen vitam ex se et internam alimoniam non dent, corporum, quae induunt, animae non dicendi sunt. Toti etiam animanti adesse oportet animam, ut satis non sit eam in aliqua tantum parte habitare. Nam cum anima corpus exuit, neque in eo se continet, amittit corpus et actionem et formam et nomen. Non enim aut sentit aut movetur amplius ex sese, viventisque neque formam neque nomen servat neque cadaver Socratis Socrates dici poterat, ut idem etiam Socrates testabatur. Quam ob rem nisi in toto esset corpore, totum vitae motu minime agitaret. Quin in partibus quoque singulis sit, sicut in universo, necesse est eadem ratione; corporis enim exuvias ponente anima, neque totius neque partium exercentur officia. Muta est etenim lingua, surdae aures, oculi expertes facti sunt luminis atque vitae, neque lingua, aures, oculi appendi sunt amplius, quem ad modum prius, nisi aliena quadam ratione, haud plane secus atque vel in marmore caelatae vel in tabella pictae; omnia enim ex functione pensanda sunt. Quapropter si ubi anima non est, pars dici non potest hominis, ut singulae partes totius animantis partes sint, anima non modo in universo, sed membris etiam in singulis statuenda est, atque ideo a medio ad extrema protendere scribit Plato. Sequitur non modo vitae initium esse mundi animam, verum etiam sapientis vitae; vitam autem sapientem appellant ab initio sapientiae participe dimanantem; ut agnoscas humanam animam potestatis vinculis et corporis commercio longe Deo inferiorem, sed mentis munere usuque sapientiae animarum aliarum plebe longe superio-

5 neque] neques *N2* 17 continent *N1 V* 19 Socratis] Socrates *N1 V* 24 expertes] ex partes *N1* 25 appendi] aperiendi *V*; apdi *abbr. N2* 28 est] sit *ac. N2*

19–20 cadaver … testabatur] Phd. 115b–118a

rem esse existimandam. Atqui cum totum dicimus, quantum ad praesens attinet, cogitare tria possumus, quantitatem, potestates, essentiam. Cutis siquidem hominis quantitatis mensuras habet, atque is praeterea calor, qui in ea visitur. Has vero partes anima non habet; formae enim, quae ita sparguntur, similem ubique materiam aut prope similem habent. Quae vero materiam maxime diversam diversisque distinctam partibus desiderant, ita dispergi non possunt, ut animae animantium, ac praecipue quae rationis participes sunt, quas a corpore et corporis mensuris liberas esse oportet, cum ratio partibili essentiae accommodari non queat. Sapientem itaque vitam dat animae, ut partium mensuris procurrentium animam immunem ostendat. Nam res, quae hac lege partibiles sunt, totae ubique esse non possunt; pars enim vel cutis vel candoris, qua pes vestitur, ut manum, ut collum, ut os vestiat, fieri non potest. Denique se porrigens circumfusa anima dicta est, ut totam ubique omnique ex parte corporis, non ex potestatibus, sed ex essentia tamen existememus. Potestates siquidem viresque animae alia aliis distributa sensoriis, non ubique se continent; nam sola tangendi vis ubique sentitur, aliarum vero aliae os, aliae nares, aures quaedam, non nullae oculos, pleraeque cerebri partes invasere; una mentis vis, utpote imperatura omnibus, cum munere fungitur, nulli corporis membro se addicit. Quare ut totam ubique esse per mensuras negabamus, ita ubique esse per potestates negandum est; solumque reliquum, ut per essentiam ubique sit, hoc est in singulis peculiaris corporis membris se contineat. Quaerentibus itaque, ubinam anima sit, an in universo et partibus universi; si partes mensurarum accipis, ita non ubique tota est; sin potestatum et virium, neque ita universa in singulis inest partibus, quin potius aliqua animae vis est, per quam ne in toto quidem est corpore, cum in corpore pars illa non iaceat. Universam autem animae essentiam et in toto et in partibus singulis fatemur contineri. Incolit tamen universum et partes, modo haud sane eodem; id siquidem incolit ex se, ut completum, ut absolutum, ut proprium domicilium; artus vero singulos, ut toti domicilio et iunguntur et serviunt. Hinc animas non plures esse necesse est. Unus enim rex unius est regni; cum vero anima membro insideat non tamquam absoluto legitimoque vitae domicilio; ideo non quot artus, tot animas, aut tot esse oportet animantes. Aedium namque numerum sequuntur animae integrarum, non partium. Quod si dixeris, nihil animam simpliciorem esse formis aliis, cum albedo tota ubique sit in nive et cygno, si de sola essentia loquamur; utraque enim in

22 reliquum] est *add. N2*

potestate similis est; nam quod non omnes passim anima potestates exerceat, idem et formis aliis contingit; non ita cernentem pars coloris movet, quem ad modum universus. Longius namque apparet domus universa, quam tegula, et homo, quam vel digitus vel unguis. Ut enim in Philebo Plato monet, si eminus magnitudo spectetur, magnopere aspectui imponet, cum minora, rotunda, ac nigrantia onmia videantur, veluti in mari non ita velorum anguli offerunt statim sese, ut velum universum. At vero nihil prohibet animam formis aliis omnibus nascentium esse simpliciorem, dicique totam in universo corpore, totam in partibus singulis contineri, atque id quidem multo verius aptiusque, quam de aliis didi formis possit. Nam ut de essentia ad praesens taceamus, non totus in facie candor esse dicitur, quod nulla eius pars in aliis membris sit. Nam si totum id est, ut Plato vult, cui nihil deest, color Socratici vultus non Socratis universus est color; multae enim coloris partes in aliis membris sunt, quae in vultu haudquaquam sunt. At anima ubicumque se continet ita se totam continet, ut nihil ei desit, quod animae pars sit. Potestates namque vires animae sunt dicendae, non partes; substantiae enim partes non nisi substantiae esse possunt. Quam ob rem tota ubique, tamquam in mundo universo Deus, anima peculiari in corpore ita est, ut idcirco et simplicissima et longe aliarum pulcherrima videatur. At quinam fieri potest, ut pulcherrima habeatur anima, si uni solique Deo pulchritudinem dedimus, ut diem fulgentissimae planetae, quem solem vocamus? Constat tamen aliam virorum esse speciem, aliam feminarum; Deo formam pulchritudinemque maris dedimus, cui nihil feminei inest, nihil imbecilli, sed actus integer atque absolutus, qui quoniam sola lux est, unusque in universo ac solus, idcirco filium genuisse dicitur eiusdem et essentiae et lucis, qui mundi melioris et incorporei sol in Reipublicae libro nominatur; solus namque speciosus forma in hymno celebratur. Solis tamen illius maris est pulchritudo, non feminae, ut anima, quae simplex et impartibilis est, suspiciendi solis, amandi etiam, atque adeundi potestatem obtinuit, quod nulli formarum aliarum a natura tributum est, formis quidem aliis orientium rerum pulchrior, quod rationis est particeps, Deo etiam, quam dii secundi, quodam modo iunctior, muneribus tamen qui-

15 anima] animantia *ac. N2* | continet] continetur *ac. N2* 18 tota] *Ed.*; totam *N1 N2* (*ac.*) *V* 22 fulgentissimae] *Ed.*; fulgentissime *N1 N2 V* 26 filium] filius *N1 V*

4–6 Ut … imponet] Phil. 77 *N1 N2 V* 11–12 non … sit] Parm. 28 *N1 N2 V* 26–27 filium … lucis] 27–28 qui … nominatur] 6 Reip. 38 *N1 N2 V* 28 solus … celebratur] Ps. 44 *N1 N2 V* 31 quod] *asteriscus N2*

busdam, non essentia. Nam et suo illa quidem exiguo praeest mundo, quem ad modum Deus; et si quandoque a suo sole desciverit aberraveritve, non modo veniam sperat, verum etiam et ab ipso sole quaeritur, ad reditum sollicitatur, ad beatos et aeternos amores invitatur, suadetur, et quasi rapitur. Quod si quae celestium mentium peccarint, necesse est, ut de salute desperent, quem ad modum de Ate e caelo praecipitata scripsit Homerus. Decipere namque Iovem Iuno aggressa est, curavitque ut non Iovis filius, sed alius nescio quis imperium adipisceretur. Quod cum sensisset Deus, Aten e caelo praecipitem dedit, iuravitque numquam postea in caelum redituram. Sed quid est, quod Iunone mali Promethei furtum patrante, Ate, non Iuno, eiecta caelo dicitur? Ne caelo eiectum suspicaremur universum mentium genus; erravit siquidem ambitiosa Iuno, hoc est mentium genus, generis primaria plebis seditionem excitante, sed Ate pulsa dicitur, ut nocentium mentium poenas agnoscamus. Homeri versus ii sunt:

ἀλλὰ τί κεν ῥέξαιμι; θεὸς διὰ πάντα τελευτᾶι.
πρέσβα Διὸς θυγάτηρ Ἄτη, ἣ πάντας ἀᾶται,
οὐλομένη· τῆι μέν θ' ἁπαλοὶ πόδες· οὐ γὰρ ἐπ' οὔδει
πίλναται, ἀλλ' ἄρα ἥ γε κατ' ἀνδρῶν κράατα βαίνει
βλάπτουσ' ἀνθρώπους· κατὰ δ' οὖν ἕτερόν γε πέδησε.
καὶ γὰρ δή νύ ποτε Ζεὺς ἄσατο, τόν περ ἄριστον
ἀνδρῶν ἠδὲ θεῶν φασ' ἔμμεναι· ἀλλ' ἄρα καὶ τὸν
Ἥρη θῆλυς ἐοῦσα δολοφροσύνηις ἀπάτησεν,
ἤματι τῶι ὅτ' ἔμελλε βίην Ἡρακληείην
Ἀλκμήνη τέξεσθαι ἐϋστεφάνωι ἐνὶ Θήβηι.
ἤτοι ὅ γ' εὐχόμενος μετέφη πάντεσσι θεοῖσι·
κέκλυτέ μευ πάντές τε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι,
ὄφρ' εἴπω τά με θυμὸς ἐνὶ στήθεσσιν ἀνώγει.
σήμερον ἄνδρα φόως δὲ μογοστόκος Εἰλείθυια
ἐκφανεῖ, ὃς πάντεσσι περικτιόνεσσιν ἀνάξει,
τῶν ἀνδρῶν γενεῆς οἵ θ' αἵματος ἐξ ἐμεῦ εἰσί.
τὸν δὲ δολοφρονέουσα προσηύδα πότνια Ἥρη·
ψευστήσεις, οὐδ' αὖτε τέλος μύθωι ἐπιθήσεις.
εἰ δ' ἄγε νῦν μοι ὄμοσσον Ὀλύμπιε καρτερὸν ὅρκον,
ἦ μὲν τὸν πάντεσσι περικτιόνεσσιν ἀνάξειν

2–3 aberraveritve] aberraveritque *ac. N2* 6 desperent] despererent *ac. N1* 11–12 suspicaremur] suspicaremus *V* 14–15 Homeri versus ii sunt *textus Graecus deest. N1 V*

10 Promethei furtum] "Desunt in originali." (*indicans hanc fabulam ibi scriptam non inveniri*) *add. V* 14–15 Homeri … sunt] Hom. *N1 V*; Il. T. v. 90 *N2*

16–380.24 … ἀέθλων] Il. 19.90–133

ὅς κεν ἐπ᾽ ἤματι τῶιδε πέσηι μετὰ ποσσὶ γυναικὸς
τῶν ἀνδρῶν οἳ σῆς ἐξ αἵματός εἰσι γενέθλης.
ὣς ἔφατο· Ζεὺς δ᾽ οὔ τι δολοφροσύνην ἐνόησεν,
ἀλλ᾽ ὄμοσεν μέγαν ὅρκον, ἔπειτα δὲ πολλὸν ἀάσθη.
Ἥρη δ᾽ ἀΐξασα λίπεν ῥίον Οὐλύμποιο,
καρπαλίμως δ᾽ ἵκετ᾽ Ἄργος Ἀχαικόν, ἔνθ᾽ ἄρα ἤιδη
ἰφθίμην ἄλοχον Σθενέλου Περσηϊάδαο.
ἣ δ᾽ ἐκύει φίλον υἱόν, ὁ δ᾽ ἕβδομος ἑστήκει μείς·
ἐκ δ᾽ ἄγαγε πρὸ φόως δὲ καὶ ἠλιτόμηνον ἐόντα,
Ἀλκμήνης δ᾽ ἀπέπαυσε τόκον, σχέθε δ᾽ Εἰλειθυίας.
αὐτὴ δ᾽ ἀγγελέουσα Δία Κρονίωνα προσηύδα·
Ζεῦ πάτερ ἀργικέραυνε ἔπος τί τοι ἐν φρεσὶ θήσω·
ἤδη ἀνὴρ γέγον᾽ ἐσθλὸς ὃς Ἀργείοισιν ἀνάξει
Εὐρυσθεὺς Σθενέλοιο πάϊς Περσηϊάδαο
σὸν γένος· οὔ οἱ ἀεικὲς ἀνασσέμεν Ἀργείοισιν.
ὣς φάτο, τὸν δ᾽ ἄχος ὀξὺ κατὰ φρένα τύψε βαθεῖαν·
αὐτίκα δ᾽ εἷλ᾽ Ἄτην κεφαλῆς λιπαροπλοκάμοιο
χωόμενος φρεσὶν ἦισι, καὶ ὤμοσε καρτερὸν ὅρκον
μή ποτ᾽ ἐς Οὔλυμπόν τε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα
αὖτις ἐλεύσεσθαι Ἄτην, ἣ πάντας ἀᾶται.
ὣς εἰπὼν ἔρριψεν ἀπ᾽ οὐρανοῦ ἀστερόεντος
χειρὶ περιστρέψας· τάχα δ᾽ ἵκετο ἔργ᾽ ἀνθρώπων.
τὴν αἰεὶ στενάχεσχ᾽ ὅθ᾽ ἑὸν φίλον υἱὸν ὁρῶιτο
ἔργον ἀεικὲς ἔχοντα ὑπ᾽ Εὐρυσθῆος ἀέθλων.

Sed de his alias latius; nunc animae partes tangimus, quae non modo formas et potestates alias, sed etiam caelestes non nullis in muneribus antecellit. Quapropter ut pulcherrimam et carissimam sol ille puellam quaerit in fluctibus generationis (ut Plato inquit) errantem, orat obtestaturque, ut ad divinos se amores convertat; videat fluvii quem colit ingenium, fluit enim fugitque semper. Nihil proinde habere pensi, nihil firmi, agnoscat fortunas suas. Soli se, rerum omnium ornamento, caram esse, non fluidas nugas, sed caelum, sed diem perpetuum, sed immortales delicias pollicenti; agnoscat quoque se ipsam (ut Deus iubet) non ripis, non sensibus, non amnium caligini et caeno, sed caelo, sed sideribus, sed altis solis opibus natam esse. Si se ipsam animadvertat et colligat, beatam, sin ignoret et negligat, miserrimam futuram. Iterat denique quod in amatoriis amorum Deus inseruit; versiculus est, quo amans utitur Deus, cum propter fluminis ripas aberrantes puellas ad amores invitat: "Si ignoraveris te, o pulcherrima mulierum, vade et curre post vesti-

28 in … errantem] 7 Reip. 18 *N1 N2 V* 39–381.1 Si … tuorum] Cant. *N1 V*

39–381.1 Si … tuorum] Cant. 1.7

gia gregum tuorum." "Quem fugis, o demens," inquit, si silva, si materia, si potestas placet et feminea virginitas, informis, inquam, rudisque rusticitas, "habitarunt dii quoque silvas." Mentes etiam caelestes muliebrem istam, mancam, imbecillamque potestatem possident. At suis illi rebus consuluerunt, et lucem, qua natura caruere, amore sortiti sunt; ultro illi supplicavere osculari osculo oris mei; tu oscula offerentem repellis, teque ipsam evertis atque a Deo subripis, inscitia mentis tuae. "Audi, filia, et vide" quo properas. Potestas oculorum tuorum caeca erit, nisi me audias; ut videar, audiendus sum prius; ni prius persuadeam audienti, numquam postea affulgeo contemplanti: "audi, filia, et vide," ni prius audieris, non videbis. Formosa quidem es, non enim inficior, sed audi formosa consilium, ut quandoque videas agnoscasque veritatis lucem; "Ah! nimium formae, nimium ne crede colori"; caduca et muliebris forma ista est (non enim rerum omnium, sed mulierum pulcherrima dicta est); alias natura praestantiores reddit, nescio tamen quo pacto quaedam te gratia efficit cariorem. Fugacem istam potestatem tuam sistam tandem immotamque faciam aeterna benevolentia mea. Fige igitur gressus, in plantam fixam vertere non modo a Deo non recedentem amplius, sed ne per transversum quidem unguem pedem ab amoris radicibus dimoventem. Illa et vocis suavitate, et formae spectaculo perculsa, init amicitiam, foedus percutit, legem toto animo accipit, in qua discursuum errore sublato, flens et suspirans meditatur die ac nocte, immoto corpore, stabili obtutu, fixis oculis Dei formae haeret, attonita ac stupens, vitae superioris oblita, de ore formosissimi Dei suspensa pendet, nihil de antiquis studiis, nihil de puellaribus lusibus, nihil de sollicitudine sororis Marthae cogitans, fit sacra Dei planta, fit lignum plantatum secus decursus aquarum; foris lacrimas fundit, intus sospitatoris fontibus irrigatur, ac in amoris praemium pro male olenti luto suavissimos odores, pro fragili pulchritudine perpetuum virorem, pro exili, qua se vicit, victoria aeterna reportat coronamenta, coronato Apollini perpetuo iuncta inter beatos cantus caelestium Musarum; gaudetque tantum formosissimo se Deo placuisse, ut quod nulli Musarum nulli dearum datum est, soli sibi tributum animadvertat coronam dare Deo. Nulla enim is umquam usus est, nulli aureum implicuit umquam caput, nisi quam de manibus accepit puellae, non habitantis caelum, sed humi natae, humum incolentis, et

7 subripis] sub ripis *N1 V*

1–3 Quem … silvas] Ecl. 2.60 7–8 Audi … vide] Ps. 44.11 13 Ah … colori] Ecl. 2.16 21–22 legem … nocte] Ps. 1.2 26–27 lignum … aquarum] Ps. 1.3

in fluminis ripis oberrantis. Videte, inquit, regem Salomonem diademate comptum, qua non Musa, non dea, sed puella facta iam parens coronavit. Humanae enim animae vestem induit Deus, qui neque Ates, neque Iunonis, neque ullius alterius deae manibus amiciendum se dedit, ut actus et pulchritudo Dei divinissima, quae ubique tota est atque integra, potestati nostrae puellae iungeretur, quae amatoris Dei imitatione in singulis dati corporis partibus est tota, fierentque illae nuptiae, ubi Deus homini, lux menti, pulcherrimus actus pulcherrimae potestati copularetur. In cuius quidem beatissime sortis cogitatione posita puella furit, liquescit, deficit, et hiemem praesentem detestata nunc ver, nunc autumnum desiderat, more impatiens, et ulterius ageicolarum spem ferre non valens. O si, inquit autumnus plenus! O si saltem signa veris appareant! hirundo peregrina in trabibus, et turgentes in palmitibus gemmae; incolatus meus nimium protrahitur, nimium heu! nimium nostra prorogantur exilia. O si ver, O si veniat autumnus! hic flores, hic poma ferret, hinc ventrem pascerem, inde oculos oblectarem. Quid loquor, aut ubi ego sum? Anna soror, soror Anna, tuae succurre sorori; vos o quas amor tenet inextimabilis pulchritudinis, accedite, iuvate, consolamini, ⟨quis aucius accinet⟩ iam hiems transit; concipiscit et deficit anima mea; de vere narrate; de autumno loquamini; fulcite floribus, stipate malis, quia amore langueo. En vitae lignum, en arbor procera fio, sublimi et ferio sidera vertice. Caput non inter nubila tantum, sed etiam inter sidera condo; inscribiturque sponsus epitaphium et legem in medio trunci mei. Scriba, qui a secretis sponso servit, sculpit aureo graphio Hoseas regiis grandibusque scribit litteris: IBUNT RAMI EIUS baccas ne proferet laureas: ET ERIT QUASI OLIVA GLORIA EIUS ET ODOR EIUS UT LIBANI. Nemo hos amores ut importunos aut ineptos accuset. Nihil enim cuique cogitatur potius, optatur ardentius, queritur oportunius, quam Porus a Penia, felicitas ab anima, proprius actus a propria potestate. Licet enim anima parvum implet mundum, nihil tamen habet antiquius, quam illi copulari, qui et magnum corporeum implet et maximum incorporeum in se ipso continet.

---

5 tota ubique *tr. V* 18–19 quis … accinet *om. V* 23 scribas *N1*

25–26 Ibunt … Libani] Osee 14 *N1 N2*

1–2 Videte … comptum] Cant. 3.11 16 Quid … sum] Aen. 4.595 16–17 Anna soror] Aen. 4.9 19 hiems transit] Cant. 2.11 20–21 floribus … langueo] Cant. 2.5 21–22 sublimi … vertice] Car. 1.1.36 25–26 Ibunt … Libani] Hos. 14.7

DISTINCTIO IX

97. *Filius a Parente alius, non aliud*

Incidit praeterea cogitatio, Filius ne alius, an aliud a Parente dicendus sit; ubi non parum discriminis videtur imminere, ne si alium esse negaverimus, distinctionem evertere, sin alium fecerimus, unitatem secare videamur. Auctor est Plato in Sophista, aliud Uni (ita enim Deum vocat) iungendum non esse. In libro vero de Republica Patrem dimittere, de Filio se disputaturum promittit; quod fieri, nisi esset a Parente alius, non posset. Constitit sane inter sacros patres, itaque ab universo senatu receptum est, haec cum occurrunt, ad grammaticae rudimenta recurrendum; tamquam nihil non deceat quod necessarium sit, decretum est Augustiniana Lege, Filium a Parente dici alium, aliud dici nefas esse. Usu siquidem loquentium factum est, ut cum candidus aut candida dicitur, non substantia ex se subsistens, sed qualitas et forma aliqua substantiae adiecta cogitetur, cum vero candidum dicimus, substantiae modum concipimus, nomenque ipsum nominum gregibus adiungitur, non adiectorum et haerentium, sed ex se subsistentium et substantiarum. Quod autem in adiectorum nominibus non maris, non feminae vox, sed neutra pro essentia divina in sermone usurpetur, haud plane inconcinna ratio est; maris enim vox mari tantum, feminea feminae convenit, propria ac distincta significatione, ita ut non promiscue Caesarem Augustam, aut Iuliam Augustum, sed illum Augustum, hanc Augustam vocemus; vox autem neutra promiscue omnibus indistincta est atque communis. Quam ob rem essentia divina quae (veluti docuimus) et communis est Parenti ac Filio atque indistincta, iure voce non maris, non feminae, sed neutra significari consuevit, et qui aliud diceret, aliam essentiam faceret. Adde quod substantiae nomen id indicat, quod simpliciter absoluteque est, non mixtum, non nexum, non admotum alteri; alia vero omnia nomina id referunt ostenduntque, quod simpliciter absoluteque haud plane est. Quare

---

8 alius] aliud *ac. N1* 25 voce] voces *ac. N1* 28 omnia *om. N1 N2* 29 est] sunt *N1 V*

6–7 Plato … esse] Soph. 79 *N1 N2 V* 7–8 In … promittit] 6 Reip. 35 *N1 V*

essentiam, quam simpliciter absoluteque esse omnes volunt, ea nomina non significabunt. Cum itaque 'aliud' pronuntiatur, essentia, cum 'alius,' non essentia cogitari debet. Filium itaque volumus a Parente alium esse, non aliud, ut plures affirmemus divinas personas esse, non essentias. Sed perspicue animadvertendum est utrumque interdum variare; utimur namque non numquam et voce maris pro essentia et neutra pro personis; hoc autem non ex se habent eae voces, sed ex addito, ut Filium alium Deum nolumus, aliud suppositum esse volumus. Liceat mihi ita loqui; hoc enim nomine, qui postremo senatorum numero ascripti sunt ὑπόστασιν significant. Hoc autem idcirco contingit, quoniam alius Deo additur essentiae nomini, aliud vero nomini personae coniunctum non est nomen amplius substantiae, sed adiecti, quare aliam enunciat personam, non substantiam. Neutra enim vox numquam substantiae nomen est, nisi solitaria ponatur, tumque, ut diximus, vulgo indistinctaeque cadit in sermonem tam pro mare, quam etiam pro femina, ut in eo versiculo, "Triste lupus stabulis." Hinc est, quod Filium esse alium etsi volumus, esse tamen aliud negamus, ne plures substantias esse fateamur. Plures enim personas volumus, plures essentias velle non possumus. Unum namque illud adeo a multitudine servandum Plato putat, ut neque idem sibi, neque ab ullo alterum confiteri audeat, ne quid cogitatione addere simplici unitati, quo vel sibi idem vel alterum ab altero fieret, cogeremur.

98. *Vocum genera tria, ac quo pacto plures aeterni negandi affirmandique sint*

Quoniam vero plures essentias et plures deos non dicimus, plures personas et dicimus et defendimus, ut leges, quando id enuntiari fas sit, quandoque feramus; haec iis, quae scripta sunt, addimus, enuntiari de Deo aliquid bifariam, vel de essentia, vel de personis. Nomina quoque alia essentiae, alia personis pecularia sunt. Cum Deum, cum aeternum dicimus, non solum Parentem, aut solam Prolem, sed communem essentiam et Deum et aeternum esse statuimus; cum Patrem, cum Filium nominamus, personas, non essentiam omnibus communem nominamus. Ea etiam, quae ad essentiam pertinent, alia substantiae modo significant,

---

7 eae] hae *V* 18 adeo] a Deo *ac. N1*

18–19 Unum … putat] Soph.79; Parm. 35 *N1 V*

15–16 Triste … stabulis] Ecl. 3.80

alia non substantiae. Haec quandoque in multitudine usurpantur, illa numquam; nam Deus, divinitas, essentia, sapientia, et cognata his, de Parente ac Prole numquam in multitudine dici possunt. Parentem enim ac Filium non plures, vel deos, vel divinitates, vel essentias, vel sapientias esse dicimus, sed unum Deum, divinitatem, essentiam, sapientiam. Secundi gregis voces, qui admoti, additi, adiectique rationem induunt, ac quae adduntur et accidunt substantiae variare mutarique possunt, stante substantia, ut mille nubium ad solem occiduum formae vertuntur, nubium perstante substantia; ideo et hae secundae voces in multitudine accipi consueverunt, cum tamen non apportent numerum nec substantiarum nec deorum. Atqui hae ipsae secundariae voces in duas sese acies findunt; nam aliae contentae hac significandi ratione semper sunt, aliae quamquam hoc in genere natae sunt, ad priorum tamen formam redire possunt. Quare tres in universum fiunt vocum greges ad iura communis essentiae pertinentes aliae semper in substantiae ratione perseverantes, aliae in adiectarum forma rerum, postremae denique alternatim variae secundae sortis sunt verba et verborum cognata, veluti participia. Haec enim omnia modum ferme praeseferunt aut agendi aut patiendi; haec autem auctor est Aristoteles non communi naturae, sed singulis naturam habentibus tribui oportere; cumque Pater, Filius, Amor divinam habentes naturam, plures sint, idcirco quae actionis imaginem indicant et ad hos referuntur et in multitudine dumtaxat disponuntur, ac proinde quod creent hii dicimus, non autem recte quis diceret quod Pater ac Filius creet, neque quod creans sint, sed quod creantes creent. Vagae autem erraticaeque voces, quae cogitantis animi salo fluitant, nunc horum, nunc illorum partes expetunt, earumque ad quas transfugiunt legibus pactisque sese astringunt. Quam ob rem superiorum foedere secutae a multitudine abhorrent, omnino sequentium partibus studentes amant recipiuntque multitudinem. Aeternos plures cum dicimus, quando vaga vox haec habetur, si ut prioris gregis accipitur, erramus; sin posterioris, recte dicimus. Cumque Athanasius plures aeternos negat, nomen aeternum accepit non ut ad posteriora adiecta, sed ut ad priorem essentiam pertinebat. Idemque hoc ipsum nomen cum componitur, ad numerum trahitur, quippe cum Parentem et Filium non coaeternum, sed coaeternos esse dictitemus. Primus itaque grex numquam numerum admittit; non

9 hae] haec *ac. N1* 11 hae] haec *ac. N1* 13 sint *N1 N2* 17 veluta *N1* 23 ii *N2*

31 Athanasius … negat] Symbolum quicunque 11

enim plures deos, plures essentias, pluras divinitates dicendae sunt. Contra secundus grex numero gaudet, ut est apud veteres: "Faciamus hominem ad similitudinem nostram," ac rursus: "Descendamus ad coeptam turrim considerandam." In Evangeliis etiam: "Ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus." Ac non modo haec, sed unicum etiam illud verbum, quod substantiae ascribi imprimis solet, numerum non refugit, quandoquidem ita Filium constat locutum fuisse: "Ego et Pater unum sumus." Quibus quidem satis demonstratum esse arbitror, quando numerum recipi, quando excludi oporteat.

99. *Pater Filio prior non dicitur*

Causa vero iis, quae ex ea proveniunt, prior esse solet, ut semen iis quae oriuntur e semine, et arbor pomis iis quae ipsa gignit. Gignentia vero omnia aut causae sunt aut causis similes. Quo fit ut Filio prior Pater videatur. Verum id minime dabimus, si quid Plato in Republica scripserit recenseamus. Proteum Aegyptii finxerant, Etrusci Vertumnum; ita enim appellarunt illae sapientissimae gentium mutationi obnoxiam naturam, quam posteri materiam nominaverunt, naturam formarum in se omnium susceptricem. Ita namque eam definit Homerus: πάντα δὲ γιγνόμενος πειρήσεται, "omnia factus experietur," quasi dicat, materia est quae sit omnia, hoc est omnium orientium formas excipit. Quod Maro longe expressius: "omnia transformat sese in miracula rerum"; quae quidem elegantissima materiae definitio est. Materia vero formarum receptatrix, ut ita dicam, haud una est, sed altera earum est acceptabulum formarum quae gignuntur, altera earum quae intelliguntur; illam silvam primamque materiam, qua fiunt omnia, hanc mentem et intellectum, quo omnia cognoscantur, appellamus. Utraque subest, utraque ex altero in alterum migrat, utraque caelatur, inuritur, formatur; sed altera agitatione alterationeque, altera contemplatione atque intelligentia. Uterque itaque Proteus, quia mobilis est, prior suo motu est, ac proinde iis quae motu actioneque fiunt; omne enim quod agitatur agitationem

---

24 formarum] formam *N1 N2* (*ac.*)

18–19 eam … experietur] Hom. *N1 V*

2–3 Faciamus … nostram] Gen. 1.26 3–4 Descendamus … considerandam] *cf.* Gen. 11.5 7–8 Ego … sumus] Io. 14.23 19 … πειρήσεται] Od. 4.417 21–22 omnia … rerum] Geo. 1.14

ipsam aliqua ratione antecellit vel spacio vel natura. At Deus, ut Plato ait, nec Proteus est, nec mobilis Protei more mutatur. Quare sua actione interna ac propria prior non est, neque eo quod ea actione producitur. Pinus enim et olea non semper fructum pariunt, sed posteaquam satu vel talea ortae sunt, diu ante partum vivunt, diu legitimum expectant incrementum, ut integras iam dudum adeptae vires quandoque fructificent. Ita plantae, ita animantes plane omnes prius vivunt, quam gignant, prius auctui, quam proli dant operam; quas ob res longe priores tempore sunt, quam proles. Alia vero videre est, quae quamquam non tempore, natura tam priora habenda sunt, ut ignis calore, et solis orbis luce, mens item contemplatione intelligentiaque. Si enim calor, si lux, si cognitio, ea quorum sunt tempore non preveniantur, quodam tamen naturae ordine prevenitur. Atqui Deus nihil habens cum Proteo commune, in quem nulla mutatio, nulla agitatio cadit umquam, neque sua generatione, neque suo Filio prior esse potest. Non enim prius cum non gigneret, postea genuit, ut pinus et olea, neque gignens ex non gignente mutatus est. Protei enim nugis esset obnoxius, quod Plato non recipit. Neque rursus est natura prior; duo enim in Parente iuncta sunt, essentia et ad aliquid, essentia quidem nullo pacto est prior, cum eadem prorsus sit gignentis et geniti. Nec etiam ex eo quod est ad aliquid; quaecumque enim ad aliquid sunt, Platone teste, simul natura sunt, neque prius aliquis dicendus est Parens, quam progenuerit prolem, nec proles posterius vocatur, quam Parentis sibi nomen Parens vendicaverit. Adde quod ne intelligentia quidem prior alter est altero, cum et essentia omnino sit eadem, et eorum quae sunt ad aliquid, alterum sine altero comprehendi non possit. Nihil itaque dicendum in Deo prius est, nihil posterius, cum Protei et mobilitatis eae sint partes, quae quoniam mancarum rerum sunt minus quam perfectarum, idcirco motu, tempore organis egent, si quid acturae sint. Pinsant siquidem homines oportet, antequam triticeis frugibus vescantur, metant quoque antequam pinsant, atque antequam metant, serere opus est, neque rursus serunt, nisi prius araverint, neque arant, nisi aratra ac rustica arma omnia preparaverint. Quam ob rem sapienter quidem Myson ad Chylonem χειμῶνι θρίνακα τεκταινόμενος eum prudentem

---

4–5 vel talea *om. V* 8 auctui] actui *ac. N1* 12 ordo *V* 25 possint *N1 N2* 28 acturae] actu re *N1*

1–2 Deus … mutatur] 2 Reip. 69 *N1 N2*; 2 Reip. 62 *V* 20–21 quaecumque … sunt] Theaet. 26 *N1 N2 V* 33–388.2 Myson … compararet] Myson *N1 V*

33 … τεκταινόμενος] Aet. 284C

esse significavit, qui "hieme cribrum" ante aestatis adventum "compararet." Ut enim Plutarchus adiecit δεῖ γὰρ παρασκευασαμένους πράττειν, αλλὰ μὴ παρασκευάζεσθαι πράττοντας, "par est cum preparaverimus agere, non, dum agimus, necessaria preparare." Quod quidem et Deus hominibus consuluit cum hominis se forma videndum atque audiendum exhibuit, ut quoniam mortales, non dii sumus, antequam mors falce demetat, accincti, parati, expediti simus. Postulat namque imbecillitas humana prius paremus, postea agamus, semperque nostris rebus evenit, ut haec prior anteeat, illa deinde posterior sequatur, in divinis vero rebus, ubi nihil imbecillum, nihil egens apparet, nullus priori, nullus posteriori potest esse locus.

100. *Generationis divinae et humanae differentiae. Filius gignitur, genitus est, gigneturque semper*

Ex his ipsis, quae modo dicta sunt, utriusque geniturae differentiae duci possunt. Nam si Proteus humanae generationis initium vertitur in omnia mutaturque, idcirco generationes humanae ac rerum mortalium ortus, vel motus sunt, vel certe praevenientis motus fines. Divinae vero Prolis generatio neque motus est, neque antecedentem patitur motum; nam si motus omnis in Proteo, cum Deus optimus maximus non sit Proteus, auctore Platone, ac materiam nullam habeat, neque corpoream, neque incorpoream, nimirum cum gignit, procul ab omni motus suspicione gignit. Quod si tempus motus mensura est (ut Aristoteli placet) tempus aut temporis momentum humanas genituras numerat et metitur, divinam nihil fluidi temporis, sed solida aeternitas metitur; aeque enim divina vel generatio vel natura aeterna est res, siquidem divinae nec finibus, nec initiis occluduntur. Ex quo fit, ut quod illic gignitur, sit quidem dum gignitur, cum humana dum gignuntur, minime sint; esse etenim ex genitura incipiunt, ex non esse (ut Aristotelis verbis utar). Proles vero divina, quae numquam esse incipit, ac numquam non fuit, si gignitur, sola in iis, quae gignuntur, dicenda est esse dum gignitur. Hinc id etiam fit, quod mirum dictu videtur, cum rerum aliarum gignendarum nulli eveniat, ut sancta illa et admirabilis Proles simul et gignatur et genita sit;

---

28 Proles] plores *N1*

22 tempus … placet] 4 Phy. *N1 N2 V*

2–3 … πράττοντας] ibid.

rem profecto humanae mentis captu superiorem, demonstratam tamen ratione, et senatus sententia comprobatam. Nam si est dum gignitur, ut prius dicebatur, nihil autem eorum, quae gignuntur, esse dicendum est, nisi genitum sit, cum quidquid habet Filius, id omne ex genitura adipiscatur; sequitur quod quaerebatur, ut simul gignatur genitaque sit. His addo: postremum multo admirabilius, dicere nos ea de Prole et posse et debere, quod simul genita est, gignitur, et gignetur. Nam si hoc quoque non adderes, ut quandoque desineret ea genitura conficeretur, cum tamen inter omnes constiterit res divinas nec omnino desinere nec incipere. Verum ne quis haec ambigeret, neve temere decerni arbitraretur, cum praecipue eis de rebus agatur, unde temeritas omnis abesse procul debeat. Error namque temeritatis hoc loco non modo imprudentem arguit, verum etiam impium facit, magni siquidem refert, an de nuncupatis elementis, an de divinis rebus quis erraverit. In altero quippe errari citra cuiusque iniuriam potest, in altero salva pietate non potest. Quapropter Angeronae imago apud veteres digito ob os posito silentium de divinis indicebat, ne si laberetur oratio, veritas, religio, pietas laederetur. Ne quid igitur hoc loco dicatur temere, pauca adiicienda his duximus. Scribit Platonicus Parmenides, unum simile nulli prorsus esse; qua quidem sententia ipsum quoque oraculum usum fuisse scimus: "Quis similis tibi in diis Domine!" Quod si dii Deo optimo maximo non sunt similes, quis audeat quidquam Deo simile existimare? Quam ob rem quidquid Deo tribuimus ex humanis rebus semper commonendus est animus aliquid in humanis latere quod divinae praestantiae non conveniat. Sapientiam in hominibus commendamus magnis laudibus; idcirco et Deum facimus sapientem. Sed multa in hominum sapientia miscentur, quae seiungenda a Deo sunt, ut quod accidat substantiae, quod sit habitus, quod in mente sit ex diuturno studio, sensu, memoriaque conflatum, et alia id genus permulta, quae quamquam humanae mentis sapientiae accidant, non possunt sapientiae divinae mentis accidere: "non enim ut viae meae et viae vestrae," neque, ut homo ita et Deus. Videt, ait, in oraculo ipse idem Deus. Quam ob rem cum Deum appellamus sapientem, unum dumtaxat tribuimus Deo, quod norit omnia, quae quidem res ad sapientiam pertinet, sed innumerabilia fere nostram sapientiam comitantia seiungere ab eo necesse est, ne aureum eum facere existimantes,

16–17 Angeronae … indicebat] Angeronae imago *N1 V* 19 Parmenides … esse] Parm. 37 *N1 N2 V* 20–21 Quis … Domine] Ps. *N1 V*

20–21 Quis … Domine] Ps. 85.8 30–31 non … vestrae] Isa. 55.8

ferreum, plumbeum, luteum et nostra scoria concretum efficeremus. Ita ferme fit, ut quidquid de Deo asseveremus, aut seiungundo solum, aut certe non sine magna seiunctione affirmari oporteat. Hinc scitum illud Platonis in Republica, negando tantum demonstrare oportet Deum, non quod non satis multa de eodem affirmemus, sed quod quaecumque ad perfecti aliquid asciscendum affirmamus, ne quid eidem imperfecti misceatur, multa seiungi omnino necesse est. Cuius quidem id in causa est, quod nihil in nobis perfecti, nihil pulchri reperiri potest, cui non et imperfecta et informia plura admisceantur. Solus enim Deus unum omnino ac simplex est, ut in universo Parmenidis libro Plato disputavit. Alia vero omnia ex binario et coagmentatione a Deo genita et procreata sunt, quaecumque existunt, ex perfecto imperfectoque conflata; quod sapienter Homerus docuit, cum duo in limine Iovis dolia statuit, alterum bonorum, alterum malorum, δοιοὶ γάρ τε πίθοι κατακείαται ἐν Διὸς οὔδει δώρων οἷα δίδωσι κακῶν. In limine ea statuit; non enim intus in Dei essentia quidquam est vel mali vel imperfecti vel coagmentati, sed statim in limine, hoc est, in diis ipsis aliis duorum sidunt dona doliorum, quae etsi fortunas continent nunc laetas, nunc adversas, quas mortales et quidam immortalium sortiuntur, in universum tamen quoniam quidquid est, a Deo creatum est, ab uno quidem deficiens atque in binario situm, idcirco initia rerum omnium continent, quae sunt materia ac forma, pulchrum et informe, perfectum et imperfectum, hinc illud ortum est, quod frequens senatus decrevit, affirmationes nostras divinis de rebus incomplexas esse et incompactas, quod unitas omnino in Deo sit, quae rebus in aliis nusquam reperitur. Ideo cum aliquid de aliquo enunciamus, binarium dicimus rerum concretarum quem omnino respuit divina simplicitas. Eadem est perfecti imperfectique complexio in temporum significationibus; cum enim fuisse aliquid dicimus, iam perfectum absolutumque volumus; cum esse ponitur in presenti statuitur; cum denique asseveratur etiam futurum, non desiisse significatur. Verum cum his temporum significationibus, quas numeravimus, si verbo gignendi utamur, multa miscentur manca et imperfecta, solisque mortalibus admovenda, quae minime conveniant immortali Deo. Nam quae genita sunt, neque gignuntur, neque gignentur. Quae vero gignuntur, iam genita non

15 intus] maius *praem. N2* 17 duorum *sl. V* 19 quoniam *om. V*

3–4 scitum … Deum] 7 Reip. 30 *N1 N2 V* 13–15 quod … κακῶν] Hom. Il. Ω *N1 V*: Il. Ω v. 527 *N2*

14–15 … κακῶν] Il. 24.527–528

sunt; ita et quae gignentur, genita esse nemo fateretur. Atque hoc quidem in humanis rebus; at cum haec tempora applicantur Deo, secundum eas significationes dicuntur, quas prius numeravimus, quae nihil admittunt prorsus imperfecti; posteriora vero quae temporibus adiacent manca et imperfecta, seiuncta a Deo sunt, sicut de sapientia diximus, atque de iis omnibus, quae ex humanis et mortalibus ad divina et immortalia transferuntur. Quapropter haec sententia a patribus recepta est, quod Filius semper genitus est, semper gignitur, semperque gignetur. Genitum quidem esse volumus, ut perfecta iam semper esse genitura demonstretur; quae quidem res verbo eius temporis significari solet. Gigni etiam dicitur, ut ea genitura aeterna esse intelligatur, ipsa vero aeternitas simul et tota et praesens semper est. Quo fit, ut praesenti quam accommodatissime iungi amet. Denique addimus etiam quod gignetur, ne quis quandoque desinere divinam illam gignendi actionem suspicaretur. Cum itaque dicimus aliquid esse genitum intelligimus perfecti aliquid, quod iam completa, absoluta, perfectaque est; atque hoc quidem tam humanis, quam divinis datur rebus. Intelligimus nihilominus in eadem imperfecti nonnihil, puta quod ea genitura iam esse desiit, nec in praesenti viget, nec in futurum vigebit. Atque hoc quidem mortalium rerum est, non divinarum, quibus quidquid tribuitur, qua pulchrum perfectumque est dumtaxat, non qua vel informe vel imperfectum, tribuitur. Et quamquam gignendi verbum trium, ut diximus, temporum dari soleat Filio divino qua supra ratione docuimus. Una tantum maxime conveniens ac longe decentissima diiudicata est, si dixerimus, quod divina illa proles semper genita est, ut "semper" aeternitatem, "genita" perfectionem, "est" presentiam demonstret et referat. Et tametsi verae tres illae superiores sint, haec tamen imprimis rem ante oculos ponere ac trium temporum vim complecti putata est, non quidem ut tempora Deum attingant, qui ambulat supra pennas ventorum hoc est supra aevum deorum ne dum supra vertiginem temporum, sed ut ineffabilis illa genitura ea qua potest ratione humanae imbecillati insinuetur. Iam igitur diximus utriusque geniturae rationem differentiasque, humanae scilicet atque divinae, diximusque et tempora, quibus utimur ad aeternam genituram significandam, si temporibus tamen utimur meliori dolio haustis, unde illae felices animae hauriunt, quas rex ut sponsas osculo oris sui dissuaviat, quas vino potat,

4 adiacent *pc.* (accidunt *ac.*) *N2*

35 osculo … potat] Cant. 1.1–2 35–392.1 vino … hominum] Ps. 103.15

unde laetatur cor hominum, quas in cellaria introducit sua, ut primo quidem nuptiis clam celebratis aquas convertat in vinum ac sponsae ebriae felici ubertate ubera demum porrigat; quae, velut epithalamii mysteria cantitant, vino suaviora sunt et plane potiora. Non obmiserim convivarum partes, quae quidem geminae sunt, altera, ut magna pocula e dolio potiore misceantur, altera, ut calentibus iam animis proelia strenuissime agitentur; id cognoscendo divina, hoc recte agendo praestari solet; alterum, dum altam contemplamur genituram, alterum, dum ad illam assequendam adversus cupiditates ac perturbationes humanas manum conserimus et digladiamur. Nam et Baccho proelia vicinissima sunt. Centaurea monet cum Lapythis rixa super mero debellata, ut Horatius inquit. Anima quippe, Platone auctore, ex individuo dividuoque conflata est, ex mente et sensu, quarum quidem partium altera erecta est et eminens a fluctibus generationis et corporis, altera corpori incubans et in bruti regione prostrata. Anima itaque hinc diis, hinc feris iungitur; quare et semifera dici potest, et quae totius a Platone posita est Pan et ab eodem et a Plotino cognominatur. Qui itaque ad sacras accedunt nuptias, ubi suo Pirithoo sua sponsa iungitur, non idcirco in tuto sunt, quia e sacro dolio hauserunt, sed centaurorum furore perturbantur omnia. Animae enim pars fera numquam mansuescit, sed in sponsam et voluptatem rapitur, unde letalia proelia oriuntur. Non sat igitur fuerit multum nosse, magna e bono dolio hausisse pocula, nisi convivae et centauros debellent et victores effecti coronati accumbent. Quae quidem geminae convivarum partes is ex Platone eleganter ostendit, qui scripsit, "crateras magnos statuunt et vina coronant." Ex altero vero dolio illi bibunt, quorum vel vinum, Isaiah teste, versum est in aquam, fidemque non habent, ac frustra vocati sunt ad nuptias veste non amicti nuptiali, vel si in aquam versum non est vinum, non merum limpidumve, sed faecem hauserunt, quae exinanita, ut oraculum docet, eiectaque non est. Vini enim illa odorem habet, puritatem, simplicitatem, praestantiam non habet. Hanc illi potant, qui etsi excipere fidem, ac divina e longinquo olfecere, cupiditatum et libidinum sordibus susceptum sacramentum labefactavere; qui non intro ad

16 ab *sl. N1* 23 convivae *V*

10–11 Centaurea … Horatius] Horatius *N1 V* 12 Anima … est] Tim. *N1 N2 V* 24–25 crateras … coronant] Virg. *N1 V*

1 quas … sua] Cant. 2.4 1–2 primo … vinum] *cf* Io. 2.1 10–11 Centaurea … inquit] Car. 1.18.8–9 24–25 crateras … coronant] Aen. 1.724 26–27 frustra … nuptiali] Mt. 22.11–12

penetralia, non ad vinarias cellas penetraverunt, sed initio fidei inanis et sterilis contenti et in portu impingere, ut dicitur, et indecores in limine primo deficere, quam ad divina recipi, maluerunt non sapientes animi, sed bruta atque centauri, primas valvas, non sacra penetralia amantes, non sobrii in cellariis, sed putrescentes in stabulis. Quae quidem tria idem significavit auctor, "centauri in foribus stabulant," ubi truncata initia, caeca ratio, faex libidinum picta intelligitur, quin et intelligentiae initium sensus est. Qui sensus illecebris capti, ad rationis praecepta audienda non tendunt, ii cum brutis in foribus stabulant.

6 centauri … stabulant] Virg. *N1 V*

6 centauri … stabulant] Aen. 6.286

DISTINCTIO X

101. *Spiritus Sanctus voluntate producitur, Amorque appellatur, non Venus: utriusque differentiae ex Platone Maroneque*

Amoris iam regna intranda nobis sunt, ubi satis multa de Filio deque intelligentia disseruimus. Atqui cum Amor ad voluntatem pertineat, voluntas autem libera sit, possintque ea, quae a voluntate proficiscuntur, tam non esse, quam esse, quinam fieri potest, ut almus ille Spiritus, quem tertiam statuimus personam, ex actione voluntatis oriatur? Quippe qui, ut volumus, et necessario est, et non esse non potest? Non enim bene coeunt libertas ac necessitas; nam quod libere fit, potest non fieri, non fieri autem nullo modo potest quod necessario fit. Iam vero quod a Ioanne de Filio scriptum est non solum quod "verbum erat apud Deum," sed etiam quod "Deus erat verbum." Ita de Sancto Spiritu oracula monent nos, quod non modo divinus est Amor, verum etiam Deus; quo praeter oracula etiam ratio ducere nos potest. Nam si divina mens non est humanis imbecillior mentibus, necesse est illam aliquod intelligendo gignere. At nostra mens dum contemplatur, imaginem in se parit intellectae rei. Ita si non caeca futura sit divina mens, et imaginem rei intellectae pariat oportebit. Contemplatur autem se ipsum propria intelligentia Deus; necesse itaque est, ut imaginem in se pariat sui; eam verbum divinum divinumque Filium esse demonstravimus, qui et Deus et omnipotens et Parenti aequalis dictus est. At quaecumque intellectum habent intelligentem, habent etiam et voluntatem volentem, quae non infirmior esse potest suas ad actiones, quam intellectus ad suas; quod si intellectus divinus gignit intelligendo verbum, quod est Deus, necesse itaque est, ut etiam voluntas divina amorem fundat, qui dicatur Deus, ac non modo Deus, sed omnipotens atque aequalis tam Parenti quam Filio, nulla omnino ratione minor, sed idem ille maximus atque summus Deus. Hinc

---

10 quod] qui *corr. in marg. N1*

12–13 verbum … Deum] Io. 1.1 14 divinus … Deus] cf. 1 Io. 4.8

fatidica illa apud Platonem Diotima, quae quasi afflata numine Socratem amatoria docebat, id saepe exclamabat; Magnus Deus amor est. Cum enim duos distinxisset amores, humanum ac caelestem, velut et Veneres duas, alterum amorem fecit et Deum et magnum Deum, licet statim et de amore daemonio et de humano late disputaverit. Docet et eodem libro per abditissima mysteria quanam ratione erumpat et dimanet divinus ille Amor, ad quae facilius commodiusque adeunda (sunt enim per obscura) pauca premonendus is est, qui cum Socrate sub Diotima in amatoriis instituendus sit. Principio cum pulchri ratio atque intelligentia animum impleverit, protinus ita natura comparatum est, ut voluntatem delectet ac deliniat; quam quidem primam voluntatis excitationem amandi actum ac Venerem vocamus. Sed fieri plerumque potest, uti et amemus pulchrum, et tamen ad illud vel petendum vel assequendum minime feramur. Hoc Veneris initio primoque amore omnes amant studia dignitatemque virtutis; sed ad illam capessendam pauci admodum mortalium excitantur. Quod si quis rem pulchram non modo intellexerit ac summis, (ut ita dicam) labiis degustaverit, sed diu in eius meditatione versatur, in primo hoc amandi vestibulo sese exercuerit, iam habitus quidam atque impressio contrahitur, qui quasi vis ignea medullitus haeret altius, rapitque amantem ad id quaerendum quod amat perinde atque vis ignea et flammam et ardentes fumos caelum versus ciet. Nam velut aquae calorem externum excipiunt primum, non tamen idcirco in auras assurgunt, sed nisae suo pondere etiamnum ima petunt descenduntque quem ad modum in balneis ac calentibus fontibus videre est. Ea namque ora, quae Cyminiis iungitur radicibus, et in occasum hiemalem vergit, innumerabilibus paene calidorum fontium aquis scatet, quae neque copia neque medica vi ullis cedunt. Haud vero secius deorsum et in ima festinant, atque eae quae gelidissimae sunt; at vero si calor eousque augeatur, ut aquae rarescant omnino victa aquarum densitate in aerem consurgunt, calorque non amplius externus accidit, sed suae haerens formae iam internus efficitur. Ita voluntas cum primum amandi actum excipit quasi externum calorem tenuem atque imperfectum admittit, qui quidem ad motum impulsumque non sufficit, sed si usu foveatur ut plane adolescat post amandi actum constans conflatur habitus, qui velut nativus calor amantem ad pulchrum rapit, ut forma vel gravis pluvias humum, vel

---

12 potest plerumque *tr.ac. N2* 18 versatur] versatus *ac. V*; versatus *N1* 19–21 medullitus … ignea *om. V* 26 penae *N1*; pene *N2 V*

1–2 fatidica … exclamabat] Symp. 43, 44 *N1 N2 V*

levis ignes agit in caelum. Ita et mens intelligendi actum obtinet, ubi cum cogitatione et contemplatione versatur diutius, iam tandem exactam res in se imaginem parit, quae λόγος, ratio, verbumque nominatur. Nec secus voluntas primo quidem amandi capit actum, deinde in eo iterando consuescit longaque consuetudine ita amoris vires imbibit, ut penitus in medullas, hoc est, in intimis voluntatis penetralibus flagrantem habitum contrahat, quem Cupidinem Amoremque vocare peculiari nomine consuevimus. Oritur itaque primo in affectus salo Venus, quae primum amandi actum demonstrat. Is quoniam tenuis imbecillusque est, adultum constantemque pariturus, idcirco feminae nomen obtinuit; cumque primus in affectum veniat, Venus appellatur. Deinde longa eius consuetudo succedit. Denique Amor ille paritur, qui constans est et vehemens, amantemque quasi amentem factum, hoc est, alterius appetentem, oblitum sui, ad motum mira impatientia stimulat, agit, rapit. Agedum igitur ea percurramus, quae de Amore in universum Plato disserit; nam cum alii in convivio multa de amore exposuissent, et iam dicendi finem fecissent, Socrates fatidicam introducit feminam Diotimam nomine, quae divino velut numine afflata arcana de amore mysteria recenset, quae quamquam permulta sunt ac longe plura, quam ut hoc loci commemorari possint, quaedam tamen quam brevissime fas erit perstringemus. Sunt itaque sententiae circiter triginta, quas enumerandas explicandasque strictim duximus. Primo itaque ait Diotima, amorem gigni a parente Themidos filio. Themis consilium ac cognitio dicitur, quae amori gignendo necessaria sit; amari namque ignota non possunt. Themidos inde filium Porum vocat, hoc est, perfectam notae rei similitudinem, quam etiam rationem et verbum nominamus; quantum etenim cognoscitur bonum, tantum amari potest. Hinc artium imperiti eas aut oderunt, aut certe non amant. Nec mirum, vulgum infensum esse et eruditis et probis; eos siquidem diligere non possunt, quorum virtutes ignorant. Quin et ebrius Porus ille dicitur, nam cum bonum sit duplex, hoc verum ac summum, id falsum et exiguum, si Porus atque intelligentia boni superioris luce nata sit, mentem attollit supra rationem, sin vero posterioris sit boni cognitio, animum adversus rationem accendit. Quam ob rem non iniuria Poro ebrietas attributa est, quippe qui mentis plenitudo sit, eam ferat vel supra

---

4 voluntas *hoc loco manus alii scriptoris incipit V* 10 cumque] cum *N2* 13 appetentem] tamen *praem. ac. N1* 15–16 in convivio *in marg. V* 25 notae *om. V* 26 tantum] tamen *ac. V* 30 dicitur] icitur *V* 34 mensis *V*

22 Diotima … filio] Symp. 46 *N1 N2 V* 29 possunt] *asteriscus N2*

rationem ad superos, vel infra rationem ad bruta in quorum medio ratio sedem domiciliumque sortita est. Ne vero vini quis ebrietatem suspicetur, nectare ebrius efficitur Porus; est autem nectar cognitionis vel habitus in hominibus, vel in diis immortalibus immortalis lux. Hominum vero cognitio nunc scientia est in necessariis, nunc opinio in nutantibus informisque rebus. Ebrietas namque ac plenitudo cognitionis numquam exacta est, donec solidus constansque omnino habitus contrahatur. Ingreditur deinde Porus ebrius hortum, quem pro Epicuri voluptate usurpatum scio; quin et Moses cum voluptatis locum indicaturus esset, et paradisum et hortum voluptatis introduxit. Voluptatis autem pars in anima voluntas est, ad quam penetrat Porus, cum simulac mentem qua verum ostendit implevit, qua rursum bonum indicat, voluptati placet, facitque ut quod ipse bonum aperuerit, id voluntas amet. Nec plane aliud est Pori ingressus in hortum, nisi primus amandi actus, quem voluntas suscipit post Pori ebrietatem plenamque cogniti boni perspectionem. Sed ebrius illic Porus alte dormit; primus enim diligendi actus, quoniam imbecillus atque impotens est, quietem agit, et impellendi vim minime habet. Quare non dei, sed deae nomen obtinet Venusque a Platone nominatur. Ingressus itaque Pori in hortum est natalis ortusque Veneris. Tum Penia paupertasque viduae voluntatis, quando privatio appetitionis est causa, Veneris potentia excitata quiescere non potest, nisi Pori copia, ubertate, delitiis potiatur. Quid itaque faciat? ire ad Porum non licet, Pori pulchritudine carere non potest; struit itaque insidias, et quod aperte vetitum est agere, clam occulteque molitur. Cognitio siquidem, quae res palam facit, voluntati natura negata est, cui non cognoscendi concessum est, sed tantum amandi munus. Quod itaque assequi nequit aperta intelligentia, occultis amandi studiis aggreditur; quapropter clam taciteque ingressa iuxta Porum dormientem accubuit. Ut enim intellectus suscepta intelligentia primo imperfectam quamdam cogitationem concipit, quam si postea iterat saepeque exercet et versat, exactum absolutumque verbum parit, quod absque longa consuetudine fieri non solet. Ita et voluntas primo quidem amandi excipit actum imbecillum imperfectumque, ut diximus, quem Veneris appellatione nominavimus. Si postea solers atque industria vidua circa susceptum actum saepe se exerceat, neque aliis illum oblectationibus obtruncari patiatur, ex usu atque consuetu-

3–4 habitus] h ītus *abbr. N1*; intus *V* 4 Hominum] horum *V* 13 facitque ut] que *iter. sl. V* 25 natura] nam *V* 26 tantum] tamen *ac. V* 29 cogitationem] cognitio rem *corr. in marg. V*

dine cum dormiente Poro iuxta illum cubare dicitur, illique quam vicinissime iungi, et latere inserere latus; ex occulto vero connubio impleri Peniam, prolem concipere, unde denique nascitur, quem quaerimus in presentia, legitimus et absolutus amor, qui quidem nihil est aliud, quam firma ac constans impressio in voluntate ex amandi actu frequenter iterato nata, amantem ad amatam rem impellens. Quem ad modum et consuetudine ignis admota aqua calorem imbibit, quo illa rarescit levisque fit, atque ut in regionem rari levisque elementi consurgat stimulatur, quae omnia subiens penetransque calor facit. Ita ex usu consuetudineque amandi stabilis quaedam vis contrahitur inhaerescitque penitus voluntati, qua ad pulchrum bonumque trahimur. Vim illam et intus haerentem et extra nos trahentem Amorem appellamus, ortum ex Amore priori, quem Actum vocavimus, ut constitit ex intelligendi actu nasci verbum. Haec vero decem, quae ad amoris ortum numeravimus, late ex Platone prosequutus est Maro, qui doctius ne an elegantius id fecerit, haud facile iudicare est. Themidos namque, consilii et cognitionis meminit, cum se ipsum cognoscendum exhibet Aeneas aitque "coram quam quaeritis adsum Troius Aeneas Libycis ereptus ab undis." Hinc in Didonis intelligentia progenitus Porus est plena viri similitudo, quae ex Themide, hoc est, ex varia intelligendi actione concepta, nataque ex Ilionei oratione, ex Aeneae verbis aspectuque. Natum statim Porum ipsa eadem Dido fassa est "atque equidem Teucrum memini Sidona venire; tempore iam ex illo casus mihi cognitus urbis Troianae, nomenque tuum." Quin etiam ut nosse se eum plane aperiat, et Parentem Anchisen, et genetricem Venerem, et flumen natalis locum commemorat: "quis te, nate dea, per tanta pericula casus insequitur. Tune ille Aeneas, quem Dardanio Anchisae alma Venus Phrygii genuit Simoentis ad undas?" Licet enim prius illum nosset, Porum tamen nequaquem habebat; singule namque res, quae sensu percipi possunt, nisi se obtulerint sensui, non plene cognoscuntur; Porus itaque ortus est, ubi illum Dido post Teucri adventum Sidona, ac post orationem Ilionei, oculis tandem conspicata est. Ebrius vero fit Porus, cum mentem extra rationis limen trahit. Nonne Dido

9 ex] et *V* 13 constitit *sl. V* | actu] actum *ac. V* 14 vero decem] decem vero *tr. V* | ortum numeravimus *sl. V* 18 erectus *V* 22 fassa] falsa *N1 V* 24 se eum] secum *ac. N1*; suum *V* 26 Dardanio] Dardaniae *ac. N1*

14–15 Haec … Maro] Virg. *N1 V*

17–18 coram … undis] Aen. 1.595–596 22–23 atque … tuum] Aen. 1.619–620 25–27 quis … undas] Aen. 1.614–616

ebrietatem fatetur, cum non dissimulanter dicit, "Anna (fatebor enim) miseri post fata Sichei coniugis est sparsos fraterna caede penates, solus hic inflexit sensus, animumque labentem impulit," ubi animum extra rationis lineam compulsum videmus ob imaginis vim pulchritudinis formam efficacissima significatione repraesentatem. Nectar vero stabilisque habitus, atque haerens altius, implensque mentis obtutum, ita describitur: "haerent infixi pectore vultus verbaque." Nam quem ad modum quae manduntur, ubi concocta sunt, nostrae haerent substantiae; ita et quae intelliguntur, si frequentius obversentur ob mentis aciem, in habitum transeunt aeterna constantia animo cohaerentem. Quod quidem si quis parum crediderit, legat Platonis Phaedrum; cum enim animorum scientiam in Deo contemplando, in eiusque essentia contuenda beatam statuisset vitam, statim de ambrosia ac nectare verba facit, additque καὶ οὗτοι μὲν θεῶν βίοι, "atque haec quidem deorum est vita." Vero itaque nectare ebrii illi animi sunt, qui generationis fluctus egressi immortalitate ac divino spectaculo potiti sunt. Illi etiam modo quodam eam ebrietatem participant, qui divinam in humanis sunt adepti sapientiam, cuius umbram quamdam obscurissimam tamen obtinuere qui fixam opinionem habent earum rerum quae sub sensum cadunt. De Poro ergo divino verboque illo beato loquens Plato nectare ebrium facit ob beatam contemplationem illius unde et felicitate potitur. Non enim amor in voluntate exoriretur, nisi copia ac constantia contemplationis praecessisset in mente, quae nectaris nomine appellari solet; nec aliam deorum esse vitam vult Plato, quam ex nectare, hoc est, ex constanti aeternoque essentiae divinae spectaculo, unde veluti e fonte beata caelestibus vita dimanat; tamquam, ut in Republica Plato testatus est, perpetua ac beata ebrietas. Verum quoniam ea deorum ebrietas summam beatis affert voluptatem, idcirco et qui magnis se voluptatibus dediderint, suo nectare suisque opinionibus ebrii et esse et haberi consueverunt. Belle eas ebrietates distinxit Homerus ἐν τῶν Ε. Ὀδυσσείας, ubi in Ulixis Calypsusque convivio illi mortales dapes, huic nectar atque ambrosia apponuntur. Nam et suus cuiusque est cibus, sua cuiusque ebrietas, et ut scitissime reliquit scriptum Maro, "trahit sua quemque voluptas." Ita autem Homerus scribit,

---

9 obversentur *sl. V* 16 positi *V* 22 constantia] substantia *ac. V* 28 dederint *V*

11–14 Phaedrum … vita] Phedr. 23 *N1 N2 V* 26 ut … ebrietas] 2 Reip. 16 *N1 N2 V* 29–31 Belle … apponuntur] Od. E. 93.197.*N2*

1–3 Anna … impulit] Aen. 4.20–23 7 haerent … verbaque] Aen. 4.4–5 14 … βίοι] Phdr. 247a–e 33 trahit … voluptas] Ecl. 2.65

ἔσθειν καὶ πίνειν, οἷα βροτοὶ ἄνδρες ἔδουσιν· τῆι δὲ παρ' ἀμβροσίην δμωιαὶ καὶ νέκταρ ἔθηκαν, Ulixem "quidem esse qualia sunt quibus vescuntur mortales; ipsi vero Calypso famulae ambrosiam nectarque apposuerunt." Plato autem de divino amore scripturus ebrietatem divinam commemorat, quae nectare, uti diximus, fit humanam tacet, quae nunc ex scientia, nunc ex opinione fieri solet. Potest et humanis rebus usus nectarei nominis accommodari, quod non modo ad homines et intelligentiam, verum etiam ad apes et alvearia traduxit Maro, cui "aliae liquido distendunt nectare cellas." Hortum vero ad amorem pertinere, hoc est, locum captumque voluptatis, ubi proprium ille domicilium obtinet, ne Maro quidem ipse praetermisit. Commemoratur enim a Didone "Hesperidum templi custos, epulasque draconi quae dabat, et sacros servabat in arbore fetus, spargens humida mella soporiferumque papaver." Horti siquidem Hesperidum cantatissimi sunt; quin et papaver a Dioscoride, Plinio, Theophrasto celeberrimum ad somnum faciendum non ab re in horto ponitur, ubi ebrium Porum cubare et somnum ducere disserueramus. Initia namque amoris imbecilla cum sint, ad rem perficiendam non compellunt. Quare et Dido, dormiente Poro atque amore nondum adulto, non flammam, sed flammae se vestigia nosse significat: "Agnosco, inquit, veteris vestigia flammae; sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat, vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras, ante, pudor, quam te violem." Qua sane sententia constat, amorem nondum flagrare, sed quiescere ac dormire Porum. Peniae viduaeque locum Dido tenet, cui dicitur, "solane perpetua maerens carpere iuventa?" Insidiae dolive non desunt amoris natalibus; texuntur enim insidiae illis versibus. Cum dabit amplexus, "atque oscula dulcia figet, occultum inspires ignem fallasque veneno"; paulo-que superius, "noctem non amplius unam falle dolo." Assidere praeterea iuxta Porum Peniam, atque inibi accubare illud est, quod recitandam universam historiam Dido petit, "Immo age, et a prima die, hospes, origine nobis insidias, inquit, Danaum casusque tuorum, erroresque tuos" atque ut longiores cum illo moras traheret, duorum voluminum casus

---

1–2 … ἔθηκαν *in marg. V* 5 scientia *in marg. V.* 6–7 nominis] nomine *ac. N1*; nominique *ac. V* 13 soporiferumque] sopori ferumque *N1 V* 24 corpore *N1 V* 27–28 praeterea *in marg. V* 29 hospes] hostes *N1* (*ac.*) *V*

1–2 … ἔθηκαν] Od. E 197–199 8–9 aliae … cellas] Geo. 4.163–164 11–13 Hesperidum … papaver] Aen. 4.484–486 19–21 Agnosco … violem] Aen. 4.23–27 23–24 solane … iuventa] Aen. 4.31 25–26 atque … veneno] Aen. 1.687–688 27 noctem … dolo] Aen. 1.683 29–30 Immo … tuos] Aen. 1.753–755

fortunasque postulat recenseri. Ita enim assuescens "vario noctem sermone trahebat infelix Dido, longumque bibebat amorem"; ubi diuturna consuetudo describitur, unde postea habitus impressioque fit, quem exactum amorem appellamus, a quo ita sollicitatur animus, ut gravia a pondere in ima, et flamma a levi calore in sublimia rapitur. Utrumque in amore constituit poeta, cum ait, "Uritur infelix Dido, totaque vagatur urbe furens," cui tamquam cervae "haeret lateri letalis harundo." Nihil enim per haerentem lateri harundinem intelligit aliud, quam habitum alteque impressam vim, quam nomine "amoris" appellamus. Alia permulta dicuntur a Diotima, eademque a Marone heroica maiestate explicantur, quae alias persequi latius licebit. Nunc quod ad rem attinet, Porum Themidis filium verbum quod intelligentia dicitur oriturque videmus apud Platonem; videmus et intrantem hortum Iovis, hoc est, voluntatem divinam, qua quidem volente amor producitur, quem ad modum intellectu intelligente verbum, licet morem manando sequatur alterum naturae, alterum voluntatis. At vero actum quidem intelligendi Themidem, amandi Venerem vocat; quod producitur intelligendo, verbum, quod amando, appellat amorem. Amandi vero actus, qui Venus dicitur, sopitas habet vires; quare et Ascanium sopitum "super alta Cythera" sistit Venus. Si itaque praecedit amandi actus, ac sequitur id, quod ex eo producitur, tamquam habitus et impressio quaedam amantem ad amatum impellens, Spiritum Sanctum non illud praecedens imbecillum et inchoatum, sed hoc sequens expletum cumulatumque nominamus, velut Filium facimus, ac Verbum non intelligendi actum, sed id quod intelligentia gignitur. Ita Sanctum Spiritum non primum amandi actum facimus, sed quod amando producitur. Non desunt, qui secus in hac re sint opinati, actum illum amandi, non hanc nostram vim ex eo actu voluntati impressam, almum amorem esse arbitrantes, ea ratione, quod si in bonum voluntas feratur, necessario amorem dimanare. Quam ob rem is almus erit spiritus non alia vel vis vel impressio, quae ex dimanante dimanaverit. Quamquam acute id quidem, ut omnia, refellunt tamen nostri, quod quem ad modum non mens omnis intelligentiae actum gignit a se ipsa distinctum, cum in Metaphysicis Aristoteles prodiderit de divina intelligentia, quod id quod intelligitur, ipsumque intelligere idem plane sunt;

8 intelligit harundinem *tr. V* 18 amandi *V* 23 hoc *sl. V* 30 dimanante] *eras. N1*; dimanande *ac. V*

1–2 vario … amorem] Aen. 1. 748–749 6–7 Uritur … furens] Aen. 4.68–69 7 haeret … harundo] Aen. 4.73 19 super alta Cythera] Aen. 1.679

ita et voluntas divina amandique actus sunt nihilosecius idem, neque alterum quidquam est ex altero fluens. At divinus Amor, quem Spiritum vocamus, non actus est, sed actu producitur, perinde ac verbum quod non intelligentia dicitur, verum intelligentia genitum appellatur. Quod si quando intelligentia, notitia, sapientia vocetur, non actum, sed quod actu gignitur oportet intelligi. Ita cum almum illum spiritum amorem nuncupamus, non quidem actum, sed id, quod ex actu provenit intelligimus. In horto itaque nascentem hunc Plato facit, quamquam non nasci, sed manare dicendus sit. Sed res, non verba Platone curae fuere, cum "hortus" voluntatem indicet deliciarum voluptatumque sedem. Dixit et Iovis hortum, ut sicut boni filium fecerat in Republica, ita et almum spiritum in Symposio demonstraret; ille enim liber sapientiae, hic amoris est opus. Dixit praeterea in Veneris natalibus ortum amorem fuisse. Venus siquidem amandi ille est actus, qui non est amor quem volumus, sed est quo amor ille producitur. Quare sapientissime Plato Venerem amoris matrem non facit; amandi enim actus, quam Venerem esse volumus, non est quae producit, sed qua producens amorem producit. Porus namque ebrius producit, hoc est, verbum plenissimum, cumulatissimum, exuberatissimum una cum parente producit. Hinc theologiae Platonisque observator accuratissimus Maro amorem non Veneris, sed "patris summi natum" appellavit. Neque enim illi audiendi sunt, qui "tela patris summi" distinguunt, sed "nate patris summi" vocat Venus. Nam tria sunt, quibus amor a Venere seiungitur distinguiturque; unum quidem quod illa est actus, hic vis efficax voluntati ex eo actu impressa. Alterum, quod Venus quiescens quaedam actio dici potest. Amor autem non modo constans vis voluntatem corripiens, verum etiam potens atque efficax ad amantem in amatum rapiendum. Postremum, quod amor a producente producitur ut re origineque distinctus, atque ideo "patris summi natus" appellatur; quod quidem Veneri actuique amandi minime convenit, quem ad modum est prius demonstratum; ut enim intelligens atque intelligere, ita amare atque amans idem liquido sunt. Eadem tria suo ordine Maro disseruit. Vim vehementem impressam statuit, cum ait "nate meae

4 dicitur *eras. V* 4–5 verum … intelligentia *om. V* 6 Ita *sl. V* 9 dicendus] dicendum *V* 14 est *om. N2* 15 sapientissimus *V* 19 una] unam *N1*

20–21 Maro … appellavit] Virg. *N1 V* 20 patris … natum] Virg. *N1 V* 21–22 Neque … Venus] Virg. *N1*

20 patris summi natum] Aen. 1.665 21 tela patris summi *cf.* Aen. 1.665 22 nate patris summi] Aen. 1.665 32–404.1 nate meae vires] Aen. 1.664

vires"; movendi efficacem potentiam, cum sequitur "mea magna potentia"; originis distinctionem a producentibus denique addit "nate patris summi." His etiam tribus quartam anteposuit differentiam, quod amor amanti dat alas quibus statim ad amatum convolet, atque ut ex se ipso (ut ita dicam) migrans rapido se volatu in amatum condat. Quare hinc ille orsus est, "atque his aligerum dictis affatur amorem." Has vero alas Veneri utpote frigidiori segniorique nemo addere fuit umquam ausus, sed concha pubetenus mari vehi fingunt, quod non integer, sed quasi dimidiatus inchoatusque sit amor in affectuum regione, quorum quidem venti, fluctus, mare symbolum esse solet. Quam ob rem Cicero affectuum agitationes significantius demonstraturus salum saepe tempestatemque appellitavit. Cui quidem rei spiritus ipsius oracula consonant, quo dictante a Mose scriptum est, quod "spiritus Domini ferebatur super aquas." Quo quidem oraculo monemur Venerem, quae in aquis fertur imperfectaque est, in Deo non esse ab essentia distinctam, licet in nobis amoris ortum semper antecedat, sed Spiritum Sanctum amorem esse perfectum, qui non ut Venus hominis in aquis enatat, sed ut spiritus Domini fertur super aquas. Poterit et haec quintae differentiae loco haberi, quod concha pubetenus vehitur, quod quasi dimidiatus, inchoatus, et minime integer amor ob actus imbecillitatem vocari possit. Amor autem non dimidiata femina, sed vehemens illam impellens ventus nuncupatur. Atqui cum duo sint spiritus, hic sanctus, vitalis, ardens, alter flagitiosus, laetalis, gelidus; hinc inhians amansque puella beatum illum a Iovis horto in hortum vocat suum: surge," inquit, "Aquilo, veni Auster, perfla hortum meum." Melius expressiusque Hebraeus: "abi," inquit, "Aquilo, veni Auster," quasi duo poetae spicula plumbi gelidi ardentisque auri "diversorum operum, fugat hoc, facit illud amorem; quod facit, auratum est, et cuspide fulget acuta; quod fugat, obtusum est, et habet sub harundine plumbum." Gelidi namque obtusique atque inepti sunt divinis amoribus humanarum voluptatum amatores, cum horti minime sint quos Auster sanctus afflet, sed potius pulvis, quem nivosus proiicit ventus (ut Psalmis verbus utar) a facie terrae. Libertas vero voluntatis est quidem in amore producendo, quae tamen vim tollat, non necessitatem, ut bibere et

---

4 dat] dant *N1 V* | ut *om. V*; *add. N1* (*sl.*) *N2* 17 non] spiritus *add. ac. N1* | ut *om. V*

29 Gelidi] *asteriscus N2*

1–2 mea magna potentia] Aen. 1.664 6 atque … amorem] Aen. 1.663 13 spiritus … aquas] Gen. 1.2 24–25 surge … meum] Cant. 4.16 | surge … Melius] Cant. 4.16 26–29 diversorum … plumbum] Met. 1.469–471 31 pulvis … ventus] Ps. 1.4

bonum cupiunt mortales et bene agit Deus. Utraque libertas et vim tantum avertit et necessitati iuncta est; voluntaria vero libera in utramque partem sunt. Alia praeter id quod primo ac per se amamus, ut quae exterius procreare vult Deus, velut mundum, caelum, elementa, atque alia omnia, quae a Deo quidem volente facta sunt, nulla tamen necessitate facta sunt. Personae vero, quae in essentia divina producuntur, licet vim nullam patiantur omnino, non tamen nisi necessario producuntur.

102. *Spiritus Sanctus Amor cur dicatur Patrisque in Filium, et contra, quorum etiam nexus est; ac qua ratione Spiritus "Sanctus" nominatus sit*

Duo quidem de Sancto illo Spiritu expedivimus hactenus, defendimusque eum et voluntate fluere et Amoris appellationem obtinere. Superest ut alia non nulla enucleemus, quae a Senatu decreta sunt, uti veritatis cognoscendae gratia hoc loco disserantur. Primo quidem quonam modo Amor recte vocatus sit, cum amor passio quaedam sit amantis, Spiritus vero is non passio sit ulla; sed Deus ac subsistens, cum praecipue Plato Peniam sequi matrem dixerit illum, quare et inopi et egenti esse quam simillimum, quae quidem Deo optimo indignissima sunt. Hoc nomen novi Senatores non iudicio, sed necessitate inventum autumant; nam intellectus dicitur et intelligere et dicere verbum, ut sacris utar verbis, quae tantisper variari nefas duxerim. Quantum itaque ad intellectum pertinet, iam tria adinventa vocabula sunt, intelligere, dicere, verbum. Intelligere quidem commune tribus est; dicere autem, quod est verbum gignere, id Parentis est proprium; verbum autem illud est, quod a dicente Patre generatur. In voluntate autem res quidem totidem sunt, nomina tantum desunt. Est enim illic intellectus, hic voluntas; intelligentem illum, hanc volentem amantemque facimus. Sed quem ad modum intelligere commune tribus est, ita plane est velle atque amare. Sed dicere est intellectus proprium, quo verbum producitur; et verbum est, quod dicendo gignitur. In voluntate autem non sunt propria adinventa vocabula, quibus praeter amandi volendique verba, quae communia tribus sunt, et ratio producendi, et id quod producitur significetur. Sunt itaque tria in intellectu, intelligere, dicere, verbum. Sunt tria rursus etiam in ipsa

8 cur *om. V* 11 expedivivimus *V* 15 modo *sl. V* 17 inopi] inipi *V* 18 optimo] macimo *add. ac. V* 20 dicere *sl. V* | utar] utatur *V* 23–24 quod … autem *in marg. V* 26 illic] ille *V* 31 verbis *N1 V*

voluntate, sed primum tantum nominatur amandi amorisque nomine; cumque alia duo desint, amoris appellationem obtinuere. Quam ob rem amare et est tribus commune, et pro actione propria sumitur, qua Spiritus producitur et denique pro ipso, qui producitur, Spiritu usurpatur. In causa itaque esse volunt posteriores patres, cur Spiritus Amoris nomen obtinuerit, non rationem aut consilium sed et penuriam et necessitatem. Quod quidem a Platonis verbis minime videtur abhorrere, quippe qui de Amoris ortu verba faciens saepe penuriam egestatemque commemorat, quamquam de humano id amore potissime dictum sit. Humanum autem hoc loco dixerim omnem alium, qui divinus non sit. Amans namque omnis pulchri aliquid appetit, quod ipse non est, ut vir uxoris formam adamat, uxor viri. Hinc omnes cupidos pauperes vocamus; quanto enim maior est habendi sitis, eo plus est id quo caremus. Quapropter eos facimus pauperiores, non quibus minus rei, sed quibus est plus amoris, nec qui possident minus, sed qui plus cupiunt, ut iure ex Penia Amorem nasci Plato existimaverit. Quin et modo quodam idem divino de amore dici posset, non quidem quod Penia paupertasve ulla Deum premat, sed quod dum Parens Prolem et Proles Parentem amat, quorum neuter alter est, erumpit Amor; non enim a Senatu decretum est, Spiritum produci, cum Parens se ipsum amat, sed cum Filium, qui alter est a Parente ac cum Filius Parentem, qui est alter a Filio. Quam ob rem modo quodam, parum tamen apte, dici potest, illum quoque Amorem a Penia prodire; amat enim Parens Filium, qui etsi est alius a Parente, non tamen est aliud, quem ad modum prius late disputatum est. Sed redeo iam ad nomen amoris, quod linguae et orationis penuria angustiaque volunt Spiritui esse inditum, cum nondum propriae actionis et Spiritus appellationes in voluntate inventae sint, velut dicendi et verbi in intellectu inventae sunt. Si tamen Platonem audire libeat, videbimus fortasse, ni fallor, ne ipsa quidem nomina apud eum auctorem desiderari. Amare namque tribus commune erit; actio, qua Spiritus manat, Venus dicitur a Platone; Spiritus vero ea Venere manans nomen proprie amoris obtinuit, quem ipse in Veneris natalibus vult oriri. Venerem autem divinam, non imperfectam quandam actionem ab essentia seiunctam, sicut in nobis dicimus, sed exactissimam illam intelligimus, quae etsi est qua Spiritus manat, a divina tamen essentia non distinguitur. Cum itaque Plato dicat, "magnus

9 potissime] potissimam *ac. N2* 10 omne aliud *V* 22 quoque] quoque *sl. V* | a] e *N1 N2*

11 appetit] *asteriscus N2*

deus Amor est," Spiritus proprium nomen Amorem esse vult, cuius quidem postea mille functiones enumeravit. Quare quod nostri necessitati, non consilio, ille contra consilio, non necessitati adscribendum putavit; alios siquidem amandi actus non amores vocat, Amoris vero nomen soli Spiritui in divinis attribuit. Addit praeterea Plato amorem esse medium, quod quidem multifariam demonstrat. Quare id efficitur, quod a Senatu sancitum est, Spiritum Amorem esse Parentis in Filium et Filii in Parentem, non quidem eo quod manat, sed ex ipsa manandi ratione. Si enim ex eo quod manat, in alterum tenderet, Filius quoque procurreret in alterum, quod nemo umquam putavit; ex manandi autem ratione, quoniam, ut Plato vult, ex Penia Amor oritur, hoc est, ex eo quod amans fertur in aliud, quod ipse non est. Ita et Parens in Filium Amore ducitur, qui Pater non est. Si itaque haec est Amoris vis, haec propria ratio, ut in aliud tendat Spiritus Amor est Filii in Parentem et Parentis in Filium, non velut in id, in quo suscipatur, sed ut in id, quod appetitur et amatur. Si itaque hac ratione Patris est amor in Filium et Filii in Patrem, cum uterque sit amator alterius, non iniuria medius a Platonem vocatus est, obtinuitque eadem ratione ut virtutes in medio sitas veras esse efficiat, quod quidem in amatoriis scribitur, quod felix sponsus divinus Filius media caritate constravit, hoc est, Spiritu qui est Parentis in Filium et Filii in Parentem, quique Amor ac Caritas nominari solet, virtutes complanavit, ornavit, efficit. Absque enim caritate divinoque amore, teste Apostolo, nihil omnino nobis virtus prodest; quin et ut parens meus monet Augustinus, virtus illa, quam amoris flamma non accendit, non modo non prodest, verum etiam ne virtus quidem nominanda est, veluti nec leo mortuus, nec extinctus ignis vel leo vel ignis appellari volunt. Factum et est ab Etruscis, ut Vestae parenti perpetuus ignis flagraret; quem quidem ritum Dardanus Phrygibus, Phryges postea Romanis tradidere. Sacrificia quoque veteribus sacerdotibus igne, novis non absque igne instituta sunt. Quae omnia sancti illius Amoris sunt symbola, quem uti hauriamus accendamusque nostris in animis, templa petimus, aras adimus, sacra studiosissime facimus. Ignis vero cum Amor sit, si fuerit divinus, et sapientes reddit et beatos, sin vero humanus caecos nos facit et miseros. Hinc Plato alterum sapientem beatumque constituit, alterum Maro caecum et

2 nostrae *V* 16 Filii] in *praem*. *V* 28 Phrygibus] Phrygiis *ac*. *N1*; Phrygius *V*

22–23 Absque … prodest] 1 Cor. 13.3

infelicem: "Caeco," inquit, "carpitur igni," et, "uritur infelix Dido," quae frustra sacra fecerit, ut quae divinum ignem non conceperit; quapropter exclamat vates, "quid sacra furentem, quid delubra iuvant?" quem enim humanus amor occupat, frustra divinis aspirat, solusque evadit humanos, quem prius anticipaverit divinus. Ex eadem quoque Platonis sententia, quae amorem medium facit, fit ut appareant quod patres dictitare consueverunt, Amorem ac Spiritum nexum esse Parentis et Filii, quo nomine Plato divinorum consultissimus in Reipublicae libro utitur, cum amoris nexum geometriam maiorem esse voluit; quae res paulo post latius apertiusque nobis disseretur. Inest enim amori coniungendi vis. Quid namque Argonautas Orphei et Apollonii in Colchos advexit, nisi velleris aurei ac victoriae potiundae amor? Quid Europam in Asiam et in Priamum armat, nisi Helenae recuperandae desiderium? Nulla denique necessitudo, nulla sanguinis propinquitas, nullum vinculum ita quidquam iungit, quem ad modum amatae rei amantem iungit amor. Iungunt alia vincula, ac simul res vinciunt; at amor quaecumque occupat, efficit non modo iuncta, sed etiam unum, quin et tanta vi tamque efficaci impetu in unum compingit, ut alterum et transeat et transformetur in alterum; unusque amor ea in re omnem transilit vincitque naturam. Hinc Plato admirabilem novamque amoris advertendum vim demonstraturus multis utitur inusitatisque nominibus; appellatur enim in Symposio Amor incantator, fascinator, veneficus, et sophista. Primo quidem describitur id quod facit; rationem enim excaecat; consilium eripit, et mentem evertit. Utque efficit haec amor humanus, ita divinus rationem, consilium, mentemque restituit. Uterque mira quadam vehementique ratione, non naturae more, sed quasi incantantis ope, praestat omnia. Utrumque amorem, utramque functionem ligandi solvendique, ad carmina et incantationes Maro refert in Didonis amore, amoris vim quasi incantatricem ex Platonis Symposio manifestaturus; ait namque de Hesperidum sacerdote: "haec se carminibus promittit solvere mentes, quas velit, ast aliis duras immittere curas." Duplex hoc loco amoris vis, duplex amor, duplex quasi carminum et incantandi ratio amori tribuitur; quem enim animum humanus ligat amor, liberat solvitque divinus. Lex quoque a Deo

1 igne *N2* 10 apertiusque nobis latius *tr.V* | dissereretur *N1 V* 14 ita] itaque *V* 20 amoris *in marg. V* 23 *sl. V* 33 *sl. V*

1 Caeco … Dido] Virg. *N1 V* 7–9 Amorem … voluit] 5 Reip. 17 *N1 N2 V* 30–31 haec … curas] Virg. *N1 V*

1 Caeco … igni] Aen. 4.2 | uritur … Dido] Aen. 4.68 3 quid … iuvant] Aen. 4.65–66 30–31 haec … curas] Aen. 4.487–488

mortalibus data, quae amoris lex appellata est, cuius quidem finis est amor, quaeque uno amandi praecepto contenta est, utrumque amorem complectitur, cum summo sacerdoti tradit ligandi solvendique potestatem. Ligat siquidem quem humanarum rerum amoribus irretitum relinquit, solvit quem ad summum bonum amandum et complectendum adducit. O miseram insipientium mentem, qui, ut in Psalmo dicitur, malis amoribus aures suas obstruunt, "ne audiant voces incantantis, incantantis (ut additur) sapienter." Quid enim maius, quid admirabilius auditum est umquam, quam cum Amor ille divinus ac caritas in Apostolorum pectoribus diffusa est? Quae tunc incantandi vis! quae mutatio! quae rusticorum transformatio pectorum! quae sapientia rudibus! quae imperitis facundia! quae in aegris sanandis, quae in secretis reserandis, quae in futuris praedicendis, quae gentibus populisque convertendis, quae in mortuis ab inferis revocandis miracula attonito stupenteque mundo, apparuere! Sed quaenam ars id fecit, quae magia, quae incantandi perities? nihil profecto tale, sed ille, qui a Platone incantator dictus est, Amor et Caritas in duodecim ducum diffusa pectoribus. Ille igitur Amore instructus coetus potestatem Amoris accepit a Deo ligandi solvendique, ut in omnem terram eius sonus exiret, mundusque universus audiret Amoris divini incantantis vocem, non insipientium carminibus utentis, sed praedicantis incantantisque sapienter. Alter namque amor, qui ad bonum non summum ducit, incantantis quidem habet vim, verum non sapienter id quidem, sed dementiam atque insaniam facit, cum ab eo everti mentem consiliumque docuerimus, ut enim probus Amor sapientissimos et divinos reddit, ita improbus insipientissimos et stultissimos facit: "improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?" ut elegantissime disseruit Maro. Quodque e Psalmo mutuati sumus, quod stulti amatores aures suas obstruunt, ne forte audiant voces incantantis sapienter, at contra sapientissimus ille incantator aures bonorum occludit, ne voces male incantantis exaudiant, in eadem Didone est Maro prosecutus. Nam divinus nuntius a Deo e caelo missus ad patriae et summi boni amorem accendit, sed ut amor improbus Didonis mentem claudit,

---

1 lex amoris *tr. V* 14 miracula *om. V*; miraculis *N1* 15 magia quae] magiaque *V* 21 utentis] utensis (*sic*!) *V* 25 et *sl. V* 27 e] a *V* 31 patriae *sl. V*

7–8 ne … sapienter] Ps. 57 *N1*; *asteriscus N2* 26 improbe … cogis] Virg. *N1 V*

3–4 summo … potestatem] Mt. 16.19 7–8 ne … sapienter] Ps. 57 (58).6 26 improbe … cogis] Aen. 4.412

ne recensenti Aeneae acquiescat, ita Aeneae, ne incantantem audiat voluptatem (ut vates ipse testatur), "deus obstruit aures." Nemo enim est qui improbo amore incantante non insaniat, nisi cui Deus obstruit aures. Diximus haec tam multa, ut miram Amoris vim ostenderemus, quod praecipue efficit, dum amantem iungit nectitque et etiam transformat in amatum. Ut namque divus dicebat Apostolus, qui amore iungitur Deo, unus redditur Spiritus cum Deo. Quid igitur mirum, si mira atque inusitata efficit ut Deus? Diximus quanam ratione incantator vocatus sit, cur autem falcinator, cur veneficus, cur sophista sit dictus, alias disserendus est nobis, ne longius nostra procurrat oratio. Cum vero Spiritus sit Amor Patris in Filium ac Filii in Patrem (ut prius diximus) iure Patris Filiique nexus dici putest; manat enim Spiritus ille propria amoris ratione. At amor nectit (ut docuimus) quaecumque simul iungit, unumque e duobus simul facit. Est etiam tanta amoris coniunctio, ut nullo omnino vinculo sit posterior, nam et in amatum transformat amantem, eumque extra se ipsum rapit, atque ita extra se raptum transfert, sistit, et collocat in amato; quae in Platone et eius sectatore Dionysio copiosissime legi possunt. Quo tendunt universa veterum fabulamenta Graecorum homines in plantas et bruta transformantium. Si itaque rerum omnium summum est vinculum summusque nexus Amor, Spiritus qui amatoris habet, ut diximus, et rationem et nomen, Patris Filiique nexus appellabitur. Superest de nomine agere; cum enim tam Pater quam Filius et Spiritus sit et sanctus, cur uni dumtaxat Amori inditum est hoc nomen? Varia ad id ratio reddi consuevit. Alii quod Amor utriusque communis id postulabat nomen, quod esset etiam utriusque commune, cum praecipue in hominum amicitia dictum ab Aristotele sit, quod sit μία ψυχὴ ἐν δυσὶ σώμασι, "anima una in duobus corporibus." Iungit itaque Amor atque unit non corpora sed Spiritus; quare Amori duorum nomen Spiritus non ab re traditum est. Praeterea ne quis concipiendo fortasse laberetur: Spiritus enim nomen humanis in rebus simplicioribus imponi consuevit, unde aerem, auram, ventum, daemonas hoc nomine vocamus; ac propterea hoc "spirabile caelum" ab Ennio dictum est. Quem ad modum itaque potestas Patri tribuitur, ne dum antiquus dierum a Daniele scribitur,

1 ita] itane *V* | ne *sl. V* 9 falcinator *in marg. V* 10 Amor sit *tr. V* 15 amantes *N1 V* 20 est *sl. V* 26] ἡ *N1 V* 31 unde] ūn *abbr. N1*; unum *V* 32–33 itaque] igitur *ac. N2*

1–2 Aeneae … aures] Virg. *N1 V* 19 transformantium] *asteriscus N2*

2 deus … aures] Aen. 4.440 26–27 … σώμασι] Vitae phil. 5.20

informa forte aetas cogitaretur annisque effeta senectus; ac rursus Filio sapientia adscribitur, ne puerum imprudentem atque ineruditum suspicaremur; ita Spiritum dici oportuit Amorem divinum, ne quoniam solus a duobus manat, solus coagmentatus crederetur. Quod enim pluribus a causis oritur, ut Proclo placet, concretius eo esse solet, quod a paucioribus oritur; quae sane sententia tum procedit, cum a pluribus velut a pluribus quidquam fluit. Is vero Spiritus a pluribus non veluti de pluribus (ut docebimus) sed tamquam uno de principio manat. Adde et generationis Amorisque differentiam; nam cum quid in humanis gignitur, novum corpus gignitur; cum vero Amore quis capiatur, non quidquam corporeum fit, sed animae Spiritusque compulsio fit dumtaxat, qua quis fertur in alterum. Partitur praeterea in Republica Plato omnia, quae sunt, in ea quae sensu et ea quae mente sola cognoscuntur; atque utramque lineae partem bifariam rursum secat, in causas, et ea, quae oriuntur e causis. Quae sensu comprehenduntur, corporea sunt; quae mente intelliguntur, a nostris oraculis et sacrosancto Senatu spiritalia nominari consuevere; hortaturque mortales idem Plato eodem in loco, ut partem alteram lineae ut umbras devitent, alteram ut lucem fulgentissimam prosequantur. Quin etiam in superiore regione tempus et interitum, in posteriore aeternitatem vitamque constituit. Cum vero spiritalem partem assequi haudquaquam absque divino munere possimus, munerum autem primum Amor est, Aristotele teste, in Rhetoricis. Quam ob rem iure Spiritus denominatus est, qui spiritalium assequendorum, ubi summum bonum consistit, causa est atque origo. Id voluit idem auctor in Symposio, cum Amorem bonorum omnium datorem decernit. Et quoniam corpora omnia agitatione cientur, nec omni prorsus alteratione et agitatione tellus vacat, in sola illa spiritali regione, quem intelligibilem vocat mundum Plato, suprema est constituta nobis quies; idcirco Amor summa rerum quies eodem loco a Platone dicitur, quod ad quietissimam et tranquillissimam traducat regionem, unde homines ac dii beati fiunt; quare servator et dux dicitur eodem libro et hominum et deorum. Quod si a fine denominari omnia par est, cum solus ille Amor in spiritalem nos patriam ducat, solus Spiritus meruit appellationem. Sumptum quoque communi in usu id nomen videtur ab impulsu et agitatione; quo factum

1 effeta] *Ed.*; effecta *N1 V*; effoeta *N2* 12 Plato *om. V* 13 atque *sl. V* 24 est *sl. V* 33 Sumptum *sl. V*

12–13 Partitur … cognoscuntur] 6 Reip. 41 *N1 N2 V* 24–25 Id … decernit] Symp. 36, 37 *N1 N2 V* 27–28 in … Plato] Symp. 37 *N1*

est, ut vel concitum aerem, vel terrae halitum, quem ventum esse volunt, Spiritum dictitemus. At Amor, ut diximus, nihil est aliud, nisi concitatio rei, qua in alterum et fertur et trahitur; nam licet Latini iuniores Amorem quietum fecerint, cuius motum desiderium nominavere, Plato tamen (ut docuimus) priorem illam vim Venerem, posteriorem appellavit Amorem. Amor itaque, cuius est amantem impellere, recte Spiritus nominatus est, qui dicitur, sicut ostendimus, ab impulsu et agitatione. Utrumque igitur Amori tribuendum est, et ultima illa felix quies in spiritali mundo, ad quam aspirare nos cogit, et motus compulsioque, qua nos stimulans ad quietem ducit. Idcirco in duabus extremis rationibus, quas enumeravimus, utrumque munus Amoris explicatum est, motus videlicet et quietis. Nec iniuria sane quae in naturae definitione iunguntur, divino illi Amori ascribi volunt, a quo natura universa profecta est. Spiritus enim Domini super aquas ferebatur, ut Mosis docet oraculum, hoc est, naturae divina voluntate constitutae Spiritus idem incubabat, in illam crearat ex nihilo. Licet enim creatio in Trinitatem velut in causam referatur, cum tamen mundus non natura, sed voluntate sit conditus, idcirco modo quodam praecipue ad Spiritum illum pertinet, qui voluntatis habet originem, non naturae. Quin Plato utrumque illud dat Amori munus finis assequendi, ubi salus est mentium, et motus quo mentes ad finem attingendum stimulantur ducunturque. Ait namque in Symposio, ut prius diximus, Amorem esse deorum atque hominum sospitatorem et ducem. Alterum praestat, cum in hac vita ducit accenditque ad patriam quaerendam; alterum cum mortali hac functos vita, in summo sistit nos patriae bono; quo vergit universum Odysseae opus, cui adstans dea patriae amorem animo semper inserit, et quantum humanus amor vel apud Calypso vel apud Circem remorabatur, retrahebatque eum procul ab Ithaca, tantum consilium divinum, ut primo legitur libro, nunc Mercurium, nunc per Minervam divino in patriam amore sollicitabat. Fecit idem et noster Maro, qui Aenean in Italiam et antiquam patriam, ut ille Ulixem in Ithacam, hoc est, sapientem in regionem intelligibilis mundi, atque in summum bonum, in spectaculum quietissimum divinae pulchritudinis traducit. Duo tamen in Marone praestantius effincta sunt: alterum, quod patriam statuit, non in qua quis sit ortus; ea enim tellus est, quam Troiae nomine posuit, sed antiquam statuit adeundam patriam, Platonico

2 dictitemus] dictemus *ac. V* 13 perfecta *N1 V* 14 est *om. V* 24 hac vita mortali functos *tr. V* 29 per *sl. V* 30 antiquam] anticham *V*

25 quo … opus] Hom. *N1 N2 V* 29–30 Fecit … patriam] Virg. *N1 N2 V*

more, hoc est, caelum, unde Plato lapsas esse animas arbitrabatur, ut in Timaeo atque in Republica scripsit. Nos vero licet humi natam velimus animam non tamen ab humana factam origine, sed a summo et immortali Deo, ad quem caelum inhabitantem cum tendimus, at patrem et patriam antiquam proficiscimur. Troiam autem egredi oracula praecipere, quid est aliud, quam quod Abraae verum veri Dei iubebat oraculum: "egredere," inquit, "de terra tua atque etiam de cognatione tua." Hoc non servavit Homerus, qui in eandem duxit Ulixem insulam, in qua et ortus fuerat et primam cum Laerte aetatem traduxerat. At contra Maro non nisi sublimi sapientia e Platone atque Etruscis accepta oracula sectari patriam egredi novam, "antiquam exquirere matrem," atque, "ire ad conspectum cari genitoris." Alterum est quod in Homero, non in Marone desideratur, quod cum haec omnia, utpote et patriam deserere novam, et antiquam exquiere, non nisi divini Amoris ductu fieri ostenderimus, Venus, non Pallas, dux itineris instituenda est. Verum, ut alias docuimus uterque defendetur, si nostrae monumenta legis pensitabimus, in qua salus animorum divino et Filio et Spiritui attributa est, quorum quidem alter inter homines natus Apostolos vocavit, alter ignis formam induens vocatos implevit, erudiit, perfecit. Sed ut pars haec quandoque claudatur, nomen Spiritus ab impulsu sumptum iure divino datum est Amori, qui in Apostolos in Spiritu vehementi illapsus proditus est, quique humanas animas ad patriam vel affectu cupiendam, vel vita moribusque demerendam stimulat, inspirat, impellit. Sanctum denique ideo dici eum oportuit, ne cum Amoris mentionem audimus, quidquam animo profani suspicaremur.

103. *Tres personae dumtaxat sunt per duas actiones naturae ac voluntatis. Pan Syringa, et dii alii cum Iano*

De hac vero Amoris persona tertia antequam alia, quae supersunt, tractentur, id nobis absolvendum occurrit, cur tres tamen personae in divinis esse possint. Si enim non alia ratione distinguuntur invicem, nisi ex origine, duae tamen videri possunt, quarum altera sit, quae oriatur ex altera, altera ex qua altera oriatur. Una namque originis ratione una tantum

---

6 Abrahae *N2* 23 Sanctus *N1 V* 32 tantum] tm *abbr. N1*; tamen *V*

7 egredere … tua] Gen. 12.1 11 antiquam … matrem] Aen. 6.268 11–12 ire … genitoris] Aen. 6.108

persona constituitur. Si duo sunt originis modi, ut duae etiam personae sint ratio postulare videbitur. Verum cum longe plura sint, quae Deo tribuuntur, quam tria, longe plures putari possent emanandi modi, ac proinde personae etiam plures. Atqui si Platonem audiamus, omnem alteritatem a divina unitate, quae idem omnino obtinet, removebimus; quam ob rem actiones, quae in alterum procurrunt, et in externa sylva materiaque collocari solent, nihil in Deo collocant, nihil in divina simplicitate constituunt. Idem namque est semper Deus, et eodem se se modo semper habet, ut ibidem idem auctor testatur. Si itaque Filius, si Spiritus Sanctus emanaturus sit, non nisi actionibus illis manare poterunt, quae non in aliud, non in externum transeunt, sed in eodem perstant et manent. Illae autem non aliae sunt, nisi intelligentiae et voluntatis; quare hae duae tantum ponendae in Deo sunt originis divinae rationes. In libro quoque De legibus tres rerum causas numeravit Plato: naturam, artem, fortunam, naturam, necessario in unum vergentem; artem utrumque oppositorum prospectantem, et alterum pro voluntatis arbitrio eligentem; fortunam non unam causam, sed multarum societatem aliquid praeter opinionem procreantem. At si originis initia in Deo collocemus, quis ibi (nisi desipiat) fortunae temeritatem posuerit, ubi summam rerum sapientiam invenimus? Superest igitur naturae tantum et voluntatis ratio, quarum altera Filium, altera Sanctum Amorem manare necesse est. Quod si nihil manat ex nihilo omnino, tertia praeponenda persona est, quae cum ex nullo manet, ea sit, ex qua geminae manent. Neque obstat, quod Deo longe plura tribui soleant; nam omnia ad duo illa initia naturae voluntatisque referuntur. Quae namque manant ut lumen, ut sapientia, ut intellectus, ad naturae fontem spectant, quae ut bonum, ut amor, ut munus, ea ad initium pertinent voluntatis. Haec duae tantum cogitandae personae sunt. Ratio namque originis nihil constituit, nisi constituta sit propria, ut formae cuique adversus Pythagoram Aristoteles propriam peculiaremque constitutionem esse contendit a natura datam. Cum itaque dictum est ex alio fluere, esse unam manandi rationem, dicimus communem esse, non propriam, sed proprias esse duas ex alio fluere vel naturae vel voluntatis origine, quae propriae sunt personarum producendarum rationes. Has vero geminas vires naturae ac voluntatis pinxere sapientes Lucumones in bifronte Iano, ad quos cum Pelasgi migrassent, eidem

1 ut] et *V* 23 sit] sint *ac. N1*; *sl. V* 24 plura *in marg. V* 25–26 intellectus] intellectu *N1 N2* (*ac.*) *V* 28 constituto *N1 N2*

4–5 si … removebimus] Phil. 122 *N1 N2 V* 14–15 De … vergentem] 10 Leg. 7 *N1 N2 V*

Lucum et templum dicavere ac σεβαστὸν πᾶνα patria lingua cognominavere. Mirum usque in hac aetatem, haud procul a Pelasgorum Luco quem Faul appellant, ostendi clivum, qui etiamnum eandem servet appellationem et accolarum sermone σεβαστοῦ πανός nomine vocetur. Pana vero biformem et poetae et philosophi, ut Plotinus et Plato, occulto mysterio cecinerunt, cuius quidem inferna caprae, utpote hirsuta ac sylvestria, obtinent, ubi naturae vis caelata est, supernam vero hominis formam habent, cui et artes et voluntas artium princeps tradita est; ut in duabus formis Dei duae initiorum origines cogitentur, quarum altera a Parente Filius altera ab utroque Sanctus Amor manet. Nam quid est aliud Iovem a capra alitum educatumque fuisse, nisi Dei filium origine naturae progenitum fuisse? Etiam saepissime ab Homero et Hesido aliisque veteribus dicta est, Διὸς νόου αἰγιόχοιο, "caprati" (ut ita dicam) "mens Iovis," ut geniturae rationem exprimerent ad mentem intelligentiamque pertinentem, quae servat in gignendo verbo formam moremque naturae. Quin et Minervae aegida semper tribuunt, ut sapientiam naturae modo genitam intelligamus. Mirandum profecto est etiam Psalmum veritati et sapientiae Filii scutum admovisse: "scuto," inquit, "circumdabit te veritas eius." Veritatis vero nomine se divinus Filius appellitare consuevit, quippe qui de se loquens ait, "Ego sum via, veritas, et vita." Iam satis apparuisse potest ex sylvestri Panos parte naturam significatam esse, et geniturae et divinae Proli attributam fuisse, ut cum Filii sapientiam intelligentia ac naturae modo genitam significare volumus, aegida scutumque commemoramus. At vero Amorem in Panos figura fuisse a veteribus in superna parte significatum, argumentum est ex Panos et satyrorum omnium amoribus quibus quidem affectos nymphas finxerunt fuisse prosecutas; eosque illis fabulamentis amoribus incitatissimos prodiderunt, ut partem illis inesse constaret, quam amoris significandi gradia simularit antiquitas. Amorem quoque facundum et Plato et nostra faciunt oracula, apud quae constat divinum amorem non una tantum, sed multis etiam linguis nostros duces instituisse, atque ex ineptis et barbaris ad universum orbem persuadendum eloquium efficacissimum tradidisse. Datus est eo

---

2 haud *sl. V* 4 sermonem *N1 V* | σεβαστοῦ πάνος *in marg. V* 7 suprema *N2* 13 … αἰγιόχοιο *in marg. V* 15–16 Quin … naturae *in marg. V* 25 significatam *V* 26 prosecutos *N2* 30 quem *V*

3 Faul] *signum manus cum digito monstrantis add. N2*

13 … αἰγιόχοιο] Il. 15.242, Od. 24.164 18 scuto … eius] Ps. 90.5 20 Ego … vita] Io. 14.6

miraculo locus fabulae, qua a Pane amatam fuisse Syringam commenti sunt, ut Amori qui in supernis Panos apparet, fistulam, sonit—musicam, sonum, harmoniam, et ipsam denique eloquentiam constet coniunctam esse atque familiarem. Duodecim enim illos pauperes, quos conditio, educatio, fortuna, ars praestiterat insulsissimos, absurdissimos, infantissimos, Amor ille divinus ubi e caelo sonuit et linguarum formas praetendens in eos incidit, continuo reddidit paventibus spectatoribus cordatissimos, sapientissimos, facundissimos, protinusque nulla mora, nullo labore, ex rudibus eruditos, e timidis fortes, e pauperibus terrarum et orbis principes fecit; quodque his omnibus longe maius est, Amor, quem diis antiquiorem voluit Hesiodus, homines mortalium postremos non modo terrarum orbi ac et mortalibus omnibus, verum etiam caelo ipsisque diis immortalibus anteposuit. Utramque manandi rationem ut disserendo cognovimus, ita vivendo imitari nitendum est, silvestrem si corporis naturam subegerimus, ut Apostolus de se praedicat corpus castigante domitanteque, et si animam adamandam Syringam accendemus, hoc est, si in Psalmis et Prophetarum divorumque scriptis divino spiritu traditis mentem exercebimus, quod cytharaedus noster prima Psalmorum ode scite cecinit, beatum eum faciens, qui divina in Lege (quam divino spiritu latam esse constat) sedulo die noctuque meditetur. Has geminas actiones Dei in Platone leges, naturae quidem et intellectus in Cratylo, ubi magnam praedicat intelligentiae prolem; quare duas esse personas oportet, hunc Parentem, hunc Filium, ut sexto de Republica libro apertissime docet: alteram autem voluntatis actionem in Symposio ponit, ubi et amorem et eius originem lata persequitur disputatione; quare tres illas enumerat personas, quas sacra nostra oracula docuere, quamquam ut saepe diximus protestatique sumus, citra omnem errorem sola Evangelia eam sapientiam tradidisse intelligamus, ut sciant gentes (ut Psalmus monet) quoniam homines sunt, omnisque (ut eodem libro proditur) homo mendax. Hae igitur tres personae sunt, quas Plato Bonum Ipsum, Boni Filium, et Amorem vocat; quandoque Saturnum, Iovem, Venerem; quandoque Iovem, Minervam, Venerem; quandoque Iovem, Apollinem, Vulcanum; ut varia nominum appellatione signentur et variae producendi vires et personarum variae rationes. Quem numerum divus Iohannes, cui divina

---

20 constat] *asteriscus N1* 20–22 Has … prolem] Crat. *N1 V* 24–25 alteram … disputatione] Symp. *N1 V* 31 vocat] *asteriscus N2*

1 Pane … Syringam] Met. 1.696–711 9–10 e … fecit] Ps. 112.7–8 15–16 Apostolus … domitanteque] 1 Cor. 9.27 19–20 qui … meditetur] Ps. 1.2 29–30 omnisque … mendax] Ps. 115.11

sapientia copiosius tradita est, cognoscendum post praeceptorem Deum prodidit aitque, "tres sunt, qui perhibent in caelo testimonium, Pater, Filius, Spiritus, iique tres unum atque idem sunt." Nam duabus illis actionibus, naturae ac voluntatis duas esse personas oportet, quae sua singula actione producantur, atque unam, quae illas prorsus improducta producat. Addam Etruscos et Ianum finxisse bifrontem et in bifronte Cyminio Turrim Iani in alluvionis magnae monumentum concelebrasse; unde utraque spectatur Etruria, Cis-Cyminia Trans-Cyminiaque, figuraeque eum montem eiusdem cum Iano arbitrati sunt, quod hinc solem orientem et lucem, hinc occidentem et Zephyrum spectet. In nascente sole naturam, in lumine sapientiam naturae modo natam, in Zephyro amorum spiratore excitatoreque voluntatem et spiritum, quem amorem Plato nominat, intelligebant. Quas ob res utramque emanandi vim in Iano, in Pane, et in Cyminii montis imagine significatam volebant; quod ut Dardanus ex Etruria profugus imitaretur in Phrygia pro Cyminio monte et Cybelario colle Etruriae Idam et Pessinuntem Phrygiae celebrandos suscepit, quorum alter patri, alter matri deorum consecratus erat; unde postea rursus eadem sacra et ad Tuscum redire flumen et "antiquam exquirere matrem" coacta sunt, velut in universo opere prosecutus est Maro Etruscarum disciplinarum ac totius antiquitatis cultor studiosissimus.

3 iique] usque *ac. N1*

12 excitatoreque] *asteriscus N1*

2 tres … testimonium] 1 Io. 5.7

DISTINCTIO XI

104. *Spiritus a Filio etiam manat. Quomodo spirent ut unum; In quo sint unum. Sunt etiam unus et plures Spiratores*

Redeundum iam ad ea est, quae de Amoris ortu, ut Plato ait, vel de Amoris origine, ut Sacri dictitant, disserenda sunt. Diximus antiquam religionem prius in Etruria apparuisse, postea in Graeciam Asiamque commigrasse, duce Dardano. Vera autem pietas primo in Asia, postea in Graecia, et in Etruriae Ianiculo Petri interitu, et in Vaticano Petri haereditate viguit atque floruit; in qua cum de Amore agendum esset, gravis inter Patres Graecos Etruscosque orta quaestio est. Nam ut omittam alios, Dionysius Areopagita in Graecorum senatu facile princeps nihil audendum decernit. Platonis sententia, nihil affirmandum omnino, nisi quod sacrum affirmavit oraculum. At Spiritum divinum, quode agimus, a Filio manare non legimus in sacris libris, sed a Parente dumtaxat a divo Ioanne, "Spiritus veritatis qui a Patre procedit," quam ob rem non est, cur a Vaticano sacerdote Senatuque Romano Spiritus a Filio manare decernatur. Accedit et Damasceni sententia hominis Graeca eruditione primarii. Ait namque is, quod Spiritus Patris atque ex Patre dicimus, Filii etiam Spiritum dicimus, sed Spiritum ex Filio non dicimus. Haec igitur Graecorum sententia fuit, Spiritum quidem Filii dici, ex Filio autem dici non oportere. Adversus hanc opinionem omnes Latinorum nervi nisi sunt; nam non modo Filii, sed etiam ex Filio Spiritum dicendum esse statuerunt. Quam quidem sententiam haud temere proposuere, verum multis gravibusque rationibus tum philosophiae tum pietati consentaneis confirmaverunt. Nam si, ut est apud Phaedonem Platonicum, Deum purum

---

7 pietas *in marg. V* 10 Patres *sl. H* | quaestio orta *tr. A* 13 oraculis *N1 V A H* | quode] quod *H* 17 et] ut *H* | hominis *in marg. V* | Graeca] quae ex *H* 18 quod] qui *H* 18–19 Filii … dicimus *om. H* 21 omnis *N1 V A H* 25 Platonicum] Platicum *A*; *om. H*

11–12 Dionysius … decernit] Dio. *N1 V A* 12–13 Platonis … oraculum] Tim. 79 *MSS* 25–420.1 ut … habet] Phaed. 33 *N1 N2 V*; Phed. *A*

15 Spiritus … procedit] Io. 15.26

esse oportet, materiam silvamque nullam habet. Atqui quae materiam habent, si plura ex eodem oriantur, ordinem ullum inter se habeant non necesse est, ut idem sculptor ex marmore Mercurios multos facit, quos ullo inter se necti ordine nulla cogit necessitas; quae vero incorporea sunt, a materia silvaque seiuncta, si plura ab eodem proveniant, fieri non potest, ut inter ea ordo non servetur. At inter Filium ac Spiritum, qui materia carent, ordo ullus esse non potest, nisi originis; ut alter igitur alternus origo sit necesse est. Non tamen Filius a Spiritu. Spiritus itaque a Filio proveniat necesse est. Ad haec Parmenides de ideis acturus, quarum in Deo incredibilis multitudo statuitur, ne quis idcirco Deum in multa secari crederet, divinam illam naturam unum omnino, hoc est, prorsus impartibilis essentiae esse probat. Quod si a Patre, non a Filio Spiritus flueret, quis non videt fieri, ut Pater sit Filio maior, ac proinde Filius Parente sit minor? Quod quidem esse non potest, nisi alterius sit essentiae, quod in Arii impietatem cadit ab universo Senatu detestatam. Nulla enim in re alia Pater a Filio aut Filius a Parente distinguitur, nisi quod alter Pater, alter est Filius, hic genitus, ille gignens; in aliis autem omnibus aequales omnino sunt. Quare Spiritus originem alteri tribuere, alteri auferre non potest, nisi qui cum temerario Ario sentiret. Sicut autem de divina natura loquens Plato unum omnino illam esse in Parmenide, ita in Republica et Symposio de personis verba faciens origine distinctas esse voluit. Non enim Patrem esse Filium, sed Filium simillimum esse Patri disseruit; quod plane et de Amore dici eadem ratio est. Quod si Spiritus non manaret a Filio, unde distingueretur a Filio non haberet, quod in Sabellii errorem tendit Filium Spiritumque indistinctos facientis. Essentia enim eos non distinguit, sed unum prorsus reddit. Neque etiam eo seiungi possunt, quod alter procedat a Patre, cum uterque procedat ex eodem. Quare superest, ut ex eo quod est aliquid ipsaque origine seiuncti sint, ut alter dimanet ab altero, non autem Filius a Spiritu. Filius enim qua Filius nonnisi a Parente nasci potest. Quare ut Spiritus a Filio sit necesse est. Ratio quoque originis, quae Amori propria est,

3 scultor *N1 N2 V*; excultor *A* 6 servet *A* | quae *N1 V A H* 8 alternus] alterius *N1 V* (*ac.*) *H* 9 est necesse *tr. N1 N2 A* 10 Deum idcirco *tr. A* 12 prorsus *om. H* 14 minor sit *tr. N2* 15 detestatum *V H* 22 Non] *verbo eraso sl. V* 22–23 Filium … Patri] simillimum esse Patri Filium *tr. V H* 25 Spiritum Filiumque *tr. N2* 26 Essentia enim] essentiam *H* | non distinguit eos *tr. V H* 27 eo etiam *tr. V H* 27–28 cum … superest *in marg. V* 28 eodem] utraque *ac. A* 30 a Parente nonnisi *tr. V H* 31 necesse est] necessarium est *H*; necessarium *V* | quoque *om. H*

9 Parmenides … acturus] Parm. 4.25.*N1 N2 V H*; Parm. 4 *A*

idem demonstrat. Nam Filius intelligentiae modo nascitur, sicut Platonico Cratylo placet, Spiritus autem Amoris modo. At Amor semper ex intelligentia manat atque cognitione. Nihil enim amari potest, nisi aliqua ratione cognoscatur, ac quae nos prorsus latent amari non possunt. Quam ob rem cum Verbum sapientiae et intelligentiae modo exoriatur, nonnisi ex ipso ducere originem Amor potest. Quin Summum Bonum eo amatur ardentius, quo exactius intelligitur. Hinc aegra ratio hominis cum parum divinam excellentiam cognoscat, efficit ut etiam parum adamet. Ut itaque summus sit Amor aliquis, ut ex exactissima intelligentia proveniat oportebit. Exacta autem intelligentia non cogitatione fit, sed verbo, ut prius disseruimus. Quare ut ex verbo proveniat Amor ille absolutissimus omnino necesse est. Verbum enim nos dicimus, quod Plato in Cratylo Magnae Intelligentiae Prolem nominavit. Denique etsi venia danda Damasceno est, Dionysio certo non est; etenim quinam sibi Platonici dogmatis sectator constabit, si Amorem a Filio manare negaverit, quod scripta Platonis affirmant? Porus enim Themidos filius dicitur, a quo Amorem oriri Plato vult. Quare tantus auctor non modo a Latinis patribus Etruscoque Vaticano, verum etiam a Platone suo Graecaque Academia vexatur. Neque enim ea dicimus, quae sacris in oraculis non contineantur. Refert autem nihil verba vel sensus in libris oraculorum contineri. Recitanda est Filii ipsius sententia. Ita enim apud Iohannem de Spiritu loquebatur. "Ille," inquit, "Spiritus me clarum faciet, quoniam de meo accipiet." Quae quidem verba idem de Spiritu Sancto testantur, quod de se ipso Filius dicebat, cum ait; omnia mihi tradita sunt a Patre meo, hoc est, ab ipso natus sum, atque ita Spiritus de meo accipiet, hoc est, a me procedet. Quicquid vero de Patre dicitur, etiam de Filio dicitur, nisi ea sint, quae ad aliquid dicuntur, etiamsi ea dictio tantum adderetur. Nam quod dicitur, nemo novit Filium, nisi Pater, non idcirco se ipsum latet Filius, sed in Parente intelligente etiam intelligentem Filium oportet

---

3 Nihil] nisi (*add. sl.*) *A N1* (*corr. in marg.*) | nisi] nihil *add. ac. V A* (nisi *add. sl.*) 8–9 adamet] adametur *ac.N1*; adamatur *V H* 11 ut … verbo *om. H* 11–12 absurditissimus *V H* 14 Dasceno *V H* | certe *N1* 15 sectator] sectatori *N1 V* (*ac.*) *H* | a] e *N1 N2 A* 17 oriri *in marg. V* 18 suo] Symposio *praem. ac. V* 20 autem] etiam *V H* 23 testatur *A* 24 de … ipso] *Ed.*; de se ipse *N2*; se ipse *N1 V*: se ipso *A*; ipse *H* 26 de Filio etiam *tr. A*

1–2 sicut … modo] Crat. 21 *MSS* 12–13 quod … nominavit] Crat. 21 *N1 V A H* 16–17 Porus … vult] Symp. 46 *N1 N2 A* 18 Platone] Symp. 36 *V H*

22–23 Ille … accipiet] Io. 16.14 24–25 omnia … meo] Mt. 11.27 28 nemo … Pater] Mt. 11.27

intelligi. Audiendus hoc loco est Augustinus meus, qui velut sanctitate maximus, ita apparuit doctrina praecipuus. Adducit is Filii sententiam dicentis, mea doctrina non est mea; quod non ideo dixit, quod sua non esset, verum quod illam a se ipso non haberet, sed a Parente susciperet. Quare si ea doctrina sua est, quod ipse negat, cur a Filio non procedit Spiritus, quod non negat? Plus enim est negare, quam non dicere. Volumus doctrinam esse Filii, quod Filii negavit oraculum; cur Spiritum a Filio nolumus manare, quod nulla umquam oracula negaverunt? Sensus namque gravibus in rebus, non verba pensanda sunt. Negat itaque doctrinam esse suam, non quod sua non sit, sed quod ex se non habeat. Ita a Patre manare dicit Spiritum Filius, neque propterea negat Filius a se manare Spiritum, sed negat a se praecipue manare. Praecipuam autem manandi auctoritatem tribuimus idcirco Parenti, qui unus aliunde non accipit, sed quaecumque possidet, ex se ipso possidet. Quod vero ad Damascenum et Graecos attinet, varia sententia est. Alii eos male de fide ac pietate sentire. Alii quod ad concilium, ubi ea sententia consecrata decretaque a Senatu est, vocati non fuerint, stomachatos dicunt, sententiamque quam iudicio clam probarent, indignatione palam accipere noluisse. Sed natio de genere humano, omni disciplinarum genere vel invento vel exculto, optime merita tuenda defendendaque potius, quam accusanda vel in ius vocanda videtur. Tantum enim abest, ut Graecos errasse credamus, ut etiam Latinorum scriptorum, qui de sacris scripsere rebus, vel praeceptores vel duces fuisse in arcanis enucleandis arbitremur. Damasceni quoque verba ita interpretari fortasse possumus, quod Spiritum Filii quidem dicimus, ex Filio non dicimus, non quod dici a nobis, sed legi in sacris voluminibus non possit. Sensus namque apud Apostolorum scripta, non verba inveniuntur. Ut enim universae nationis partes tueamur, fratres siquidem nostros non temere eiiciendos, sed amice conplectendos existimamus, eos praecipue, qui rem publicam Christianam et vitae sanctitate et doctrinae claritate ditissimam a longe celeberrimam reddidere. Videamus tamen quid dicant. Volunt Spiritum manare per Filium, non

---

5 quod *om. H* 5–6 Spiritus *pc.* (filius *ac.*) *V* 8 umquam nulla *tr. V H* 10 Ita] item *H* 11 manare] *pc.* (manare Spiritum *ac.*) *V* | dicit *om. N1*; ait *N2*; 11–12 dicit … Spiritum] ait … *in marg. N1* 11 negat Filius] ne. F. *abbr. N1*; negatur Filius *V A H* | Filius *om. N2* 16–17 est a Senatu *tr.N2* 18 clam *om. V H* 20 ius] his *H* 27 verba] pba *A* | inveniuntur] in inveniuntur *A*

18 Sed] *signum manus, digito extenso, add. N2*

3 mea[1] … mea] Io. 7.16

ex Filio. Quam quidem sententiam si aequis iudiciis procul a perturbatione pensitemus, rebus nostris fortasse non modo non pugnantem, quin potius consentientem ac concordem iudicabimus. Nam ex Patre manare Spiritum cum dicunt, praecipue ex eo manantem intelligunt, cum producendi Spiritus vim ex se Pater habeat, quam non ex se, sed ex Patre Filius sortiatur. Quod cum ita sit, ut qui Spiritum negant ex Filio manare, non illi quidem manandi vim eripiant Filio sed praecipuam initii potestatem; praecipuam vero Parentis esse volunt, non quidem Filii potestatem maiorem aut superiorem, sed quam ex se Pater habeat, quod Filio tribui nullo pacto potest; cum, inquam, ita sit, nobiscum iam Graeci sentiunt, nec est cur gens alioqui tum ingenio tum pietate clarissima a Vaticana sententia vel aberrans vel aliena esse censeatur. Durum est namque et plane permolestum scrupulosius damnare quid dicant, si non possumus accusare quid sentiant. Ex mente enim quisque, non ex oratione pensandus est. Non igitur stimulis urgendi, sed amore prosequendi Graeci sunt, hoc praecipue loco, ubi de amore ac de amandi ratione agitur. Quid enim prodest de Amore disserere, si contentiones et odia exercemus? Is se in hac sapientia plurimum profecisse sentiat, quem non odia, non concertationes, sed Amor caritasque delectabit. Sed si ita se res habeat, datur iam nobis dubitandi locus. Diximus Spiritum praecipue de Parente, non de Filio manare. Ex quo fiet, ut Spiritus ab illis tamquam a pluribus, non tamquam ab uno initio manandi proveniat. Quod fortasse inter legitimas religionis sententias receptum non est. Accedit, quod actiones non naturae communi, sed singulis naturam obtinentibus dari solent. Si itaque duae sint personae a quis Amor fluat, qua plures sunt, non qua unum, erunt Amoris initium. Diversi hac in re diversa sentiunt. Cum enim dicimus "qua unum," aut aspicimus Personas singulas agentes, aut naturam et formam, quae actionum ratio esse solet. Quae quidem agentis et formae, quae est agendi ratio, differentia prius diffuse tractata. Nonulli itaque volunt, neutrum simpliciter dandum esse, sed si agens spectetur, cum duae personae sint, dicendum quod qua plures; sin forma et agendi ratio notetur, cum una sit Spiritus producendi vis in utroque, non qua plures, sed qua unum sunt Spiritus manantis initium. Alii, quibuscum sentimus, simpliciter qua unum dicendum decernunt, cum ille significandi

5 Spiritum *V H* | Pater ex se *tr. A* | ex se] ex se *V* 8 potestate *N2* 11 baticana *A* 12 namque est *tr. H* 13 scrupulosius] scrupulo suis *N1 V A H* 14 oratione] ratione *ac. V* 17 contemptiones *N1 V H* 19 habeat] heat *abbr. N1*; habeant *V A H* 24 itaque] ita *N1 V A* 25 quis] quibus *A H* 28 agendi *H* 31 qua] quam *ac. A* 33 mananantis *V*

modus non agens aspiciat, sed solam agendi rationem. Praecipue vero a Patre fassi sumus id esse, non quod aliquid in Parente sit, quo Filius careat, sed quod eadem sit in utroque vis, quam alter ex se, alter non ex se habeat, sed a Parente suscipiat. Quod vero actiones singulorum sint, non aliud convincitur, nisi quod plures, non quod qua plures sint, in Amorem erumpant. Hoc enim est quod volumus plures esse; non tamen qua plures, sed qua unum esse unde Spiritus Amorque proveniat. Exoritur hoc loco et alia dubitatio. Si enim non qua plures, sed qua unum id agunt, enucleandum est quidnam id sit, quo uterque dicatur esse unum. Nam si natura esset, cum eadem sit etiam in Amore, ipse etiam Amor esset Amoris initium, quod ne cogitari quidem recte potest. Verum enimvero enumeranda nobis ea sunt, in quibus et Filius et Pater unum sunt. Cum enim Amor ex utroque proficiscatur, necesse est in Amore utrumque esse coniunctum. Cumque Amor sit is, qui producitur, nonnisi aliqua actione producitur, quae idcirco spiratio nominata est, quod ea Spiritus originem sumat. Deinde praeter Amorem et actionem, communis est notio Patris ac Filii, quae quidem ad aliquid dicitur, atque ea Pater ac Filius spectant Spiritum, perinde ac Pater Filium per id quod est ad aliquid aspicit, quam nostri Paternitatem appellarunt. Quare praeter spirationem, quae actio est, est rursus et spiratio altera, quae ad aliquid est, atque communis notio nominatur. Denique est et vis ipsa spirandi una eademque in Filio ac Parente. Sunt itaque Pater Filiusque in his omnibus iuncti, atque unum in Amore, in actione, in notione, in spirandi vi. Sed cum dicimus quod Spiritum spirent, qua sunt unum, non qua sunt unum amore vel actione, cum nihil sui ipsius causa sit, nec qua in communi notione iunguntur. Ea enim, quatenus nos intelligimus, actionem non antecedit, sed sequitur. Id vero quod est agendi ratio, actionem praecedat est necesse id autem non est aliud, quam spirandi vis atque potestas. Quam ob rem spirant illi quidem Amorem qua sunt unum in hac, quam dixi, spirandi potestate. Quod si quaeris quid illa spirandi vis sit, supra legendum est quid sit gignendi vis, eademque hoc loco, quae illic late disceptata sunt, recensenda essent. Sed illic legant, qui longiorem orationem desiderant. Statutum namque eo in loco est idem esse cum essentia gignendi potestatem, sed quadam respiciendi ratione ad aliquid complecti, quo in id,

4 suscipiant *A* 5 qua *om. A* 6 dirumpant *A* 7 unde] un' *abbr. A*; unum *V H* 8 agunt] quidnam id sit (9) *inser. hoc loco ac. V* 14 is sit *tr. N2* 22 Filiusque] que *om. A*; et Filius *V H* 23 in actione] unum *praem. ac. V* 24 qua *om. V H* 25 ipsius *iter. V* | nec] ne *V H* 29 qua] quo *V H* 30 quid *om. N1 V A H* 33 in eo *tr. H*

quod gignitur, vergit. Ita spirandi vis est eadem cum essentia, sed addit modo quodam id, quod est ad aliquid, quo id, quod spiratur, et spectat et respicit. Quam ob rem licet etiam in Amore sit essentia, non tamen habet id, quod est ad aliquid, ut aliud respiciat quod spiretur. Quo fit, ut in Patre et Filio sit spirandi vis, in Spiritu vero aut non sit, aut qua spiret Amor non sit, sed qua spiretur, quemadmodum gignendi vis in Filio non sit qua gignat, sed qua ipse gignatur; id quod est a nobis copiose disputatum. Postremo ambigi potest, Pater ne ac Filius unus dicendus spirator sit, an forte potius gemini spiratores. Spirant namque Pater ac Filius, sunt itaque spirantes. Quam ob rem fieri videtur, ut etiam spiratores plures dicendi sint. Sed diversa putabimus, si ad aliorum nominum analogiam spectabimus. Licet enim tres creent creantesque sint, non tamen tres efficimus creatores. Quare ut unus creator, ita et unus spirator statuendus. Alii hunc ita tractant locum, ut duos omnino spiratores velint, quod quae actionem significant, in multitudine dici soleant. Actiones namque singulorum et personarum sunt; cumque illae sint plures, ea propter actiones referentia in multitudine de personis enunciantur, ut verba, ut participia, ut ea nomina, quae a verbis ducta vulgo verbalia denominantur. Haec in Platonis Sophista fundamenta suscipiunt, ubi, cum vocabulorum ac dictionum partitio ponitur, alia, inquit, sunt substantiae nomina, alia actionum; in altero nomina passim appellata, in altero verba, et quae de verbis manant, comprehendit. Verba vero in multitudine pronunciari testatur oraculum. Ait namque Filius apud Iohannem: "Ego et Pater unum sumus." Quod si id verbum, quod substantiae modum praesefert, quamquam eadem sit in tribus substantia, in multitudine tamen dicitur, quanto id magis licebit in verbis aliis et iis, quae de verbis trahuntur, quae non substantiam, ut Platoni placet, sed nudam substantiae indicant actionem? Spirator itaque cum a verbo ducatur, et actionem demonstrat et simul in multitudine praedicabitur. Urgent hos alii unum dumtaxat spiratorem volentes, quod licet de verbis quaestio nulla sit, est tamen de nominibus. Refert enim magni an nomina substantiam rei substantiae an adiecti modo significent. Haec enim a subiectis, illa a forma numerum sortiuntur. Damus siquidem plures spirantes, si adiecti modum teneat participium, quoniam a personis accipit

---

8 ac] an *N2* 9 potius *om. N2* 14 statuendus] est *add. H* | ita] itaque *N1 V A H.* 15 quod quae] quodque *V H* 18 ducta *om. H* 24 unus *V* 25 sint *N1 V H* 26 licebit *sl. V* | quae] qui *V H* 33 illa] vero *add.* 40

19–21 in … actionum] Soph. 88 *MSS*

numerum; spiratorem tamen unum, non plures damus, ut illi sentiunt, cum forma sit una, quae in ambobus est spirandi principium. Nos conciliatores libenter inter nostros intercedimus, ne Amoris haec disputatio odiorum seminarium sit. Audiant hi viri Platonem, qui in Civili de orbe condito atque de divinis Patrum sermones audiendos esse monet et credendos. In Legibus quoque lege cavet, ne quis sacra oraculorum mutet, ut quoties de divinis agitur, non profanorum usus, sed oraculorum consuetudo consulatur. Altera opinionum voluit verba in multitudine poni; altera nomina substantiae a forma numerum capere, cumque forma est una numero multitudinique locum non esse. Sed nos, qui ab oraculo non discedimus, primum oraculum hominibus a Deo datum commemorabimus, ne vulgi usus sacris praescribat eloquiis, "In principio creavit Deus caelum et terram." Hebraea verba habent, "In principio creavit Dii caelum et terram"; nomen enim Eloim in multitudine ponitur, quod ab El unius voce proficiscitur. Verbum *bara*, "creavit," licet actionem praeseferat iungaturque multitudini, non tamen in multitudine ponitur, ac Dii, quod est substantiae nomen, licet numerum a forma una capiat, in multitudine nihilominus legitur, ut constet, fixas orationis leges in divinis rebus non esse ponendas, sed usum consuetudinemque oraculi consulendam. Dicemus itaque utrumque dici posse spiratorem, et unum et plures, si tamen in altera oratione agentes, in altera agendi principium spectemus. Quod vero actio singula respiciat, non naturam, quamquam non ita Plato forte sentiat, esto tamen ut volunt. Quoniam vero in unaquaque re constat in primis spectandum esse principium, quod quando unum est, id etiam dicetur unum, in quo est. Quare nihil prohibet unum dici haud absurde spiratorem. Sed neque analogia quicquam facit in sententiam alteram. Personae etenim creant uno creandi initio, quae essentia est etiam creans. Sed si personae spirant, eo spirandi initio id agunt, quod non spirat. Spirandi enim potestas, non spirare ratio dicitur et principium. Quare si creator est unus, maxime consentaneum est ob ipsam divinitatem, quae una est et creans. Sed cum spirandi principium eadem sit divinitas, quae tamen non spirat, atque illi qui spirant, non unus sit, sed plures; idcirco nihil est quod prohibeat plures Amoris esse spirato-

4 hi] hii *N1*; ii *V H* | viri] veri *V*; vero: *H* 6 quoque] -que *A H* | lege] de *praem. ac. V* | cavit *N1 N2 V A* 16 iungaturque] fungaturque *N2 V H* 17 numerum] nūm *abbr. N1 A*; nominum *V H*. 21 altera] altero *V A H*. 23 esto] est *V* (*pc.*) *A H* 29 spirant *V A H* 32 divinitas] quae una est et creans (31) *hoc loco inser. ac. V*

4–6 Platonem … credendos] Civil. 22. 23 *MSS* 6–8 In … consulatur] 5 Leg. 14 *MSS*

res. Cui quidem sententiae etiam Platonis verba consentiunt, qui Peniam atque Porum facit Amoris progenitores. Quod si analogiam sequi libeat, utique recepto vocabulo nos quoque faciemus Patrem Filiumque Amoris spiratores.

1 etiam] et *V H* 4 spiratoris *A*

DISTINCTIO XII

105. *Generatio non est spiratione prior. Phaëton labitur*

Statuit quoque Platonicus Parmenides, nihil in Deo esse senius, nihil iunius; quae quidem prudentissima sententia id sibi vult, quod decrevit Senatus pietasque Christiana, nihil in divinis prius, nihil putandum esse posterius. Ex quo fit, ut quamquam mens nostra ex se ipsa animadversa divina metiatur, ut ex filiae facie vultum parentis agnoscat; "signatum est," enim (ut in Sacra Ode scribitur) "super nos lumen vultus sui," in nobisque sit amore intelligentia prior, in Deo non ita se res habet, ubi ut Verbum non est Amore prius, ita neque spiratione est generatio prior. Magnus namque Augustinus meus ut eremi ac solitudinis studiosior, ita et divinarum rerum disputator acutior, nihil antecedens, nihil sequens censet collocandum in Deo, ubi solus inveniatur ordo naturae; is autem nihil est aliud, quam quod alterum fundit alterum. Quare nullus praecedentis, nullus sequentis, nullus prioris, nullus illic posterioris ordo quaerendus est. Non itaque genitura Filii spiratione Amoris emanantis est prior. Adhuc in Deo duo tantum a Platone sacrisque patribus esse dicuntur; natura illa divina, quae cum una omnino, hoc est, prorsus simplex sit, veluti monemur in Parmenide atque in Republica nihil in substantia prius, nihil potest esse posterius. Alterum quod tribuunt Deo (ut sexto de Republica Plato vult) est id quod est ad aliquid; Patrem enim Filiumque commemorat; atqui quae ad aliquid sunt, simul natura sunt. Quam ob rem nihil in Deo superest, quod altero vel prius esse possit vel posterius. Nec movere nos debet mentis humanae conditio; Deus enim nullius rei est similis, ut Parmenides probat. Quod si qua similitudo in nobis divinae illius lucis appareat, manca ea omnis est et plane imbecilla, haud secus atque umbra obscura quaedam et dubia similitudo corporis esse solet,

---

21 ad *om. N1*

3–4 Parmenides … iunius] Parm. 93 *N1 N2 V* 18–19 natura … Parmenide] Parm. *N1 V* 19–20 atque … posterius] 2 Reip. 63, 68 *N1 N2 V* 20–21 Alterum … aliquid] 6 Reip. 38 *N1 N2 V* 24–25 Deus … probat] Parm. 37 *N1 N2 V*

7–8 signatum … sui] Ps. 4.7

quae quamquam effigiei praeseferat, non nihil, exactam tamen vim imaginis non assequitur. Humanus namque animus si quoniam se divini solis prolem esse sentit, idcirco ad beatissimam illam lucem comprehendendam dum corpore occluditur accedere se posse confidat, fallitur erratque audaculus, et ab alta ac temeraria spe in praeceps labitur. Norunt profecto veteres Graeciae sapientes eam rem, quam quidem in Phaëtontis fabula letteris ac posteritati mandarunt. Audierat is sane patre se sole natum, ac filios parentibus similes natura esse consuevisse. Ea spe captus parum prudens puer paternum munus petere, currum conscendere, summae se luci non dubitavit adiungere. Non Clymene mater errat, quae te, puer, filium solis dicit, sed tuus est dumtaxat error, fili, qui te ipsum aequalem soli facis; unus est enim Filius Patris summi, qui e solo Patre nulla de matre natus non esse incepit post Patrem, sed aeterno in sinu Patris coaeternus est Patri, cuius omnino similis et exactissima prorsus est imago. Hic, inquam, ille est unigenitus Filius, de quo idem ipse, cum de se verba faceret, ait, "Parentem nemo novit nisi Filius." Quam ob rem sibi consulens post hac animus sciat se eum esse Filium, qui divino Parenti similis ita sit, ut rebus longe in pluribus sit dissimilis. Cecidit cum Phaëtonte infelix Arius, qui divinae prolis naturam de humana imbecillitate, quam norat, non de divina sublimitate, quam non norat, est mensus. Nostratia namque omnia similia modo quodam Deo esse possunt, paria tamen esse non possunt; etenim multa substantiae humanae concreta adduntur, quae a substantiae natura longe distant. At omnia, quae divina in substantia sunt, omnino cum divina substantia idem sunt. Hoc Plato in Parmenide et in Philebo voluit, cum de aeterna stabilique idearum sede loqueretur, quod est idem semper eodemque sese modo habens. Hoc idem Maro transtulit, aitque, "is Iuppiter omnibus idem," quod quidem non modo de iustitia divina in eos, quos gubernat sed et de essentia et iis, quae complectitur, sentiendum est. Est enim Deus divinaque natura idem omnibus, quae in Deo esse dicimus; sed humanus animus aliaeque substantiae circumstantibus viribus, accidentibus, actionibus non modo non sunt idem, sed toto etiam genere longe distant. Hinc fit, ut Verbi genitura sit Amore prior in nobis, quod Deo non convenit, nisi quatenus infirma humana mens ex iis, quae in humanis colligit, divina diiudicat. Sequitur ex eiisdem Platonis verbis, si senius iuniusque in divinis non sit, quod

3–4 comprehendam *N1* 9 currus *N1 V* 31 viribus] utribus *N2* 33 Amore] more *V*

24–26 Hoc … loqueretur] Phil. 122 *N1 N2 V* 27 is … idem] Virg. *N1 V*

Spiritus non prius a Patre manet, quam a Filio; actio namque spirandi una omnino utriusque est; non itaque potuit alter prius altero id efficere. Adde quod si semper eodem se modo habet Deus, ut de ideis Philebus dicebat, Filius, quem eundem cum Patre Deum esse demonstravimus, non potest in iis, quae interna Deo sunt, prius cum Patre non agere, ac actionem cum Patre postea incepisse. Nec obstat quod Augustinus meus (cui uni in divinis disceptationibus Senatus haerendum censuit) Amorem praecipue de Parente prodire fateatur; id enim non ita intellixit, quod prior Pater spirarit, sed quod solus ex se ipso habuerit quod spirarit. Iam enim id antedictum est, Spiritum praecipue de Parente proficisci, non quidem quod virtus in Patre sit aut prior aut maior—eadem est enim utriusque—sed quod eam Pater ex se habeat, Filius eandem ex se non habeat. Sed in Resolutoriis Aristotelis est ea ore omnium vulgatissima sententia: "propter quod unumquodque tale, et illud magis." Quod si Filius spirandi vim habet ex Patre, conficitur ut et plenius Pater spiret et magis, quod tamen esse minime potest; non enim eos disiungit tanta diversitas, quos summa iungit aequalitas. Neque itaque magis, neque plenius uberiusque Pater quam Filius Amorem fundit; una namque eademque utriusque est virtus ad eam actionem, nec plenior in altero, nec auctior, quam in altero, ne idem maius sit se ipso vel plenius. Aristotelis vero sententia longam desiderat commentationem. Quod vero ad rem pertinet, tum procedit, cum id quod alterum altero suscipit, est in utrisque diversum, quod rebus in divinis locum non habet; ut enim quia divinitas in Filio de Parente suscipitur, non idcirco Pater aut magis aut maior putatur Deus esse, quam Filius; ita quia vis amandi utriusque est prorsus eadem, etsi alter accepit ab altero, non tamen ea idcirco alter aut magis aut plenius altero uti potest. Revocari et id in dubium solet, per Filium ne de Parente fluat Spiritus. Nos ne longius orationem trahamus, dicimus in omni actione aliud esse agens, aliud agendi virtutem, quem ad modum est ignis ac calor; alter enim est is, qui agit, alter est is, quo agens ignis agit. Si virtutem spectes, cum ea sit eadem, Pater non per Filium, sed per virtutem spirat. Quod si spirantes aspicias, Filius nullo medio statim ipse spirat, Pater vero qua spirans ipse est non per Filium spirat, sed qua Filius spirat, qui a Parente manat, Pater per Filium spirare dicendus est. Sunt itaque gemini

3 semper] super *ac. N1* 9 spiraverit *V* | quod *in marg. V* 30 is *om. N1* | qui] quod *N1 V* | agit] agnis *N1 V* 33 Filius *pc.* (Spiritus Filius *ac.*) *N2* 34 est *sl. V*

3 si … dicebat] Phil. 122 *N1 N2 V* 10 proficisci] *asteriscus N1*

Amorem spirantes, qui ad illum producendum una virtute conveniunt. Quam ob rem Spiritus qua de Parente manat, non per Filium manat, sed qua fluit a Filio, qui de Parente nascitur, a Parente per Filium proficiscitur.

DISTINCTIO XIII

106. *Processiones in Deo. Gigantes in simias. Ganymedis voluptas*

Redeundum iam nobis est ad illas manandi aut (ut sacro verbo utar) procedendi rationes. Manat enim proceditque aliquid cum hinc abit et alio progreditur atque exit, quod divinae non convenit naturae, in qua quidem voluit nec motum nec statum esse Parmenides. In Epistolis etiam scribit Plato circa regem rerum esse omnia, quod omnium causa sit, atque initium, quasi centrum in circulo, constituit Deum, unde veluti manantes lineae fluant omnia. Quomodo igitur quidquam esse in ea natura potest, quod aliunde procedat, si ex ea velut e primo initio fluant omnia, et ut punctum impartibile nihil diversi sustinet, ut Parmenidi placet. Quae autem aliunde vel manant vel proveniunt, ab iis unde proveniunt, ut sine diversa necesse est. Reducenda in mentem nobis ea partitio est, quam et in Republica tradidit Plato, et nos prius quandoque commemoravimus, dividi omnia bifariam tamquam lineam in partes binas, quarum pars utraque in frustra gemina iterum secetur; alia namque sensu, alia sola ratione percipiuntur; ac haec ipsa rursus partim mortalia, partim immortalia sunt. Imam omnium sedem ea tenent humillimeque omnium iacent, quae mortalia cum sint sensu nascuntur. Secundae partes caelestium sunt corporum, quae etsi sub sensum cadunt, aeterna tamen et immortalia sunt, ita quotidie occidentia, ut etiam ubi occiderint, rursus eadem quotidie oriantur, cum alia sensilia ubi occubuerint, non amplius natura revertuntur. Scripsit eam utriusque generis differentiam prudens vates: "soles," inquit, "occidere et redire possunt. At nobis cum semel simul occidit brevis lux, nox est perpetua una dormienda"; nos enim non natura, sed divina bonitate reviviscimus. Est et tertius diis ac mentibus locus, quae

---

13 qua *V* 20 sub sensum] subsensum *sl. N1*; sub sensu *V* 22 occubuerint] occubuerant *ac. V* 23 soles] solem *V*; solae *N2* 25 perpetua] perpetuo N2

5–6 quod … Parmenides] Parm. *N1 N2 V* 6–8 In … Deum] Ep. 2 *N1 N2 V* 10–11 ex … placet] Parm. 38 *N1 N2*; Parm. 26 *V* 13–16 ea … secetur] 6 Reip. 41 *N1 V A H* 23–25 soles … dormienda] Catull. *N1*

23–25 soles … dormienda] Catul. 5.6–7

quidem generibus sensilium longe sublimiora cum sint, mortemque ac finem nesciant, initium tamen vivendi habuerunt. Suprema denique est idearum regio divinaque natura, quae et sensum fugit omnem, nec fine nec initio continetur. Natura itaque illa divina, quae per ideas est mundi et rerum parens, summum in hac partitione tenet locum, quod Maro ex Platone mutuatus legendum Latio dedit, cum ait, "nate patris summi." Qua auctor est rerum per ideas pater, dicitur quem ad modum et in Epistolis scribitur a Platone, ubi mundi parens appellatur Deus; qua vero supremum in rebus locum obtinet, summus nominatur. Quam ob rem si ex rerum similitudine cognoscenda sit divina lux non ex duobus inferioribus gradibus, sed e tertio similitudo petenda est, quae humanam caecutientiemque animam ad lucem illam suspiciendam traducat. Ac quamquam mens hominis tertiis sese rebus admoveat, homo tamen ipse, qui ex elementis mortalique corpore constituitur, postremus adnumeratur; quin etiam qua vel mente praeditus est, vel sapientia viget, tum totum ex corpore sensuque foris pendeat, parum obtinet divinae similitudinis. Quam ob rem ne altius de divina imagine superbiamus, monuit nos prior Hyppias hominem haud secus putandum esse atque simiam, si divinae sapientiae comparetur. Dixerat enim prius Homerus mortalia divinis comparanda non esse, veteresque Graecorum sapientes gigantes finxere nimium in caelum audentes et caelo tactos et in simias conversos fuisse. Quo quidem figmento philosophi taxantur, qui multum sapientia gloriantur; fulmine ii divinae inimicitiae feriuntur, et ab iis qui vere philosophantur, humanaeque imbecillitatis ignari non sunt, simillimi simiis existimantur, quae homini cum se similes student reddere et dissimillimae sunt et pro laude imitationis risum ineptiarum reportant. Quas ob res si quis procedendi modus in Deo quaeratur, non qualis imis, sed qualis altis generibus inest, requirendus videtur. Absit igitur corporeae agitationis et motus cogitatio; absit corporum et elementorum progressus; absit rerum sensilium genitura; si quid enim in his editur aut manat, foras se proripit ab eo, unde progreditur. At Deus cum tertio mentium comparetur generi actiones habet internas, non aliunde, non foras, non extrinsecus prominentes, quem ad modum et mentium sortitum est genus, quod Deo maximo quam iunctissimum et habetur et est. Mentes vero internis actio-

---

11–12 excutientemque *V* 20 veteresque … gigantes *lnp. N1 N2 V* 22 fingimento *V* 23 feriunt *V* 25 reddere] red *abbr. N1*; sed *V*

5 summum] *asteriscus N1* 6 nate … summi] Virg. *N1 V* 17–19 ne … comparetur] Hipp. ma. 15 *N1 N2 V* 26 Quas] *asteriscus N1*

nibus vigent sapientiae et amoris; quare cum manet ac procedat actione et intelligendi Verbum et diligendi Amor; idcirco has manandi procedendique rationes in Deo sitas esse necesse est; et ut animam se ipsam moventem facit Plato, hoc est, altissimas mentis actiones cognoscendi amandique in se ipsa et agitantem et complectentem, non foras ut corpora, quae formaverit, emittentem; ita et Deum has easdem actiones longe tamen altius longeque sublimius habentem cogitemus oportet. Atque hae sunt agitationes illae actionesque aeternae, quas Plato in Timaeo ante orbis natalem et rerum ordinem genitum inordinatas vocabat; ordo enim rerum diversitatem desiderat, cuius, uti docuimus, nulla in Deo suspicio esse potest. Habes igitur procedendi rationes esse in Deo, sicut apud Ioannem divinarum rerum consultissimum testantur oracula. Habes eas actiones esse non foras progredientes, sed vigentes intus. Habes non de illis nos actionibus loqui, quae corporum et sensilium sunt, sed quae de iis dumtaxat, quae sunt Deo quam proximae, ubi nec motus est ullus, nec sapientis sapientiaeque diversitas, quando etiam ab Aristotele intelligens intellectumque sunt idem. In primo vero rerum initio tantum abest, ut ea procedendi ratio non ponenda sit, ut maxime ponenda videatur; mente enim praeditum illum esse oportet, quam ob rem ut intelligendo pariat mente necesse est; quod clarissimo oraculo confirmatum est. "Qui dat," inquit, "ut alia gignant, ipse sterilis erit?" Esset nimirum summa illa exactissimaque natura longe indignissimum. Quod veteres sapientes cum animadverterent, humana prorsus omnia abiecerunt, ut Deum divinarum rerum et contemplatione et amore imitarentur; quae quidem et Etruscos Lucumones, et sacerdotes Aegyptios, et Gallos Druides et Indos Gymnosophistas, ac denique pios religionis observatores impulit, ut non sine summa hominum admiratione, contempto humanarum usu rerum, contemplationi ac cogitationi se dederent, et Ganymedem ex humanis ad divinas raptum delicias finxerunt, quem ad modum Plato ait, ut eos, qui a gloriae, divitiarum, et voluptatum insania sese abdicant, et contemplatrice anima ad divina spectanda et contemplanda se transferunt, solos sapientes, solos Deo caros, solos etiam beatissimos arbitraremur. Quod notissimo illo versu expressit Maro: "felix qui potuit rerum cognoscere causas." Nos res eadem in Cyminios traxit saltus, ubi procul

---

6 eadem *N1*, eandem *V* 7 haec *N1 V* 17 tantum *sl. V* 25 Druidas *N2*

29–33 Plato … arbitraremur] Phaedr. 31 *N1 V*; Phaedr. *N2* 33–34 felix … causas] Virg. *N1 V signum manus, digito extenso, add. N2*

33–34 felix … causas] Geo. 2.490

a rerum humanarum lue, caelo propius, haec contemplandi studio nobis solis scripsimus: templum pietati ad usum etiam venientium extruximus, rati universam perire hominum vitam, nisi quantum et contemplationi datur et pietati, altera quid amandum sit, cognoscimus, altera quod cognovimus adamamus; quibus quidem rebus potiti, internis contenti, non extrinsecus pendent, suis intus contenti bonis, in quibus habitat etiam ipse Deus, qui qua lux et verum, cognoscitur, qua bonus est pulcherque, adamatur. Hanc si procedendi rationem intelligendi amandique pensitassent omnes, neque Arius Filium fecisset ut effectum a causa de Parente manantem, neque Sabellius ita desipuisset, ut Patrem causam moventem imprimentemque putasset; voluit enim Patrem et esse Filium, qua naturam suscepit humanam, et esse Spritum, qua homines ad beatitudinem movet. Haec namque opiniones externa respiciunt, non quae interna sunt ad intelligentiam amoremque pertinentia. Dices fortasse unius naturae unam esse manandi rationem; quinam igitur plures enumeratae sunt nobis. Revocandum est ad memoriam quae de Deo tradidit in Republica Plato, Deum esse simplicissimum et minime a specie discedentem; negat per haec coagmentatum nequaquam esse Deum, non quidem ex substantiae partibus, et ideo simplicissimum, neque ex iis, quae substantiae accidunt, atque idcirco a specie non recedere illum dixit. Nihil est in Deo, quod Deus non sit; quare si duae sunt intrinsecae actiones, intelligentiae et voluntatis, necesse est duas dumtaxat in eo esse vias, quibus divina natura communicatur. Nisi enim et Verbum et Amor esset Deus, aliquid in Deo esset praeter Deum; quare et coagmentatum Deum redderet, atque etiam efficeret non Deum. Haec vero praestantissima vis cum nulla alia in re sit, nisi in simplicissima divinissimaque illa natura, efficit alia ut omnia unam tamen habeant manandi procedendique rationem; in divina vero tot statuit, quot sunt internae divinitatis actiones. Haec geminae cum sint, geminos manandi modos in divinis esse necesse est. Tertius enim progrediendi modus, quo mundus ab eo ut ab omnium fonte proficiscitur, ad externa se flectit. Nos interna nunc quaerimus, quae duo tantum esse satis constat. Eas vero actiones, quas nostri processiones ex oraculo vocant, re inter se distingui par est. Quod si obiicias intellectum voluntatemque non ita seiuncta esse, ex quo fit, ut neque eorum actiones ita disiungi possint. Dicimus non solo intel-

2 venientum *N1 V* 10 manasse *N1 V* 22 voluntatis] *pc.* (voluntatis *ac.*) *V* 30 esse necesse] esse *add. V*

16–18 quae … discedentem] 2 Reip. 64 *N1 V*

lectu voluntateque hoc fieri, sed ex ipsis tum terminis tum initiis actionum. Altera enim Verbum, altera Amorem emanare diximus; addimusque alteram ex non procedente tantum, alteram etiam ex procedente proficisci. Quapropter fieri non potest, si, ita initia finesque distincti sunt, non ut etiam actiones quae mediae intercedunt, distinguantur. Verum enimvero putare quispiam posset, Amoris dimanationem generationem quoque dici posse, cum is haud secus atque Verbum Parenti sit spirantibus similis in natura. Atqui ex Platone haec quaestio si forte quaeratur, respondebit ortum sese Amoris potuisse in Symposio non aliam ob causam, nisi quod nasci communi quadam ratione ea dicuntur, ut etiam Aristoteli placet, quae vitam adipiscuntur. Si tamen pressius altiusque spectetur Amor nec gigni nec oriri putandus est; nam, ut in Theaeteto scriptum legimus, quae mente atque intelligentia concipiuntur, similitudinibus quibusdam propriis significantur, quae complectuntur ab animo, ut captae aviculae cavea continentur. At voluntas nullas similitudines, nullas receptant imagines, sed vi quadam agit, trahitque nos, quam ob miram et incredibilem vehementiam veneficam Plato nominat atque incantatricem. Imago itaque ac similitudo ad mentem et intelligentiam pertinent, ad voluntatem amoremque non pertinent, hoc est, in mente, non in voluntate se continent. Quam ob rem si ea genitura vocatur, gignens imaginem similitudinemque gignit suam. Profecto menti generatio convenire potest, voluntati amorique non potest. Licet itaque Spiritus ille divinus similis sit cum spirantibus naturae, quoniam tamen similitudo mentis, non voluntatis esse solet, idcirco cum Filius intelligendo gignitur, genituram dicimus, cum Spiritus amando producitur, tunc ortum genituramque propria appellatione non vocamus. Nostri processionem vocavere, quae quamvis Verbo quam Spiritui conveniat, linguae tamen ac vocabulorum inopia Spiritui data est, donec tempus peculiare inveniat nomen. Oritur hoc loco dubitatio haud praetermittenda: si enim genitura ad Spiritum non pertinet, erit igitur Spiritus habendus ingenitus, cum tamen Parens dumtaxat ingenitus vocitari consueverit. Operae pretium erit audire quid Plato in Sophista de negatione iudicaverit; vult namque eam de medio tollere sequentem naturam. Natura vero essentiaque rei quandoque propria quandoque communis cogitari potest. Quare

---

20 gignes *V* 22 amorique] amorive *ac. N1* 23 divinus *in marg. V* 26 genituramque] gntmque *abbr. N1*; gignituramque *V* 31 ingenitus *in marg. V*

6 Amoris] "8 Nov. 1786" *N2* 12–14 ut … significantur] Theet. 122 *N1 N2 V* 32–33 Plato … naturam] Soph. 81 *N1 N2 V*

cum ingenitum dicimus vel simpliciter absoluteque negamus, nullumque genus aspicimus, tuncque ingenitum unumquodque volumus, quod generatione non oritur; atque ita Spiritus essentiaque divina ingenita dicitur. Accipi quoque alia ratione potest certo quodam in genere, quem ad modum in genere divinae naturae, eisdem eadem appellatio danda est. Sed si in genere principii in divina natura suscipitur, ita quod id quod initii rationem habet, nullis tamen ex initiis prodiens, tunc propria Parentis est notio; quare hac ratione Spiritus haudquaquam ingenitus dici consuevit. Quam quidem rem Plato ut sicut poterat significare posset, ortum Amoris fecit, non quidem ut genitum illum esse diceret, sed potius ne quis ingenitum ambigua cogitatione arbitraretur.

DISTINCTIO XIV

107. *Spiritus in tempore etiam procedit. Raptus Ganymedis. Processiones quomodo duae? Spiritus etiam ipse datur*

Ubi ea de amore tractavimus, quae aeterna sunt, nunc ad ea accedimus, quae ad mortales usque proveniunt. Utrumque enim in Symposio disputatum est a Platone, et quod magnus deus amor est, quod ad aeternitatem pertinet, et quod medicus est curatorque mortalium, quod vergit ad tempus. Quam quidem sententiam plerique eorum contempserunt, qui sibi sapientes videntur, quique rationem sensilibus, non sensilia ratione dimetiuntur. Rati ex aeterna causa res novas absque medio provenire non posse, ne aeterna, stabilis, immotaque res, de ea enim causa praecipue loquuntur, quae firma immota semper est, quasi quae novam rem pariat. Iam a priore statu mota videatur, eademque et immota et mota esset, quod fieri nulla potest ratione. Sane divinus ille Amor ex aliquo semper effertur in aliquid, quod si qua manat ex alio cogitetur Amor, aeterna progressione fluit a Parente ac Filio. Sin vero ut vergit in aliquid prospiciatur, aut qua in id vergit, quod amatur, velut a patre proles, atque ea progressio perpetua est, aut qua in id rapitur, quod ex Amore fit, velut in munera, quae hominibus divinitus tribuuntur. Qui quidem divini Amoris adventus, tam aeternus non est, quam homines, quibus illa donantur. Mortales sunt, aeterni non sunt; neque accessus ille, illaque curatio quicquam in Deo collocat novi nisi ex nostra quadam cogitatione. Sed id in nobis oritur, quod ad aliquid est, in nobisque non eo in amore mutatio fit, quemadmodum orientem solem spectantibus, dexter est antarcticus polus, articus sinister, quibus rursus occidentem spectantibus contraria ratio fit, efficiturque et dexter arcticus et sinister antarcticus, ac quamquam immoti semper poli sint, qui tamen dexter erat sinister efficitur, non caeli parte, sed spectatoris corpore commutato. Ita sane fit, cum ad bonas hominum mentes, cum ad morbos animorum curandos, ille

---

12 loquntur *V*; locuntur *N1* | pariat] percipiat *V* 27 sint] sunt *ac. V*

5–6 Utrumque … est] Symp. 43 *N1 V*; Symp. 26.43 *N2* 7 medicus … mortalium] Symp.26 *N1 V*

accedit amor. Ita ad aegrum se confert, ut agitationem ac motum, non amor ille divinus, sed solus aegri animus patiatur. Nam cum gemini Amores, geminaeque sint Veneres, sicut Platoni placet, uterque si processerit, furore nos corripit. Sed alter perturbationum, morborum, malorum omnium causa est; alter sedationes, salutem, bonaque plane omnia elargitur. Hinc Menon ille Platonicus ait, mortales non nisi divino furore correptos bonos fieri. Quae quidem sententia oraculo consentit, quo praedicatum est, caeli regnum vim pati atque a violentis mortalibus rapi. Ut enim malus furor infra humanam sortem rapit mentem, ita divinus spiritu vehementi, supra hominum vires in caelum usque correptam mentem vehit. Hic ille raptus divinus est, quem superior fabula in Phrygio puero cogitari volebat, quem in caelum ad divinas dapes non suo consilio profectum, sed divino potius raptu advectum prodebat; raptumque fama fuit nonnisi ab amatore Deo, ut hominum ad divina rapiendorum potestas nonnisi in divinum et Amorem et spiritum referatur. Nam Plato cum tres furores ostendisset: Musarum, Bacchi, Apollinis, quartum etiam Veneris adiecit omnium maximum, sacratissimum, divinissimum. Aeterna vero de causa novi aliquid proficisci quid prohibet, a libera praecipue atque immota omnino? Quippe quae idcirco non mutata usque iudicatur, quod quae aeterna voluntate in tempore se facturam statuit, ea statuto tempore fecit. Quare tantum abest ut mutata dicenda sit, quod in tempore quicquam egerit, ut mutata utique dicenda esset, si quod constituit, in tempore non egisset. Adde quod non ponimus spiritum illic esse, ubi prius non fuerit, sed alia ratione esse quam fuerit. Atque ita ad nos in tempore dicimus proficisci illum cum divino aliquo coniungitur munere, quo prius nobis non coniungebatur. Callisto etenim, et amanti deo miscetur prius, et deinde ab eodem in caelum rapta est. Quibus quidem in rebus, non divinum amorem, sed illam mutatam esse voluerunt, cum prius divina amicitia ac deinceps etiam caeli sede a divino amore donata est nactaque. Spiritus munus est quippe quem non aquis mergi sed super aquas ferri scriptum est. Aquae etenim multae, Solomone teste, extinguere non possunt charitatem, quae una more olei virginum prudentum obrui in undas non potest, sublime tutumque supernatat. Ita quos sanc-

---

2 amor *in marg. V* | animus] animis *ac. V* 21 Quare] quarum *ac. V* 23 esse] etiam *V* 24 esse] esset *V* 31 etenim *om. V* | Salamone *N1 V*

2–3 cum … placet] Symp.14 *N1 N2 V* 6–7 Menon … fieri] Men. 63 *N1 N2 V* 12 puero] *asteriscus N2* 15–17 Nam … divinissimum] Ion *N1 V*; Phaedr. Ion *N2*

8 caeli … rapi] Mt. 11.12 31–32 Aquae … charitatem] Cant. 8.7

tus ille Amor inhabitat, nihil mali metuunt, nullos adversos reformidant ventos, nulla malorum tempestate iactantur. Quam quidem rem et prius Homerus et postea Maro posteris prodiderunt: "Arctos Oceani metuentes aequore tingi," quod hii, quos divinus amor corripit, agitari fortasse quandoque nonnihil possint, mergi ullis tempestatibus non possint. Iam vero de amoris processibus quaesitum saepe est, duo ne sint, an unus. Alii duos faciunt, quod aeterna res eadem rei non aeternae esse non debeat. Alii unum dumtaxat esse contendunt, quia duo sunt ad aliquid in spiritu: alterum re, alterum ratione. Quod vero ratione, non re ponimus, nihil rerum constituat oportet. Res ex re oritur, non ex solius principio rationis. Nos medium malentes, modo quodam unum, modo alio duos processus esse volumus, omnis enim progressio inter duos iaceat terminos necesse est, ut Daedali volatus e Cretensi coepit carcere, "Calcidicaque levis tandem super adstitit arce." Aquam etiam, quam in horto voluptatis esse docet Moses, vel ex fonte unde manat, uel ex alveis in quos manat, spectare possumus. Si ex fonte, unam, si ex alveis, plures esse dicendum est. Ita ferme et amoris divini processus. Si fontem unde fluit adspicias, unus dumtaxat erit immortalis aeternusque, sicut unum esse principium ostendimus unde manat. Sin vero ea spectes, in quae tendit, quia alterum est aeternum, alterum temporarium, ut spiritus divinus, et humanum genus, idcirco duos esse progressus asseverandum est. In fonte enim si quid est quod sit ad aliquid in processu spiritus, unum dumtaxat est. In finibus vero non unum, sed duo reperiuntur, quorum alterum in spiritu aeternum, alterum in hominibus temporarium residet. De aeterno quidem Hesiodus disseruit, qui etiam Aristotele teste, Terram et ante eam Chaos, hoc est vacuum, ut idem interpretatur, (quod ii concedant oportet, qui mundum volunt conditum fuisse, ut etiam consensit interpres Averroes), ante haec vero, utpote rebus antiquiorem Amorem constituit, cuius postea partes fuere, super aquas ferri, et ut alii melius, rudi mundi et silvae et materiae incubare. Amorem itaque is vates aeternum esse cecinit, quem temporarium quoque universa fecit antiquitas, cum Iovem traxisse finxerunt ad Danaes, ad Laedae, ad Alcmenae consuetudinem. Nec aliud plane per divinos amores, per amatas Deo puellas, et (si fas esset

---

4 ii *N2* 9 re ponimus] reponimus *V* 17 fonte *V* 23 spiritum *V* 26 concedunt *V* 32 Almenae *N1 V*

3–4 Arctos … tingi] Virg. *N1 V* 12–13 omnis … est] 4 Phy. 99; 5. Phy 3; 6.Phy. 91.32 *N1 N2 V* 25–26 Aristotele … Chaos] 4.6 Phy. *N1 N2 V*

3–4 Arctos … tingi] Geo. 1.246 13–14 Calcidicaque … arce] Aen. 6.17

dicere) per Iovis adulteria intellexere, nisi Amoris divini adventum in homines, cum ex innumerabili pene mortalium turba ad interitum, ad inferos, ad miseriam properante, quidam seliguntur Deo cari, quibus et verum agnoscere, pedem retrahere, caelum contempta terra conscendere datum est. Dat siquidem Plato in Euthyphrone Divino Amori, quicquid in mortalibus vel studiosi, vel sancti reperitur. Omne enim Diis amicum sanctum, diis vero non amicum prophanum arbitrabatur. Quicquid itaque spei, quicquid salutis, quicquid recti in hominibus esse potest, ex munere deorum esse voluit, cum Alcibiades ad bene, recteque agendum censuit non sufficere mortales. Id quoque vestigatione dignum putavere, an cum Amoris Divini muneribus, quae donantur hominibus, ipse etiam Divinus Amor Deus, ac ipse a nobis Spiritus una cum muneribus possideatur. Plato in Symposio illud Hesiodi, quod prius adduximus, commemoravit, antiquissimum Deorum esse Amorem, ut Spiritum ostenderet Deum esse maximum, turbas novorum Deorum ipsa aeternitate antecedentem. Antiquissimum vero et primum intelligimus non modo qua deos alios anteit, verum etiam qua divina in nobis antecedit dona. Primum namque donorum omnium Amorem facit Aristoteles in Rhetoricis, quare nisi prius mortalibus amor detur, nunquam divina munera tribuuntur de iis, inquam, muneribus, quae amicitiam nobis conciliant divinam. Deum praeterea Aristoteles in maximo caeli circulo esse vult, ea dumtaxat nisus ratione, quod simplices incorporeaeque substantiae eo in loco sunt, sicuti in loco esse possunt, ubi actiones exercent. Quod si id agit Amor ille divinus in nobis, ut ex impiis pii, ex iniustis iusti, ex hostibus amici efficiamur, non potest idem ipse Amor non esse in nobis. Iungimur quoque non modo muneribus cum illa suscipimus, sed ipsi etiam Deo, quem probe tum nosse tum amare incipimus; notitia enim amorque Dei, quae praecipua a Deo munera generi humano tribuuntur, ut Deo et propius iungamur et iunctissime haereamus efficiunt. Atqui sicut Apostolo placet, quicunque haeret deo, ut unus cum Deo spiritus evadat, oportet. Fit denique in nobis dato munere ad aliquid, quo non modo dona suscepta, verum etiam dantem Amorem aspicimus. Quamobrem efficitur, ut Amor ille, qui Deus est, alia quam prius ratione possideatur a nobis. Possidetur autem cum sese nobis insinuat, cum infudit se animo, cum sinui penetralibusque amatae mentis illabi-

14 ut] et *V* 22 nixus *V* 24 ille *sl. N2* 26 suscepimus *V* 30 ut] et *V* 33 prius *in marg. V* 34 autem] etiam *V*.

5–6 Dat … reperitur] Eut. 12 *N1 V*; Eutyphrone 12 *N2* 13–14 Plato … Amorem] Symp. 17 *N1 N2 V*

tur. Quod si parum id persuaserimus, non potest Apostoli oraculum non persuadere, qui Dei amorem in discipulorum cordibus praedicat diffusum "per Spiritum," inquit, "Sanctum, qui datus est nobis." Quo quidem loco incredibile immortalium munus ostenditur, quo non modo divina dona, verum etiam Deus ipse donorum dator sese et dat et exhibet animae humanae. Ex iis vero, quae dicta sunt, dubitatio exoriri potest, si enim Amor est donorum primum, nullo nos donari munere sequitur, nisi prius Amorem Spiritumque suscipiamus. Cum tamen nonnullos constet improbos Spiritus divini dona suscepisse, Spiritum tamen minime suscepisse. Tria nomina intelligenda sunt nobis, quae saepe a Trismegisto et a Platone in medium afferri consuevere. Deum namque apellitare soliti sunt Patrem, Verum, Bonum. Patrem quidem nominant illam ut causam, a qua profecti sumus; Verum, ut id quod summum intelligimus; Bonum, ut id quod ut beati simus adamamus. Tria itaque divina nomina sunt, tres etiam rationes quibus in nobis est Deus; qua enim Pater ac causa rerum est, omnibus inest rebus. Ea namque, quae fiunt, similitudinem servant eorum, unde fiunt, atque hoc pacto in rebus est Deus: essentia, potestate, praesentia, quemadmodum publica senatus decreta censuerunt. "Ego omnia impleo," dicebat oraculum. Quam quidem rem divinarum rerum consultissimus Maro in rusticis carminibus scriptam reliquit: "Ab Iove," inquit, "principium Musae; Iovis omnia plena"; ubi et sententiam et sententiae causam elegantissime posuit scribens, Iovis esse plena omnia, atque ideo ab eo principium Musae facere. Qui locus longe altius agit, quam prima carminis fronte videatur, voluit enim Iovis plena esse omnia, quoniam Musae principium, atque ortus a Iove ipso est. Filias enim Iovis Homerus Musas fecit. Musas etiam caelestesque deos una cum rebus omnibus a principio conditos a Deo fuisse constat. Quare idcirco docet omnia esse plena Deo, quod Musae rerumque omnium pater est et causa ac principium Deus. Primamque rationem describit, qua Deus rebus inest, eiusque rei causam ostendit, quod Musae rerumque sit et pater et principium. Didicit ex Timaeo Deum esse non modo Musae, sed et rerum patrem, ubi insignis illa Platonis sententia est, "factarum rerum patrem invenire difficile est, effari autem nulli unquam fas est." Quod enim sit Deus, magno tandem negotio coniicimus, quid autem sit nullo studio, nullo labore in terris animadvertimus.

10–11 Trimegisto *V* 12 illam] illi *N2*. 13–14 intelligimus *V* 14 beati simus] beatissimus *V* 21 inquit *sl. N2* 29 ac] et *V* 35 advertimus *V*

21 Ab … plena] Virg. *N1 V* 31–34 Didicit … est] Tim. 30 *N1 N2 V*

At esse ubique Deum Academia semper voluit, ut postea, non semel Plotinus testatus est, cuius quidem doctrinam ad Maronis interpretamenta necessariam esse, vel Servius fatetur. Altera ratio, qua inest nobis Deus, est cognitionis et mentis, quod quidem divinum munus ii soli possident, qui sunt mentis rationisque participes. Iungitur namque Deo mens dum contemplatur Deum, utque divinas quasdam speculatur imagines, quibus aciem dirigit in divinam lucem; atque hoc pacto in contemplante est Deus per similitudines atque imagines quasdam, quibus modo quodam coniungimur Deo. Tertia ratio est cum inest nobis deus non modo tamquam verum cognoscentibus, sed tanquam bonum summum adamantibus. Illud cognitionis, hoc amoris est opus. Id menti convenit, hoc datur affectui. Quarum quidem rerum illud est interstitium, quod rei speciem altera, altera non speciem, sed rem ipsam assequitur. Species enim lapidis, teste Aristotele, in animo est, non lapis, cum contra bonum ipsum ac malum, non in rerum imaginibus, sed in ipsis sint rebus. Quare tertius hic nodus quo iungimur deo, tanto est superiore praestantior, quanto aurum, atque homo auri hominisque imagines antecellit. Licet intelligentia quadam nos ratione iungat Deo, ita tamen iungit, ut scientiae et mathematicae solent, quae faciunt necessaria quadam consecutione, ut cognitas res et coelum cognoscamus, non tamen praestant, ut etiam intellecta possideamus. At amor, qui similitudinibus imaginibusque contentus esse non solet, ad res ipsas, quas optat, se recipit, nec unquam nisi pulchro potitus conquiescit. Cognitio quidem rerum similitudines ad cognoscentem vehit, amor vero amantem ipsum ad rem pulchram rapit. Iarbam quem novit Dido, non admisit, quem amavit Aeneam virum cepit, non enim illi colloquia, non convivia, non munera, non consuetudo sat fuit, quin potius nunquam destitit, donec "speluncam Dido, dux et Troianus eandem devenirent," ubi arctissimo connubii vinculo iungerentur. Atque hoc est quod in Republica Plato monet, amoris nexum multo esse mathematicis artiorem, cum disciplinarum necessitas similitudini mentem iungat, amoris vincula pulchro ipsi devinciant. Adde quod velut Maro amoris retinacula ut arctissima esse demonstraret, matrimonii illa et nuptia-

3 vel] sed *V* 4 ii] ipsi *ac. V* 6 atque *N2* 13 altera *om. N1 V* 15 sint *sl. V* 16 nodus] modus *ac. V* 22–23 potitur *V* 24 Iarbam] Hyarbam *N1 V* 29–30 mathamaticis *V* 31 denunciant *V*

1–2 esse … est] Enn. VI lib. 1. cap 1. *et* lib. 4 cap. 4. *N1 N2 V* 28–30 hoc … artiorem] 5. Reip. 17 *N1 N2 V*

27–28 speluncam … devenirent] Aen. 4.124–125

rum iugo significavit. Idem quoque hic idem quo de agimus Spiritus effecit in amatoriis canticis, commercia namque humanarum animarum et inmortalis Dei, quae caritate amoreque conciliantur, non aptiori nomine appellata sunt, quam connubii atque nuptiarum. Quamobrem liber is, qui amores canit et castos et divinos, ab Ieronimo, Origene, aliisque senatus principibus viris Epitalamii titulo inscriptus est, haud alio plane consilio, quam ut cum amoris nodum cogitemus, efficacissimum arbitremur. Est itaque in rebus Deus maximus primo quidem modo sicut causa in iis, quae vel proveniunt vel oriuntur ex causa. Est rursus in eo animante, qui rationis est particeps, quadam et specierum similitudine et intelligentiae luce. Et denique in hoc ipso per sanctos caritatis amorisque complexus. Primum quidem naturae opus est, alterum studii, tertium amicitiae. Primum dat nobis essentiam, sequens cognitionem, postremum gratiam atque benevolentiam. Deus siquidem in primo et intellectum et mentem praebet homini, in secundo fidei species et enigmata, in postremo amoris beneficio dat seipsum. Iam itaque constare palam potest, quae munera amoris ea sint, quae cum exhibentur hominibus, efficiunt ut auctor quoque ipse exhibeatur. Licet enim, qua pater et causa rebus insit omnibus, praecipuum tamen inhabitandi munus, quod ad amorem pertinet, nullis cum muneribus praestatur hominibus, nisi ea amoris, gratiae, amicitiae sint. Extat oraculum clarissimum, quo amoris hoc divinissimum significatum est munus: "ad eum," inquit, "veniemus, in quo, et nobis domicilium faciemus." Hoc idem in Platonico Symposio indicat, quod in Amoris ortu Penia Poro miscetur, ut aperte Amoris vis intelligatur, cuius inaestimabili et bonitate et beneficio fit, ut non speciei, non similitudini, sed ipsi Deo anima copuletur. O beatum munus! O felices Amoris vires! O fortunatos homines, ubi divinus ille flagrat Amor, ubi suas Deus exercet nuptias, ubi amatae sponsae commiscetur, ubi tanquam in thalamo cubat suo! Quid fasces, quid imperia, quid futiles hominibus voluptates prosunt? Qui si unum hunc Amorem non possident, male omnia atque exilio possident. Qui ut parentem et causam colunt deum, parum sese a Tellure evehunt, caelumque lunae dumtaxat aspiciunt, quam Terrae naturam sapere volunt et Aristoteles et Averroes, proindeque torpentes ac gelidi Amoris munera facesque non sentiunt. Qui vero contemplantur

14 atque] ac *V* 16 costare *V* 17–18 quoque] quo *V* 24–25 inestimabili *V*; inextimabili *N1 N2* 33 ac] a *V*

23–26 Hoc … copuletur] Symp. *N1 V*

22–23 ad … faciemus] Io. 14.23

ut verum in Mercurii orbem oculos attollunt, unde artium et disciplinarum munera tribui generi humano fabulantur. Qui etsi amoris flammas nondum concipiunt, quoniam tamen orbis ille venereo iunctus est, nec sua stella a Veneris stella procul unquam migrat, atque utraque semper circum flammeum ardentemque micat solem, idcirco ab intelligentia, modo recta piaque sit, ad amoris ignes facilis patet aditus. Qui autem etiam Mercurii somnia virgamque apertis oculis transiliunt, quasi venereae columbae pennis, nisi ad Veneris se flammas caelumque recipiunt, quo qui tandem convolant, non in concertatione similitudinum dimicant vel laborant, sed in pace in id ipsum dormiunt laeti atque requiescunt. Has pennas optabat olim vates: "quis," inquit, "dabit mihi pennas ut columbae, quibus simul volabo, et requiescam!" Huc se venturum is etiam (ut poterat) sperabat, "geminas qui forte columbas aspiciens, quae tum caelo venere volantes, maternas agnovit aves." In hoc denique Amoris caelum tertium raptus ille est, qui amorem absque rebus aliis satis esse, res alias absque amore nihil esse arbitrabatur. Non itaque cum vaticiniis, non cum prophetia, non cum miraculis semper datur Deus. Quae omnia, ut idem testatur, si habeam, unum Amorem non habeam, nihil omnino sum. Quod vero sit donorum primum facit ut aliqua semper cum donis Amor detur; simpliciter tamen exacteque dari non dicitur, nisi dum munera tertii sunt generis et divina cum amicitia tribuuntur.

108. *Spiritus Sanctus non datur ab hominibus*

Mirum tamen videtur, quod in sacra historia legimus: nam divos illos religionis principes non nullis hominibus manus imposuisse, ac proinde illos spiritum accepisse proditum est. Quam ob rem divinus ille Spiritus non modo hominibus, sed etiam ab hominibus dari videretur. Quae quidem res divinam sublimitatem vel maiestatem haud sane decet. Iam vero, quem ad modum et Timaeus Platonicus et omnis Peripateticorum secta decernit, a minori agentium potestate nulla omnino actio proficiscitur. Licet enim eques ab equo, non tamen equus ab equite ferri

9 qui] quidem *ac. V* 15 amore *V*

9–11 quo … requiescunt] Ps. *N1 V* 11–12 quis … requiescam] Virg. *N1 V* 28–30 Timaeus … proficiscitur] Tim. 150 *N1 N2 V*

10–11 in … requiescunt] Ps. 4.9 11–12 quis … requiescam] Ps. 54.7 13–14 geminas … aves] Aen. 6.190–193 14–15 hoc … est] 2 Cor. 12.2 17–19 Quae … sum] 1 Cor. 13.2

potest, neque minori maior cedit vis, neque superior inferiori obtemperat potestati. Quinam igitur fieri potest, ut aeternum a mortali, divinum ab humano, Deus Optimus Maximus tradi possit ab homine humillimo et plane abiectissimo? In libro quoque Legum omnia legibus a legislatore redigi in ordinem iubebat, quem et prudentissimum et sapientissimum esse vult; ex quo sumptum illud Aristotelicum est, quod in ordinem dirigere sapientis est. Atqui dare quidquam alicui est id in alterius ordinem potestatemque redigere, quod prius in largientis ordine continebatur. Quam ob rem si Deus donaretur ab homine, non Deus homine, sed homo potius Deo sapientior haberetur, quod tamen tum ex se falsum esse atque absurdum cognoscitur, tum vero a Platone saepissime confutatur. Addam his civitatum rectores eos esse oportere, ut Platoni placet, qui aut philosophi sint, aut si studiis literariis non navaverint operam, divina tamen sorte philosophentur. Quam quidem rem cum passim tum praecipue in libro de Republica sexto latissime Plato explicat, ut imperantem, gubernantem, iubentem, non nisi sapientem esse oportere intelligamus. Qui itaque Spiritum, qui Deus est, hominibus largitur, minus sapiens Deo esse non potest, ne insipienti obtemperare oporteat sapientem, ubi omnis vel iustitiae vel naturae ordo perverteretur. Praeterea quaecumque quidquam agunt, similitudinem in silva suscipiente gignunt suam, quem ad modum late disputat Timaeus. Summum itaque quod gigni ab hominibus potest, est humana similitudo in liberis procreandis; quare dari ab eisdem forma non potest, quae sit humana praestantior. Ad haec confessa inter philosophantes sententia, nihil supra propriam vel vim vel speciem quidquam agere; non enim lapis nudus plantas, neque planta piscem, nec piscis puellam gignere umquam potest, sed sua quodque specie gignendo contentum est. Quomodo igitur humana actione dari Deus potest, quo vel esse grandius, vel optari divinius, vel cogitare maius potest nihil? Quam quidem rem cum animo Romani volutarent, ne Deum sine Deo gigni dicerent, Romulum auctorem generis non prius Deum fingere ausi sunt, quam Deo natum esse mentirentur, magna cum irrisione posteriorum nihil non adulationis gratia audentium, quippe qui eos in deorum rettulerunt numerum quos non modo mortales homines ex

12 hiis *N1 V* 13 literariis] ltriis *abbr. N1*; litteris *V* 19–20 quidquam] quicumque *V* 31 Deo] Deum *ac. N1 V* 32–33 quippe … numerum *om. N2*

4–6 In … vult] Leg. *N1 V* 6–7 illud … est] 1 Met. *N1 N2 V* 9–12 non … confutatur] Apol. 11 *N1 N2 V* 12 Platoni] Phedr. 50 *N1 N2 V* 12–14 Platoni … philosophentur] 6 Reip. 23 *N1 N2 V* 19–21 quaecumque … Timaeus] Tim. 150 *N1 N2 V*

mortalibus ortos, verum etiam et immanissimos tyrannos sanguine caedibusque respersos intellexere. Quid? quod moventis atque eius, quod movendum sit, certa intercedat ratio necesse est; possunt enim ab hominibus moveri non omnia; nam si vel unica caelo stella adiiceretur, mens orbis agitatrix confusa ratione vel non verteret vel segnius longe verteret, ut Averroes scriptum fuisse ab Aristotele arbitratur. At quae tandem ratio inter humanam imbecillitatem divinamque praestantiam esse potest? ea profecto, quam in aurea resti describit Homerus, qua quidem, ut ipse inquit, si altera ex parte Deus maximus teneatur, ex altera dii omnes et maria et quidquid rerum est usquam, ne tantillum quidem illum gradu locoque moverent. Quod si quidquid est virium infra Deum, movere Deum non potest, hoc est, ut alia quam prius ratione possideatur nequit efficere; quis est, qui dari ab homine Deum posse confidat? Praestantius quoque esse non potest munus eo, a quo tribuitur, quem ad modum nemo possessione deteriorem diceret possidentem. Quod si a mortali donaretur Deus, et possideri ab homine Deum et proinde homine Deo praestantiorem esse conficeretur. De ea loquor hoc loco possessione, quae in nostra penitus potestate sita est, non veluti a beatis possidetur Deus, quem sicut in omnino libera facultate non obtinent, ita cuivis largiri non possunt. Licet enim in caelesti felicitate sicut in Assueri conviviis nemo cogatur, nemini vis ulla inferatur, ita tamen divino fruuntur spectaculo, qui eo beatitudinis pervenere, ut in eorum potestate non sit, beatam illam lucem aut altius cernere aut a se avertere aut parentibus ad inferos detrusis ostendere. Quam ob rem si quae superiora sunt homine, in hominis potestate non sunt, ne ab homine donari quidem possunt; si enim secus quis sentiat, maria ac terras, caelum quoque et sidera, vel a pauperrimis quibusque donari posse fateatur necesse est. At pauperrimos illos duces, quos ex ima fece hominum Deus selegit, et caelum relinquentibus omnia et Deum fide suscipientibus promisisse legimus, id quidem, ut verum fateamur, certe legimus, sed ita haec faciebat, ut regum oratores et urbes et regna Senatui Romano subiiciebant. Non enim ii, qui reges non erant, sua regna donabant, sed eorum qui reges erant, imperia peragebant. Quapropter nemo hominum sibi persuadeat Deum ab alio dari posse quam a Deo.

13 nequid *V* 25 quidem donari *tr. ac. N2* 26 caelum quoque] caelumque *N2*

109. *Gratia et gratiae dona non ab homine fiunt, sed a Deo. "Si te fata vocant"*

Etsi iam abunde ostendimus Deum a mortalibus donari non posse, quod conditor rerum nulli subsit rei, credi fortasse posset, si conditor non datur ab homine, munera tamen conditoribus dari posse, illudque praecipue quam gratiam vocamus amicitiam divinam. Nam si condonant errata peccantibus sacerdotes, atqui ea non nisi reconciliata benevolentia divina condonantur, efficitur ut a sacerdotibus benivolentia divina tribuatur. Id tamen Platoni non placet, quippe qui in Alcibiade docet, hominem ex se bene agere non posse, sed divinam illi benevolentiam esse pernecessariam. Potest id etiam ex iis, quae ab eodem philosopho scripta sunt, altius pressusque demonstrari vult; siquidem in Reipublicae libro ab iis agentibus quae natura agunt, non rem, sed rei imaginem tantum gigni. Ideam namque rem atque essentiam veram esse, corporea vero, et quae ideam imitantur, quem ad modum eodem loco ait, non veras nec res nec essentias esse arbitrabatur. Imagines vero formasque omnes, quae natura fiunt, in omnium receptaculo gigni vult Timaeus. Hanc nos primam materiam vocamus, quae quidem excipiendarum formarum omnes in se complectitur potestates. Si quae itaque formae sint, quas materia potestate non contineat, eas gignere haud utique possunt vires, actionesque naturae. Quam ob rem divinam illam vel amicitiam vel gratiam, cuius potestas penes unicum consistit Deum, non natura, non ab homine, non a caelo, sed a Deo tantum Optimo Maximo et gigni et dari homini potest. Ad haec causas quas appellant secundas, idearum instrumenta cognominat Timaeus. Quod si fortasse quispiam in qualitatum actionibus dubitare possit, in iis certe, quae a materia pendentia non sunt, dubitare nimirum possit nemo. At harmonia non in citharam, sed in musicam tanquam in causam praecipuam refertur; quare ea amicitia vel a Deo dumtaxat traditur, vel si quem per alium traditur, is ad illam tradendam non nisi tamquam vel organum vel instrumentum accedit; utque tabulam non a pennicillo, sed ab Apelle pictam, Remumque non ab ense, sed a Romulo obtruncatum dicimus, ita etiam et divinum id munus non homini referendum acceptum est, sed Deo. Quaecumque enim fiunt, non

---

7–8 divina reconciliata benivolentia *N1 N2* 26 iis] is *V* 27 harmonia] armonia *N1*; armoniam *ac. V* 28 referatur *V* 31 tabula *V*

9–11 in … pernecessariam] Alc. 1.75 *N1 N2 V* 12–14 in … gigni] 10 Reip. 3 *N1 N2 V* 16–17 Imagines … Timaeus] Tim. 121 *N1 N2 V* 24–25 Ad … Timaeus] Tim. 110, 111 *N1 N2*; Tim. 120, 121 *V*

instrumentis, et machinis, sed primis praecipuisque causis tribuuntur. Quae quidem res non modo rebus inanimis, verum etiam animatis consentit; non enim equus, sed miles, non copiae, sed rectores, non exercitus, sed imperatores de victis stratisque hostibus triumphant. Ad haec sicut ex Protagora coniicere est, semper causis effecta respondent, qualisque est altera, talis nihilominus altera esse solet; non enim Pira Taurus, aut (ut is inquit) afferet rubus asper amomum, sed homo hominem, piscis piscem, pennatam volucrem pennata volucris parit. At amicitia illa divinam consuetudinem, divina commercia, divinam denique post obitum vitam atque beatitudinem comparat. Quinam igitur fieri potest, ut alia eius sit causa, quam divina? Citatur Platoni Homerus, qui cum scripserit Troianos aras ornare, hecatombem mactare, sacra accuratissime curare, omnia denique facere, quae ad pacandos fieri deos solent, eorum tamen munera accepta non fuisse, quod Troia Troianique odio haberentur. Quibus quidem haud aliud vel cecinit Homerus, vel intellexit Plato, quam tantam amicitiam hominis non opus esse, sed Dei. Enumerat praeterea Plato in Legum volumine causas rerum tres, artem, naturam, Deum. Ars naturae rebus utitur, quibus si careat, nihil omnino agit. Natura ex Deo pendet, quem tam ut sit, quam ut agat, desiderat auctorem. Hinc in Timaeo Deus mundum condit, conditum diis administrandum tradidit, hoc est, celestibus orbibus, sideribus, et orbium siderumque agitatricibus mentibus, quae quidem in iis, quae in naturae serie collocata sunt, principes substantiae et habentur et sunt. Finxit id mysterium divinarum humanarumque rerum pictor quam lepidissimus Homerus in iis versibus, quos prius alterius rei gratia adductos, nunc rei nostrae accommodos iterum recensebimus: σειρὴν χρυσείην ἐξ οὐρανόθεν κρεμάσαντες πάντές τ' ἐξάπτεσθε θεοὶ πᾶσαί τε θέαιναι, "Restim auream e caelo suspendentes omnes tum dii, tum deae illi annitamini." Ex parte illos altera posuit, cum sese Deus Maximus statuisset ex altera. Qua quidem elegantissima pictura naturae ordo describitur, quippe qui per causas secundas in ea quae oriuntur descendens Deo Optimo Maximo innititur, qui quod naturae sit creandae causa maximus, quod vero actiones communicando liberalissimus, iure meritoque optimus nominatur. Quod si tres

---

9 commercia *in marg. V* 12 Troianis *V* 14 Troianisque *V* 15 haud] aut *V* 19 in *om. V*; *sl. N1*; 26] resti *V*

4–5 sicut … respondent] Prot. 25 *N1 N2*; Prot. 21 *V* 11–14 Citatur … haberentur] Alc. 2. 28 *N1 N2 V* 16–17 Enumerat … Deum] 10 Leg. 7 *N1 N2 V*

26–27 … θέαιναι] Il. 8.19–20

hae sunt causae, quas diximus, ars, natura, Deus, ars amicitiae divinae causa non est, a qua nihil efficitur quod homine inferius non sit. Natura etiam hominis id non potest; nihil enim potest quod formam excedat humanam, nec aliquid extat in natura rerum, a quo illa tradatur hominibus, nam nullius rei actio rem excellit. Quare non nisi a Deo comparatur id, quo vel Deus ipse comparatur. Quid? quod bonum, quod ea amicitia assequimur, est non modo summum, verum etiam infinitum; vires autem et hominum et naturae finitae omnino sunt, sicut in Physica defendit Aristoteles. Non itaque eousque humanae attingunt vires, ut homines divinum illum ex se ipsis assequantur amorem. Quod si quis secus affirmaverit umquam, agnoscat quandoque culpam, dicatque sicut in Phaedro Plato ait: Deus profecto amor est, quem temere loquendo iam laesi; deinde ex eodem et flagitiis venia petatur, et mentis illustratio postuletur. Nulla etiam virtus est hominibus, quae ea amicitia inferior non sit; altera namque humana regit, altera sursum emicat ad divina. At virtus non ut Aristoteles existimat ex humana surgit origine, sed si Platonico Menoni, si veteribus, si novis oraculis credamus, ex Deo proficiscitur; quare divina benivolentia multo humana virtute altior non nisi ex Deo oriatur necesse est. Superest denique ea ratio quae ex similitudine atque imagine ducitur; duas enim imagines, duas denique similitudines legimus in Platone. In Alcibiade namque ducturus nos ad divina intelligentiam ea putat gradiendum via, ut si quid in rebus, quas intelligimus, sit, quod Deo simile esse animadvertatur, omni studio curaque annitamur, ut id exacte adamussimque cognoscamus; fieri proinde, ut Deum quoque, qua cognosci a mortalibus potest, intellecta similitudine intelligamus. Atqui humana mens est Deo per quam similis, nihilque apparet in terris, quod propius ad divinam accendat imaginem, tum quod aeterna incorporeaque ex se est, tum quod intelligentia viget, memoria, atque amore; corpori etiam tamquam minori mundo ut Deus maiori et moderatur et praeest. Quam ob rem qui humanam recte novit mentem, Deum facile novit; simile enim simili intelligitur, eamque ob causam eodem in loco Plato ait ex humana vel mente vel sapientia apprehendi Deum. Additque, oraculum in templo Delphico scriptum, ΓΝΩΘΙ ΣΕΑΥΤΟΝ, "cognosce te ipsum" nihil aliud sibi velle, nisi ad summum bonum homines

---

6 id … comparatur *in marg. V* 9 ut *sl. N1 V* 12 amor est] amorem *ac. N1*; amorem *V* 14 etiam] essent *ac. N1*; ēt *add. sl. V* 15 altera] alterum *N1 V*

15–17 virtus … proficiscitur] Men. 61, 62 *N1 N2 V* 21–24 In … cognoscamus] Alc. 1.70 *N1 N2 V* 34–452.1 ad … est] 10 Eth. *N1 N2 V*

traducat; id etiam Aristotele teste in Deo cognoscendo situm est. Deum vero cognosci ex cognita perfectaque anima humana; quapropter ut summo potiri bono possimus, iussit oraculum ut nos ipsos, hoc est, ut animam nostram, sicut interpretatus est Plato, animadvertamus. At vero ut nihil est summo bono praestantius, nihil melius, ita nihil hoc praecepto salubrius, nihil homini conducibilius Plato arbitrabatur, ubi ea imago vestigatur, quae animae nostrae naturae a Deo insita est. Legimus praeterea et imaginem alteram in Minoe, quae in bonis dumtaxat viris reperitur; ait enim probos quidem viros Deo similes esse, malos vero longe dissimiles. Est igitur altera Dei similitudo in anima ex natura, altera ex divina et benevolentia et liberalitate; bonos enim viros divino quodam et auxilio et furore Menon fieri vult. Quare alteram imaginem posuit ex natura, alteram ex dono amicitiaque divina: illa passim est omnium, haec bonorum; illa populi, haec admodum paucorum; illa stultis est flagitiosisque communis, haec studiosorum est et sapientum; illa miseriam etiam aeternam comitatur, haec ad summam traducit beatitudinem. Si itaque divina vel gratia vel amicitia divina quaedam similitudo est, similitudo vero omnis causam non longinquam, sed proximam imitatur, ut homo homini similis gignitur, non soli, sed homini, fieri nimirum non potest, ut alia ex causa forma gratiae proveniat, quam ex Deo. Si enim ex homine, hominis esset similitudo, non Dei, quod tamen Platoni non placet volenti studiosos probosque homines Deo similes habendos esse, non homini. Haec illa proculdubio est imago, quam, ut in Platonis Republica legitur, ipse in nobis Deus et format et facit; format quidem, cum eas parat dispositiones, quae formae conveniunt; facit vero, cum postea exactam absolutamque formam tandem perficit. Priorem namque imaginem licet ipse faciat, non tamen etiam format, quod hominis opus est atque naturae; posterior vero tota ex Deo pendet: ipse parat, ipse agit, ipse perficit. Recte igitur Plato a Deo illam et formari et fieri. Porro ea forma ac lux, quam dat animae Deus, est quasi divina vox, quae internas animae aures et pulsat et excitat. Ita oracula nostra ubique volunt, quae stare Deum ad ostium perhibent intusque pulsare. Has vates se voces spondet auditurum: "audiam," inquit, "quid

---

2 perfectaque] perspecta *in marg. N2* 19 homo *sl. N1*; *in marg. V* | homini *eras. N2* 32 hostium *N1 V* | perhibent] prohibent *N1* (*ac.*) *V*

7–10 Legimus … dissimiles] Min. 13 *N1 N2 V* 23–24 est … facit] 2 Reip. 63 *N1 V*; 2 Reip.53 *N2*

31–33 oracula … pulsare] Apoc. 3.20 33–453.1 audiam … Deus] Ps. 84 (85).9

loquatur in me Deus"; easdemque intelligebat Apostolus cum dicebat: "quos praedestinavit, hos et vocavit"; aeterno enim consilio praedestinari nos, praesenti gratia vocare a Deo voluit. Dolet praeterea vates, quod ad eas voces suas meminerit aures obsurdescere: "Ego autem," inquit, "tanquam surdus non audiebam." Surdos denique saepe curavit Deus, cum olim in terras homines vocaturus descendisset. Adde quod velut inter metalla aurum, ita in rebus Deus simplicissimus, purissimus, pulcherrimus, supremus, optimus; quam ob rem de sponso in Epithalamio sapiens sponsa cantabat, "caput eius aurum optimum," ut autem interpretatur Apostolus, "caput Christi Deus." Aurum itaque optimum Deus non ut terrestre aurum, quod cum non nullis prosit, quamplurimis exitio est. Posuit et Hesiodus genus primum aureum, Platone teste, hominum qui Deo amicitia iuncti secundam divinae sapientiae imaginem consecuti sunt. Argenteum deinde subdit genus, hominum intelligentiam naturae et caelestium mentium functionem intelligendi non auream Dei auram; hoc est, sapientiam amori divino iunctam adepti sunt. Tertium locum aes tenet, in quo Heroum praelia, gloriae gratia aeternitatisque exanclata. Est post id plumbum vulgus hominum ignavissimum, mollissimum, obtusissimum. Postrema omnium occupavit ferrum, quod praeter vitia alia etiam iniustitiam suscipit, nec sat est Deum negligere, quin etiam rapinis, caede, sanguine delectatur. Eandem haec metallorum seriem Daniel Hebraeus pene ad verbum scribit. Saepe Plato genera alia hominum coercenda imperiis, contra aureum esse vocandum ad imperia praecepit; et libro etiam de Republica tertio, ne humanam vel nobilitatem vel virtutem auri nomine suspicaremur, apertissime docet a solo dari Deo, ut si Deus aurum (ut docuimus) dicitur, is aureus habendus est, qui auram illam similitudinemque divinam adipiscitur, quam nunc gratiam, nunc amicitiam appellamus. Quinque itaque cogitanda in ea re sunt nobis. Primum est decretum aeternum Dei, quo antequam homines conderet, statuit quosdam seligere studiososque ac probos facere, quosdam rursus ut rebelles contumacesque relinquere. At vero, ut est in oraculis, "ipse dixit, et facta sunt," atque ea fiunt in humanis saeculis, quae Deus ipse secum in aeternitate dicebat; fari enim illum nihil aliud est,

---

6 velut *in marg. V* 7 inter *in marg. N1* 11 non *sl. V*

12 Posuit … aureum] Hesiodus *N1 V* | Platone] Crat. 25 *N1 N2 V* 12–14 Platone … sunt] 3 Reip. 59, 61; 6 Reip. 28; 8 Reip. 7; 3 Reip. 61 *N1 N2 V*

2 quos … vocavit] Rom. 8.30 4–5 Ego … audiebam] Ps. 37.14 9 caput … optimum] Cant. 5.11 10 caput … Deus] 1 Cor. 11.3 32 ipse … sunt] Ps. 32.9

quam intelligere atque constituere; idcirco aeternum illud Dei decretum fatum appellavit antiquitas. De sapientibus hic, non de astrorum cultoribus loquor. Secundum, quod aeterno fato succedit, est ea vocatio, quae in tempore fit; datur homini quasi interna vox, qua ad Deum adipiscendum intus excitatur. Utrumque Apostolus significat cum dicit praedestinare atque vocare Deum. Nos alterum aeternum in Deo esse volumus, alterum postea in homine temporarium; illud divinum decretum atque praedestinatio (ut recepto utar verbo). Hanc vocationem et gratiam appellamus. Tertium est quod ad eam imaginem in anima formandam divinamque amicitiam comparandam vires studiaque hominum, quae in toga exercentur, minime sufficiunt adversus omnes, qui in voluptate, in opibus, in honore, in speculatione disciplinarum summum ponunt bonum. Quartum quod neque belli vel vis vel gloria ad eam rem pertingit adversus Graecos, Romanosque duces, qui his artibus et Herculem et Romulum caelum ascendisse contendunt. Ex iis denique quattuor efficitur, ut quinto fortunati potiamur, hoc est, aurum ipsum adipiscamur tandem, atque Deum, cui amicitia quas singulari nexu coniungimur, summique boni possessione potimur. Sane haec omnia quinque illa metallorum genera, aurum, et alia post id quattuor, aequali rerum numero imitantur. Sunt enim quattuor aurum antecedentia, geminae causae, ac duo, quae cum causae non sint, falso a non nullis causae existimantur. Est denique quasi rerum scopos aurum, quo animae humanae imaginem parentis agnoscentes tendunt, votisque aliis posthabitis unum appetunt, unum expetunt, unum tantum orant, "ire ad conspectum cari genitoris," ut vates sacra ode precabatur, "ostende faciem tuam et salvi erimus," ubi veluti in aureo fonte inebriantur ab ubertate domus, quem ad modum testantur oracula. Eadem quinque Plato sparsim numerat; fatum namque in Legibus et Republica ita statuit, ut in trium Parcarum decretis esse id velit. Nos supra Parentem, Filium, et Amorem, ipsasque in divina natura subsistentes personas trium Parcarum nomine vocitavimus, quarum decreta fata nominantur. Amicitiam vero divinam in Euthyphrone et Alcibiade scribit, ubi hominum virtutem, probitatem, et quam nos gratiam dicimus

---

4 datur] daturque *N2* 9 Tertium est *in marg. N1 V* 21 causae] causis *N1* 28 ita statuit *om. V*

24 orant] *asteriscus N1* | ire … genitoris] Virg. *N1 V* 27–28 fatum … Legibus] 12 Leg. 25 *N1 N2 V* 28 Republica … velit] 10 Reip. 38 *N1 N2 V* 31 Amicitiam … Euthyphrone] Eut. 12 *N1 N2 V* 31–455.2 Alcibiade … mortalibus] Alc. 1. 75 *N1 N2*; Alc. 1. 65 *V*

24 ire … genitoris] Aen. 6.108 25 ostende … erimus] Ps. 79.8

et vocationem et homini necessariam demonstrat et a Deo dari mortalibus; studia vero togae tam parum honesta, quam etiam honesta et liberalia in Philebo, studia autem belli, quod sapientia bellatrix minime sit, in Epinomidis libro confutavit. Quintum vero, quo humana tendit aspiratque natura, aurum est, quod in anima fulgere prima docet epistula; in eorum namque anima fulget Deus, quos praedestinationis fatum et gratiae munus, non studia otiosa, non belli labor vocat. Beatissimi vero auri spectaculum si quis latius nosse desiderarit, legat dialogum, qui Phaedrus inscribitur, in quo de summo animarum bono in videndo contemplandoque Deo orationem habet et longe suavissimam et Christianae pietati accommodatissimam. Cum enim et Socrates Phaedrum et Phaedrus Socratem aureum dixisset, non ita multo post et in libelli calce quatenus animae aureae pulchraeque fiant amplissime disputat. Auream vero animam Deum complexam vocat in Gorgia, ubi et aureum Minois sceptrum pro homine diis, amico divinam consecuto sapientiam interpretatus est. Quod autem felices animae in insula beatorum auream degant aetatem, qui ut in Critia scriptum est, quid quaeso est aliud, nisi beatas animas suo tandem auro suaque luce frui? Eandem sub Saturno fuisse in terris leges docent, non quidem quod umquam beati fuerint mortales in terris, sed quoniam Saturno in Latium fugiente Ianus Etruriae rex iustissimus populos suos innocentia servaret, iustitia excoleret, virtute ornaret, et, ut divinam adipiscerentur imaginem, religione, pietate, ritibus sacrorum exerceret. Quae quidem non felicitas, sed vita felicitati vicinissima, ut quam diuturnissime ab Etruscis conservaretur in Luco Volturrenae haud a Cyminio procul duodecim Lucumones instituit, qui et naturae vires ad illam excolendam et divinas res ad illas potiundas vestigarent, disquirerent, cognoscerent, populos instruerent, posteritati mandarent. Eadem illa ipsa quinque, quae ratio statuit ac Plato descripsit, scribit etiam Maro modo quodam ex Etruria oriundus, aureae illius aetatis Etruscorum Etruscarumque multo studiosissimus disciplinarum. Ponit enim geminas causas dimidiato versiculo, fatum videlicet atque vocationem, aitque, "si te fata vocant"; deinde geminas falsas causas, vires et studia

---

8 desideravit *V* 12 aureum] *sl. V* 14 sceptrum] scriptum *N1* (*in marg.*) *N2* (*ac.*) *V* (*sl.*) 19–20 leges … terris *in marg. V*

2–3 studia … Philebo] Phil. *N1 V* 3–4 studia … confutavit] Epin. 4 *N1 N2 V* 11–13 Cum … disputat] Phaed. 11 *N1 N2 V* 13–15 Auream … est] Gorg. 52, 53 *N1 V*; 52, 97 *N2* 16–18 felices … frui] Crit. 10, 11 *N1 N2 V* 28–29 scribit … oriundus] Virg. *N1 V*

32 si … vocant] Aen. 6.147

otiosa ac artis clara munia militaris, adiicit enim, "aliter non viribus ullis vincere, nec duro poteris convellere ferro"; addit denique his quattuor quinto loco aurum; ait enim, "corripit extemplo Aeneas avidusque refringit cunctantemque" foetum "discolor unde auri per ramos aura refulget." Cum enim arborem, dum in corpore et silva iacet anima, amplecti universam non possit; totam enim essentiam vita functa conspiciet, rami parte contenta est; nunc namque, ut testatur Apostolus et quasi Maronis ramum interpretatur, "ex parte cognoscimus," hoc est, fidei sapientia quaedam intelligimus, alia postea non ex parte, non per aenigmata sed apertissima luce contemplabimur. Iam itaque huic sententiae finem imponamus, quod gratia in hominis potestate non est, nec otia habent illam, vel opibus vel voluptatibus regum, vel alta vestigatione philosophorum in caelum gigantum more conspirantium, nec bella equorum labore desudata habent illam, sed soli pii, quos modo quo docuimus "fata" vocant. Rationi vero, Platoni, Virgilio sacer etiam vates clare consonat: "non salvabitur," inquit, "rex per multam virtutem," hoc est, potentia, opum et copia voluptatum, "et gygas non salvabitur in multitudine virtutis suae." Et haec quantum ad otium pertinet; sequitur etiam de re militari, "fallax equus ad salutem"; quibus falsas beatae vitae vias exsibilavit. Sequuntur geminae causae: "ecce oculi Domini super metuentes eum," ut oculus alter praedestinatio antecedens, alter sequens vocatio existimetur. Sequitur denique etiam quintum; ait enim, "quoniam in eo laetabitur cor nostrum," cum "tota die" (oraculorum verba non mutem) "dabitur ei de auro Arabiae," hoc est, de sapientia beatorum. Arabia namque cognomento felix dicta est; atque uti in caelo beatis aurum Arabiae dat Deus, ita sane in terris migraturis hominibus fatum et gratiam non homo dat homini sed, idem ipse Deus.

---

7 parte] partem *ac. N2* 11 habet *N1* 13 gigantium *V*

16 non … virtutem] Ps. *N1 V*

1–2 aliter … ferro] Aen. 6.147–148 3–4 corripit … refulget] Aen. 6.210–211, 204 8 ex … cognoscimus] 1 Cor. 13.9 16 non … virtutem] Ps. 32.16–17 19 fallax … salutem] Ps. 32.17 20 ecce … eum] Ps. 32.18 22–23 quoniam … nostrum] Ps. 32.21 23–24 tota … Arabiae] Ps. 71 (72).15

DISTINCTIO XV

110. *Mitti divinae convenit personae. Saturni falx, et aurea aetas. Caligo: dea aufert. Simulacra purgantur*

Si mitti ad quidquam muneris obeundi ab aliquo est vel servitutis officium praestare, vel quasi servitorum personam induere; servum namque in Politicis organum appellat animatum, quo utimur cum volumus ad ea agenda quae cum agi velimus per nos agi nolumus, sermo parum divina libertate dignus videri poterit, si contenderimus mitti posse Deum. Praeterea qui mittuntur alio se conferre compelluntur. Quod si "Iovis omnia plena," quo se se Deus conferat non habet; nihil enim rerum est usquam, ubi non praesens semper adsit Deus. Est enim mittere et principis et maioris. At Deo nihil est maius. Quid? quod caelestes mentes, Dionysio teste, quae praestantiores in caelo sunt, in terras non mittuntur; esset enim earum praestantia parum dignum. Quanto igitur id indignius est Deo, quod mentium decoro indignum existimatur? Recitabo hoc loco quid Plato in Euthyphrone de divinarum rerum intelligentia scriptum reliquerit: quod quidem non idcirco voluit, ut dehortaretur a suscipiendo studio contemplationis, sed ut animadvertendam studendi rationem adhortaretur; ait enim se divinis de rebus nihil scire. Quam quidem sententiam etsi alias secus interpretati sumus, nunc ita usurpandam putamus; nam in Beata illa Civitate animarum felicium sol ille, qui in Republica Platonis describitur, non solum ipse sol est et diem aeternum efficit, verum etiam et animas ita luce complet attollitque, ut quasi astra effecta vim potestatemque a suo sole suscipiunt, ut illum queant et intueri et nosse; quasi sponsus, qui nocte intempesta se sponsae ostensurus se nudat in tenebris, ac non modo veste ponenda se videndum exhibet sed etiam lucerna allata illam videntem facit; ita ille sol et praebet beatis se cernendum animis, et quoniam humana acies in tanta luce caligat, etiam

---

10 enim *in marg. N1*; *sl. V* 15 indignius] indignus *ac. N1* 18 animadvertendam *in marg. V*

21–22 sol … describitur] 6 Reip. *N1 N2 V*

5–6 servum … animatum] Pol. 1.1253b 25–26 quasi … tenebris] Cant. 5.2–3

visuris illis cernendi vim tribuit; quare illae stellis similes factae in divino solis spectaculo suspiciendo, amando, fruendo occupantur. Belle id Maro prodidit, aitque: "solemque suum sua sidera norunt," quasi dixerit, nosse illum nulla potest mens, nisi luce plena in caelo stella fiat, praeter unam Christi animam, quae etiam in terris stella facta est. Fuit enim, ut Senatui placet, illa quidem non prius orta, quam felix; atque ideo vates ille ita cecinit: "orietur stella ex Iacob." Alii namque in caelo dumtaxat differunt inter se, quem ad modum a stella differt stella, cum in caelo tantum stellae esse incipiant. At felix Christi animam non edita a Parente in lucem erat cum Deum, cui iungebatur, beata cernebat, lucemque coniuncti solis plenam exuberantemque suscipiebat. Ut itaque beatam animae lucem puram apertamque vident, ita cogitationes internosque sermones habent et peculiares et puros. Nos vero, qui adhuc terram incolimus, nondum caelum attigimus, etiamnum stellae facti non sumus, solem nostrum non novimus, hoc est, peculiares purasque cogitationes, quibus beatae animae cernunt, haudquaquam habemus. Quam ob rem non ita eminus novimus divina, sicut cognoscenda sunt cominus; in illis namen vestigandis cogitandisque, quando simplices puraeque species desiderantur, ad concretas permixtasque confugimus, atque per sensilium imagines rerum, quae exploratae sunt nobis, ea insensilia coniicimus, quae latentia abditaque et plane nobis ignota sunt. Hinc ut in Republica scriptum est, ortum habent aenigmata, quod etiam in Epistolis disputatum est; scientia namque semper rebus est similis, veluti eodem loco Plato voluit, et postea susceptum ab Aristotele est scientias ita secari consuevisse ut ea quae sciuntur. At divina, quae beatae animae contemplantur, purissima ac simplicissima sunt, quam ob rem ut earum scientia purissima simplicissimaque sit necesse est. Nos vero quibus nihil nisi coniunctum, nihil nisi coagmentatum sese offert, nihil nos de divinis nosse par est, cum nihil omnino sit nobis eorum, quibus illa purissima ratione intelliguntur. Componunt itaque iunguntque ac copulant simul multa mentes nominum "clausae tenebris et carcere caeco," sicut ex Reipublicae libro Maro didicit; cumque per ea quae multa sunt id cernere conemur, quod prorsus est unum,

---

6 quam] inquam *ac. V* 10 iungebatur] iungenbantur *corr. V* 13 et] *sl. V* 26 earum] erum *V*

3 solemque … norunt] Virg. *N1 V* 21–22 Hinc … aenigmata] 5 Reip. 52, 54 *N1 N2 V* 22 etiam … est] Ep. 2.5 *N1 N2 V* 30–31 clausae … caeco] Virg. *N1* 31 sicut … didicit] 6 Reip. *N1 N2*

3 solemque … norunt] Aen. 6.541 7 orietur … Iacob] Num. 24.17 7–8 Alii … stella] 1 Cor. 15.41 30–31 clausae … caeco] Aen. 6.734

nulla nobis nuda prorsus apparere veritas potest, sed multis undique et fallaciis et umbris obtegitur atque operitur. Nam ut solis facies si vel nubibus vel caligine obducitur, haud clare perspici potest, oculorum siquidem acies per fusca opacaque interstitia ad res aperte cernendas umbris impedita non penetrat; ut etiam si vitra diversis tincta coloribus interponantur, quidquid trans vitra aspicietur, versicoloribus maculis infectum videbitur. Quam ob rem iis victos impedimentis oculos caligare ac caecutire necesse est, multa etiam adducere in cogitationem, quae a conspectis procul absunt rebus; ita ferme usuvenit mortalibus per humanas impurasque imagines ad divinorum puritatem contendentibus. Multa de eo cogitent oportet, quae divina et luce et sinceritate parum digna sunt. Lege Phaedonem, Platonicum intelliges et Deum aeternum esse atque purissimum, ut rursum purum ab impuro attingi minime posse, qua quidem praeclara sententia monemur, ut geminam puritatem divina contemplaturi procuremus, quarum altera affectum, altera intelligentiam parat. Affectus virtute, pietate, religione; intelligentia, seiunctione, refectione, putatione purgatur. Nam cum perfectum magis sit unum quam quae perfecta non sunt, quem ad modum monstratur in Physicis, quod summum est et bonum et perfectum, id maxime, id praecipue; id etiam solum unum est Parmenidi, alia omnia sicut ab uno, ita et a perfecto longius recedunt. Omnia autem, quae sequuntur unum, perfectum simul imperfectumque et miscent in se ipsis et complectuntur; nihil est enim undique absolutum praeter unum, cui uni idcirco ab Apostolo honor gloriaque tribuitur. Quod si alia omnia et coagmentata multitudine et imperfecto conflata sunt, imagines ac simulacra habeant oportet, quae cum contemplatrices hominum mentes subeunt, res illis perfecto imperfectoque copulatas ostendere atque significare adsuescunt. Est autem assuetudo naturae persimilis; quare ut vespertilio, cui infirmos oculos natura largita est, non quit absque crepusculi et umbrarum ope aciem intendere in lucem, ita humanae mentes "clausae," ut diximus, "tenebris et carcere caeco" non possunt absque iis simulacrorum umbris contemplari, sed si coniectura assequi volumus id aurum, felices quod habent gentes Saturnia regna, Saturnia nobis falce utendum est, ut imperfectas umbras imaginum amputantibus nobis lux sola affulgeat. Extat adhuc factio Volturenae, quae usque in haec tempora falcem in insignibus gestat, aureae

27 atque] ac *N2 V*

11–12 Lege … purissimum] Phed. 33.14 *N1 N2 V* 17–18 Nam … Physicis] 5 Phys. 42 *N1 N2 V*

aetatis sub Saturno apud se actae monumentum perpetuum. Nam quid est aliud quod in divinarum cognitione rerum universo orbi terrarum admirationi fuerint Etrusci, ut Diodorus est testis, nisi quod soli divinorum vestigandorum rationem adinvenere, quae quidem in falce Saturnia et amputatione consistit? Falcis autem usus is est, ut cum quidquam de Deo contingit nostris vel cogitare imaginibus vel loqui nominibus, nomina enim vocesque omnes naturam sequuntur imaginum, tunc sollerti acrique iudicio animadvertamus imaginum significationem, ubi quidquid imperfecti, quidquid indigni offenderimus, falce ad purum usque resecemus, quidquid autem perfecti purique superaverit, divinis id cognoscendis applicemus. Primo quidem imagines considerandae sunt, quanam perfectum, qua imperfectum praeseferunt. Deinde falx amputatioque adhibenda est, imperfectaque omnia resecanda. Tertio ex iis, quae relinquimus perfectaque sunt vera divini auri intelligentia oritur, quae contemplantibus regna Saturnia et auream dant aetatem. Demum non Saturnum illam in Italiam intulisse, sed invenisse potius a Iano suis Etruscis institutam putandum est. Haec quattuor ita a Marone significata sunt: "curvam servans sub imagine falcem Saturnusque senes Ianique bifrontis imago." Ibi namque de falce dicendum putavit, ubi erat de imaginibus dicendum; ac non iniuria posuit "sub imagine falcem," ut praeciperet falce contemplantium circumcidendas imagines. Prius imaginem nominat, deinde falcem; illae namque tempore antecedunt, haec postea sequitur; illae naturae sunt, haec artis, immo nec naturae nec artis, sed opis divinae; non enim sat ipsi per nos sumus, si spectamus imagines, ut inter perfectum imperfectumque, interque id quod divinis et quod humanis conveniat rebus animadvertamus. Nam nescia mens hominis ad divinorum iudicium caligat, nec umquam caliginem abiicere potest nisi ope adiuta atque auxilio divino. Vidit id olim veteris theologiae praecipuus assertor Homerus, qui ita ait: ἀχλὺν δ' αὖ τοι ἀπ' ὀφθαλμῶν ἕλον ἣ πρὶν ἐπῆεν, ὄφρ' εὖ γιγνώσκῃς ἠμὲν θεὸν ἠδὲ καὶ ἄνδρα, "nubem ex oculis eripiam, quae prius inerat, ut inter Deum atque hominem probe discernas." Monet namque nubem et imperfecta resecanda esse ex imaginibus, ut ab humanis secernas diiudicesque divina, hoc est, ut ea auferas, quae humanis insunt rebus, ea relinquas quae Deo divinisque attribu-

3 fuerunt *N2* 10 autem *om. V*; *eras. N1*; *inser. N2* 11 applicemus] nec umquam (27) … ab humanis (33) *inser. hoc loco ac., infra add. in marg. N1* 24 opis] opem *ac. N1*; operis *ac. V* 29 qui] quare *corr. in marg. N1*

18–19 curvam … imago] Aen. 7.179 29–30 … ἄνδρα] Il. 5.127–128

untur. Iam vero, qui sensum sequuntur ducem, impii atque divinorum hostes simulacra non ita amputant, sed legibus naturae dant manus, atque ex iis, quae in naturae rebus observarint, quaeque humanis impurisque simulacris vestigaverint, colligunt Deum non omnia petentem, non naturam mundumque fabricantem, non libera in utrumque libertate agentem, sed omnia natura, omnia necessitate peragentem, ii, inquam, ruptis pacis foederibus, falces in enses conflant, atque ita indicunt bellum Deo. Sed unde digressa est, nostra tandem revertatur oratio. Falce uti oportet in divinorum cognoscendorum campum descendentibus, dum anima terrestri hoc corpore sese continet. Cum enim in patriam tamquam fracta cavea avis convolaverit, quando nihil putandum occurrit, nulla amplius falce, nulla resectione opus erit. Scilicet id fuit, quod sacra cum faceret Abraham terrestres animantes divisit, volucres caeli non divisit. Nunc nostram ad rem tandem veniamus. Si mittendus Carthaginem erat Scipio, quattuor in ea re cogitanda nobis sunt, velut in iis, quae moventur ab alio; est enim movens, motum, cum terminis duobus. Si quis itaque mittendus sit, sit primo oportet mittentis auctoritas, deinde eius, qui mittitur, a mittente seiunctio ex termino, unde motus incipit, progressio e loco, ex termino, quo tenditur, aliquid quod factum novum sit, aut certe nova in eo loco existendi ratio; est enim movens, est motum, cum terminis duobus, si quis mittendus sit. Cum igitur mitti quemquam volutamus animo, occurrere volutanti haec quattuor solent; imagoque eius, qui mittitur, menti cum se offert, non absque horum quattuor societate se offert, quorum quidem duo dumtaxat extrema Deum decent, duo media Deo digno non sunt. Quam ob rem cum haec ita animadverteris, ne forte gigantum more desipias, neve id accidat, quod rusticum carmen cecinit: "semiputata tibi frondosa vitis in ulmo," falx sibi est adhibenda, sarmenta supervacanea demetenda, fecundi palmites tantum relinquendi. Est namque mittentis auctoritas, quae haud alia in divinis extat, nisi quod qui mittitur a mittente progrediatur; seiunctio, locique mutatio resecantur; in termino, ad quem tenditur, novitas effectumque reservatur. Licet enim Deus nulla in re postea sit, ubi non prius fuerit, id sufficit, si aliqua in re alia sit postea ratione quam fuerit; eum namque, cui prius inerat, iniustum esse agnoscens postea inhabita iustum faciens et errores

6 ii inquam] iinquam *V* 7 falcens *N2* 21 si] quod *praem. ac. N1* 23 se] se se *V* 28 supervacua *V* 32–33 aliqua] *sl. V*

27 semiputata … ulmo] Virg. *N1 V*

27 semiputata … ulmo] Ecl. 2.70

ignoscens. Amputavimus ergo et missi seiunctionem et loci mutationem; duo divinis admovenda reliquimus, ut quae sola inter quattuor divina excellentia digna sint. Auctoritas namque non ratione alia habet in divinis rebus locum, ubi nihil est altero grandius, nihil maius, nisi quatenus alterum ab altero ducit originem. Quare cum vel Filium vel Spiritum mitti dicimus, duo sunt quae ea mittendi ratione dicimus, hinc missi a mittente progressionem atque originem, hinc cui mittitur novi beneficii munus. Atqui servus ut sit qui mittitur, nulla necessitas cogit; Scipionem enim, Camillum, Caesarem, aliosque a Senatu legimus missos esse, ac non modo non servos, sed liberorum ingenuorumque principes fuisse. Sat ibi est pro domino principum, pro imperio auctoritas, pro servo is qui mittitur a mittente procedens. Neque accedit qui mittitur ubi prius non erat, sed ut ea ibi ratione sit, qua iam non erat; inerat siquidem ante crucem Dei Filius in latrone, inerat ut causa, non ut sospitator; fur igitur, qui Deo ut causa plenus prius, vacuus tamen illo qua sospitator est erat, mittentis etiam munus est, non ut sit maior, sed penes quem auctoritas mittendi resideat. Mentibus vero insignioribus mitti dedecori est, quod terras petere minime possint, nisi caelum mittentemque relinquant. At Deo implenti, sicut diximus, omnia si mittendus sit, hisce rebus non eget, immo vero ut mitti possit ne moveatur quidem necesse est, quin illud magnae potius Dei praestantiae magnaeque laudi dandum est, quod loco non digrediens ac prorsus immotus ad beneficia accedat in eis collocanda, qui oras incolunt a caelo procul et repostas et diversissimas. Iam vero quod praetereundum non est, nosse oportet ad notionem ne ad essentiam pertineat ratio mittendi; quod quidem ad notionem cum originem dicat, quod vero ad essentiam, cum etiam donum notet et rem extrariam atque peregrinam. Volumus mittendi actionem inter initium locatam atque finem, ut initium dicatur is qui mittit, finis id ad quod mittitur, hoc est, munus benevolentiae conciliandae, et novo quodam modo inhabitandi. Quia itaque id mittendi opus ab auctoritatem habente proficisci debet, nullaque est in ea natura auctoritas, nisi solius originis, ut qua Pater Filium, vel qua Amorem uterque producit. Idcirco quatenus ab initio provenit, exitum progressumque significat eius qui mittitur ab eo a quo mittitur. Cum vero hoc ipsum alterum ab altero manare, non essentiae sit opus, sed originis essentia namque originem nec praebet nec accipit, ideo quatenus ea res prospectat initium, non ad

---

6 duo … dicimus *in marg. V* 9 aliique *N1 V* 10 non *sl. V* 12 accidit *V* 36 accipit] accidit *ac. V*

essentiam pertinet, sed ad notionem. Contra autem qua in finem procurrit, cum is extraria res sit quaedam ex eorum numero, quae et creantur et fiunt, eapropter non notioni tribuitur, sed essentiae; quidquid enim a Deo fit extra divinam propriamque naturam, id totius essentiae est atque omnium pari ratione personarum; vim namque quidquid a Deo conditur aspicit potestatemque divinam, quae quidem haud alia quam essentia est, inestque Parenti, Proli, Spiritui, et aequalis prorsus et eadem. Filium namque Parenti simillimum esse dicit Plato; quare et Deum esse dicat necesse est. Amorem vero Deum facit tam in Symposii libro, quam in Phaedro. Deus autem unus est Parmenidi; quare et una Parentis, Prolis, et Amoris est virtus rerumque aeterna potestas. Quod si quis scrupulosius rogaverit, utramne harum potius aspiciat ratio mittendi, etsi alii secus sentiant, cum enim alia auctoritas, quam originis, divinis non insit, notionem essentiae praeferunt; nos contra existimandum putamus; mitti namque ab aliquo quis potest, a quo non ducit originem, ut a Senatu civis, servus a domino, ab imperatore centurio, quis sat est mitti ab aliquo, cui mittendi auctoritas sit. Mittendi vero finis necessario a mittente concipitur, ut novi videlicet fiat aliquid eo in loco, quo se conferre iubetur is qui mittitur. Quod si qua natura sit, in qua is, qui mittitur, a mittente dimanet, id accidit mittendi rationi, non illius necessario sequitur comitaturve naturam. Quantum itaque ad mittendi rationem facit, etsi mittentis auctoritas divina aeternaque sit, finis vero atque id quod faciundum a misso est, sit factum atque mortale, quod tamen in primis mittendi actio aspicit, est finis, atque id quod novi fit in loco, quo se confert is qui mittitur. Quo fit ut qui his de rebus loquuntur, id quod contingit silentio involvant, id quod mittendo ex se ex igitur et prodant et eloquuntur. Alloquitur etenim Minervam apud Homerum Iuppiter, eamque in castra ad foedus confundendum transmittit; et quamquam ex se illam progenuit, id tamen praetermisit, quod vero faciundum ducit in castris, id minime praetereundum putavit aitque: ὑπὲρ ὅρκια δηλήσασθα, "foedera et transgredi et confundere." In utroque opere idem semper Homerus observavit et in Odyssea apud Ulixem et in Iliade apud alios: quidquid boni, quidquid egregii, quidquid praestanti laude dignum peractum est, nunc Minervae, nunc Phoebi, nunc aliorum auspiciis deorum factum

---

26–27 eloquantur *N2* 28 transmittit *sl. N2*

7–8 Filium … Plato] 6 Reip. 38 *N1 N2*; 6 Reip. 35 *V* 27–28 Alloquitur … transmittit] Il. 4 *N1 V*; Il. 4.70 *N2*

30 ὑπὲρ ὅρκια δηλήσασθα] Il. 4.67 *et* 4.72

significavit. Quae idcirco praecipue ficta sunt de diis, ut descendere mittique eos intelligamus ad nos, ut magnis quibusdam muneribus praestitis bene de genere humano mercantur. Nam venturam in terras divinam Prolem stellae similem praedixerat vates, ubi Deus Deo natus "specie inventus ut homo," sicut alter ait, iis qui habitabant tenebras lumen afferret, summique boni viam aperiret, quam non nisi a sole boni filio aperiri posse Plato voluit. Quis enim allato die noctem fugaverit, nisi nostrae lucis et dux et auctor sol? Divina siquidem Proles et Patris sapientia est ante orbem conditum in Patris sinu manens, et post orbem conditum in terra demissa mundi lux facta est, quem ad modum oracula nostra testificantur. Quare ob gemina divinae Prolis munera nunc Minerva ac sapientia, nunc sol et lux vocari consuevit, ut altero quidem in se ipsa fulgeat, altero viam ac summum bonum ratione utentibus manifestet. Porro quinque simul iuncta sunt, si Platoni divinarum rerum vestigatori credimus, quae humanum genus ad summum ducunt bonum. Primo quidem, ut ante diximus, aeterna divinae mentis constitutio, quae nobis praedestinatio, antiquis fatum appellatum est. Deinde ab errantibus ob culpam hominibus, et a perturbationibus quasi per avia ac deserta raptatis via monstranda est, quae dicta est a Platone Zoroastris magica cultusque divinus. Tertio loco mitti ad nos a Deo magistrum oportet, ut Plato nescio quo pacto vaticinatur, a quo veluti a legitimo praeceptore instituamur. Is autem ut nobis praesens adesset, mittendus ad nos fuit, ut factus is praesens nobis praesentanea dona elargiatur. Quarto adesse is nostris mentibus non potest, nisi precibus sacrisque invocetur. Nam si is Parentis est ars et virtus, atqui non nisi sacris ac supplicationibus virtus comparatur, id quod in Platonis Republica dicitur, is itaque divinus institutor numquam aderit, nisi precibus ritibusque religionis alliciatur. Idem Platonicus Maro scribit: "cessas in vota precesque, Tros, ait, Aenea, cessas? neque enim ante dehiscent attonitae magna ora domus," ut preces et sacra ad divina consequenda necessaria esse existimaremus. Nostri baptisma sacraque alia precibus adiunctis, ut nobis adsit Deus, necessaria arbitrantur. Est quinto loco sospitatoris nostri cognoscendum nomen. Is vero ad mentis tenebras et iniustitiam voluntatis abigendam

---

20 divinum *N1* 26–27 divinis *V*

6–7 summique … voluit] 6 Reip. *N1 V* 19–20 via … divinus] 20–22 mitti … instituamur] Alc. 1 *N1 V* 25–26 non … dicitur] 6 Reip. 17 *N1 N2 V* 28–29 cessas … domus] Virg. *N1 V*

4–5 specie … homo] Phlb. 11 28–29 cessas … domus] Aen. 6.51–53

missus Sol iustitiae dicitur. Quam sane rem in libro, qui de Iusto inscribitur (is de Republica agit) aperta praedicatione Plato recitat, ratus ad iustitiam, virtutem, summumque bonum adipiscendum, divinum solem, quem Boni Filium vocat, necessario cognosci oportere. Quinque itaque numeravimus, quibus nitendum est homini ad summi boni possessionem contendenti: fatum aeternum, hoc est, praedestinatio; via, quae pietas est atque religio; praesentia missi numeris; religionis actiones, ut preces, ut sacra; atque ille, qui haec omnia affert nobis, nosque iustos gratia et amicitia facit, Iustitiae Sol. Eadem ferme in Maronis versiculo ex Platonis imitatione significata sunt: "fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo"; quae quidem verba si accuratius audiantur animadvertanturque, intelligemus solem divinum Dei Filium adesse nobis a Parente missum, a quo originem ducit, ad ea tria perficienda, quae tum a Platone tum a Marone scripta sunt, ut praesens mentique illapsus faciat divinum impleri decretum, viam intrari veram, precibus praesentaneis summum homini bonum comparari. Verum si ita se res habet, ut, velut diximus, vocatus Apollo ad homines mittatur, alii sibi persuadere possent solum transmitti Filium, cum praecipue docere sapientiam mortales eius sit munus proprium, qui Dei sapientia vocatur. Alii rursus secus: si mittitur ad nos Deus, ut mentem nostram inhabitet, non ipse dumtaxat Filius, sed et Parens, et Amor inest nobis, ex Ioannis theologi testimonio, quare ut Parens etiam ad homines mittatur credi posset. Sed neque solum Filium, neque Parentem mitti fas est dicere; nam si, ut docuimus, eum mitti Senatus praedicavit, qui ab alio fluat, et aliquid ostendat novi eo in loco, quo mittitur, unde ab alio manare cognoscatur, ex iis duobus fit, neque Parentem, qui non progrediatur ex alio, neque solum mitti Filium, quippe qui nec solus proveniat ex alio, neque solus se ex alio provenire manifestet; itidem enim ab ipso etiam Spiritu aperitur, qui et manat ab alio, et ita iis, ad quos mittitur, ostendit. Parentis vero totiusque Trinitatis mitti idcirco non est, quod qua notat alium ex alio fluere, notionem praetendit soli Filio Amorique peculiarem; quam ob rem etsi etiam Parens cum Sobole animas et ingreditur et inhabitat, externa namque omnia communia sunt, mitti tamen cum aliunde manare significet, quod externum non est, ad Parentem non pertinet, sed ad Sobolem Amoremque dumtaxat. Addo his ex Augustini mei verbis receptum esse Filium a se

---

7 numinis *N2*

10–11 fata … Apollo] Virg. *N1 V*

1 Sol iustitiae] Mal. 4.2 10–11 fata … Apollo] Aen. 3.395

ipso etiam mitti non tantum a Parente; nam si Apelles tabellam candentem efficiat, non necesse et tabellam et candorem ab Apelle fieri, sed satis fuerit, si alterum tantum faciat, oblatamque tabellam candicantem reddat. Ita mittendi quoddam est genus, ubi non opus est ut a mittente proficiscatur qui mittitur, sed alterum tantum sat est, si novi aliquid in misso efficiatur; duo enim in mittendi actione claudi voluimus, et quod fluat ab alio is qui mittitur, et quod aliquid in eo novi fiat, utpote nova inhabitandi ratio, quae aliquid in misso novi collocat; aliquid inquam quod amisso si non re, saltem intelligentia seiungitur, ne quam rem novam rei et aeternae et divinae temere audentes inculcemus. Mittit itaque Filius se ipsum, non quidem quod edat gignatve se ipsum, aut quod idem est, ipse exoriatur aut fluat manetve a se ipso, sed quod aliquid novi statuat in se ipso, non re, ut dixi, sed sola intelligentia seiunctum. Verum ut sat est Apellem colore tingere ut albam tabellam faciat, ita ut alba tabella sit, alterum sat non erit, sed ut et tabella sit et albicans oportet; ita ut quis mittat sufficiet. Alterum vero quis mittatur alterum non sufficiet, sed opus erit tum alio ut fluat, tum etiam novi ut aliquid, qua diximus ratione, nanciscatur. Quam ob rem efficitur, ut Parentem mitti non modo ab alio, sed ne a se ipso quidem existimandum sit, cum eum qui mittendus sit, si non a mittente, ab alio tamen manare oporteat; Filius namque cum a se mittitur, etsi a mittente non fluat, ab alio tamen fluat necesse est. Non id Homerum latuit, qui Minervam nunc a Iove missam, nunc ultro sponteque ad suppetias mortalibus ferendas delapsam inducit; supra namque versus recitavimus, in quis filiam adloquitur Iuppiter. Testimonium ex Iliade citavimus, ex Odyssea id vero adduci potest, quod ipsa Iovem alloquitur questa Ulyxis exilia, quod ad Ogygiam cum Calypso voluptati det operam, patriae, parentis, uxoris, filii, et rerum oblitus omnium. Docet is ea fabula, saepe mortales a patriae itinere distrahi malis voluptatum illecebris, quae quos invaserint tanto reddunt dementiores quanto sapientiores offenderint. Nihil est enim quod sibi vel non licere vel non deberi sapientes putent, quod ii etiam sibi persuadent, qui vel acri ingenio vel insigni aliqua virtute praeditos se esse intelligunt. Quae quidem res in causa est, ut ignavi plerumque viri et modestiores sint et meliores, hac praecipue aetate, qua, sicuti longo experimento didicimus, pauci sunt qui boni habeantur, qui vero et habeantur et sint aut nulli aut certe longe pauciores. Faciunt enim

12 manetve *sl. V* 21 Homerus *V* 32 se *sl. V*

24–25 Testimonium … potest] Homerus *N1 V*

plerique id quod gulosi solent, quippe qui ieiunant non numquam, non cibo ut abstineant aut temperent, sed ut copiosius, licentiosius, plenius fruantur. Hos medio libidinum salo clausos Dei Proles accedit, non quidem quam Pater affatus sit uti descendat, sed quae Patrem affatur ut ipsa ultro volensque descendat; miserata siquidem mortales divina sapientia, ut illos e caeno ac tempestate eripiat, modo impii non sint, ad eos eruendos non iussa Parentis expectat, sed sponte atque ultro sese confert.

111. *Filium a Spiritu mitti, qui operum auctor est, ac Vulcanus, a quo retia indissolubilia atque infrangibilia*

Nec vero sat fuerit accepisse mitti a se ipso tam Filium quam Spiritum, quin, quod durius dictu est, Filium quoque a Spiritu mitti volunt, etsi non a Spiritu Filius, sed contra a Filio Spiritus dimanat; a Spiritu siquidem quamquam non Filius, Filii tamen acta originem trahunt; Trinitatis enim opera indiscreta esse receptum est. Ut vero haec omnia cognoscantur apertius, novem in mittendi orationibus occurrere nobis possunt rationes; quod enim ex divinis aliquis mittatur, aut enim de Parente dicitur quod a se, quod a Filio, quod a Spiritu mittatur, atque haec tria inusitata absurdaque sunt; aut quod a Parente vel Filius, vel Spiritus, vel a Filio Spiritus, quae quidem tres dicendi rationes et usitatae habentur et propriae, quod non modo opus missi, sed ipse etiam missus de mittente proveniat. Aut denique a sese vel Filium, vel Spiritum, vel etiam a Spiritu Filium mitti dicimus, tuncque tres has orationes et si non omnino proprias volunt, quod a mittente proficiscatur opus, non etiam is qui mittitur, receptas tamen fatentur atque usitatas. Opera autem quae ad animos alliciendos atque ad divina traducendos et quasi corporis et materiae pelago eruendos expiscandosque fiunt, in Spiritum auctorem referuntur, non solum quia in Trinitatem universam ac proinde in Parentem et in eos qui a Parente proveniunt, verum etiam quoniam eorum operum praestandorum auctoritas Spiritui Sancto peculiari quodam scribentium usu tribuuntur; nam de magnis atque admirabilibus actionibus canunt Psalmorum oracula, "emitte Spiritum tuum, et creabuntur, et renovabis

---

4 ut *N2* 9 111] *N1* 112 12 dictu] dictum *ac. V* 13 a *sl. N1*

32–468.1 emitte … terrae] Psalmus *V*

32–468.1 emitte … terrae] Ps. 103.30

faciem terrae." Quin Filium de Spiritu conceptum credi mandat pietas, quasi miraculorum efficiendorum vis, qua mentes humanae ad divina animadvertenda sollicitantur, in Spiritum velut in artificem referenda sit. Ita namque, ut iamdudum diximus, est per oracula proditum, quod omnium sit artifex; qua in re veterum Graecorum theologia verae religioni mirifice consentit: nam Ἥφαιστον κλυτοτέχνην, "Vulcanum deum ignipotentem," quo nomine Spiritum signari docuimus, "inclytum artificem" appellavit Homerus. Mittendi quippe fuerant piscatores, ut sacer olim vates premonstraverat; sed quibus iam retibus, quibus vinculis aut alios ceperunt aut ipsi prius irretiti sunt? profecto non nisi iis, ad quae cudenda ipse Spiritus: ἐν δ' ἔθετ' ἀκμοθέτωι μέγαν "magnam in cudendi loco includem collocavit." Porro nodi ac vincula alia aut solvi arte aut vi disrumpi possunt; arte enim naturae terrae pondus solvi potest, quando in levia elementa verti terra potest; omnia namque corpora, quae mortalia sunt, verti inter se possunt, Aristotele teste. Sed una naturae id ars facit, vis alia haud plane ulla id facit. Contra Alexandrum nodos adinvenisse prodiderunt, qui cum solvi arte non possent vi ferroque soluti sunt. At retia, quae Spiritus excudit ad hominum piscatores instituendos instruendosque, nec arte solvi, nec vi perfringi ulla potuerunt; iis namque retibus irretitus nemo, inquit Deus, eruet de manu mea. Quis referat quibus artibus, quo studio, quibus et disputationibus et scriptis solvere conata sint vafra philosophorum ingenia religionis nodos? Solvere tamen idcirco non potuere, quod a Spiritu artifice mirifico fabrefacti sunt. At Romani Numae libros, qui philosophiam continebant, iure urendos curarunt, quod iis solvi posset Romana religio; constat enim illam daemones constituisse, non Deum. Porro quot reges, quot tyranni, quot imperatores his piscatoriis retibus vim inferre conati sunt! quot sancti viri caesi! quot etiam sanctarum agmina feminarum! quibus ignibus, quibus ensibus, quibus tormentis non usi sunt, ut quando sancta retia solvi ratione non poterant, vi gladiorum saltem infringerentur! Sed quoniam divinum opus erat divini ante Spiritus fabricatum, nec frangi potuit ferro tyrannorum nec rursus philosophorum ratione dissolvi. Quam docte itaque ab Homero utraque virtus retibus et vinculis Vulcani data est, quod neque

16 Alexandrum] Alexanderum *V*; Alexander *N1* 22 conata *sl. N1* | vafra *sl. V* 27 retibus *sl. N1 V*

25 religio] *asteriscus N2*

6 Ἥφαιστον κλυτοτέχνην] Il. 18.143 *et* 18.391 11 … μέγαν] Od. 8.274

frangi, neque solvi possunt! Ita enim ait: κόπτε δὲ δεσμοὺς ἀρρήκτους ἀλύτους, ὄφρ' ἔμπεδον αὖθι μένοιεν "vincula excudit et infracta et indissolubilia, ut firma constantiaque permanerent."

112. *Filium mitti missione invisibili. De cognitione Amori iuncta. Pallade, Phoebo, Venere, diversae factionis*

De Filio iam indagandum superest, quonam pacto ad nos insensibili profectione transmittatur. Nam si ea, quae cuique propria sunt, seiungi, Aristotele teste, non possunt, at Dei Filium soli simillimum Plato arbitratur; utrique sua peculiaris inest lux; ut enim solis lux oculis aspectum, ita Verbi lux mentibus sapientiam efficit, quae est intelligentia, qua divina cognoscimus. At intellectus munera gratum Deo reddentia non sunt, quippe quae possint etiam malis esse communia. Quam ob rem per ea Filius minime transmittitur; numquam enim in terras Deus legatione fungitur, nisi ad eos, quos sibi et gratos simul efficiat et amicos. Quod si per sua Filius dona non accedit, per aliena accedere putandus non est; quare an mittatur, in ancipiti fortasse existimetur. Adde quod nihil est aliud Deum ad nos mitti, magno Augustino teste, quam cognosci; quod si vere ad nos transmitteretur, vere in nobis esse dignosceretur. At nulli mortalium id vere compertum est in se habere Deum; nemo enim odio an amore se dignum esse novit. Quas ob res an transmittatur Deus, iure optimo quis addubitaverit. Iam vero tria sunt, quae Deo tribuimus in divina profectione, varia longe inter se atque diversa. Primum accessus occurrit, qui tam ad flagitiosos damnandos, quam ad probos complectendos accommodatur. Est deinceps venientis inhabitatio, quae in solis est iustis, universae tamen Trinitati communis, sicut illud testatur oraculum: "ad eum veniemus et mansionem apud eum faciemus," ubi tam accessus, quam ipsa inhabitatio significata est. Est tertio legatio et transmissio, quae praeter novam inhabitandi rationem ab alio proficisci significat. Quocirca quamquam Pater et venire ad nos et nos inhabitare dicitur, ad nos tamen mitti non dicitur; Filium tamen et Spiritum, qui et nos inhabitant et proficiscuntur ab alio, ad nos transmitti consentaneum est. Nec ea procedit ratio, quae idcirco legatum non esse Filium contendebat, quod

1–2 … vincula] *rescripta in marg. V* 4 112] 113 *N1* 17 aliud *sl. V* 25 tamen] tn *abbr. N1*; in *V* 29 Pater *om. V* | nos *om. V*

1–2 … μένοιεν] Od. 8.274 f. 26 ad … faciemus] Io. 14.23

per sua et intellectus munera non mittatur, cum ea sint bonis malisque communia. Nam, ne a lucis comparatione abeamus, duo in rebus videmus lucis genera, alterum quod micat dumtaxat, ut in cecindela, ut in quercu quadam ratione putrescente; alterum, quod cum fulgeat et calefacit simul et accendit, ut in flamma, ut in sole videre est. Ita intelligentia divinarum rerum altera aliquid nobis aperit de Deo, non tamen nos accendit ad amandum Deum, ut quae ex sensu mortali oritur, quae putrescenti quercui comparatur, incorporeus enim noster sensus est quem quandoque putrescere necessarium est; ut rursus quae fide et oraculis accipitur, caritati tamen et Amori non iungitur, atque ideo cecindelae similis fuerit, quae et si in capientis manu micat, manum tamen minime excalefacit. At altera divina cognitio est, qua et Deum novimus rerum omnium esse finem optimum, et ad illum observandum amandumque trahimur, illiusque potiundi gratia omnia vitae munera desudamus. Ex quibus quidem fit, ut haec vera sapientia sit, quae causam causarum et finem bonorum omnium nobis non solum ostendit, sed etiam adiungit. Cumque divus Augustinus Verbum definiat, quod sit divina cum Amore notitia, ita ille Verbi munus habet atque imaginem, qui non notitiam tantum habet, verum etiam Amori coniunctam, philosophi vero et qui intelligentiam ab Amore seiunctam nacti sunt, ii non sapientiam neque vivam Verbi imaginem, sed inanem potius et mortuam sapientiae umbram sortiti sunt, Narcissi more non viventem puerum, sed inanem tantum effigiem adamantis, quae non modo vita caruit, sed et vitam ipse etiam eripuit amatori. Utramque cognitionem divinam Homerus complexus est, alteram in Pallade apud Graecos Veneri adversarios, alteram in Apolline apud Troianos Veneri acceptissimos. Nam, Paulo teste, Graeci sapientiam quaerunt, quam ut asportarent in Graeciam, in Aegyptum saepe navigavere, atque a Minerva urbem Athenarum appellitavere. Verum quoniam Graecorum philosophia e sensu ducta est, a sensibus semper pendet, nec quidquam amare potest, nisi quatenus prospectat sensum. Iure ergo Homerus Minervam dat Graecis Veneri inimicam. Mittitur itaque Filius cum intelligentiae munere, non quidem intelligentiae cuiusvis, sed quae Amori connexa sit, quae plane bonis malisque commu-

12 excalefacit *V* 20 ii *om. N2*; i *V*; 21 mortuam *sl. V* 31 Veneri] a Venere *ac. N1*; Venerem *V*

2–3 duo … genera] "Lucis genera duo" *N1 N2* 17 Verbum] Verbum *N1*; Verbum quid? *N2* 20 sunt] *asteriscus N2*

26–27 Paulo … quaerunt] 1 Cor. 1.22

nis esse non potest, sed bonis tantum iustisque concedi solet, quae non libris, sed probitate non lectionibus, sed inspirationibus, non praeceptore homine, sed Deo illustratore perficitur. Experientiae intelligentiam sacri vocant, quam Plato in Epistolis non obscura, sed apertissima sententia scriptam reliquit, quod non longis studiorum ambagibus, sed statim ex divina consuetudine quasi subita lux erumpat in anima. Ubi Isaiae verba agnosces; quod si peccatorum a te catenam auferas, tunc erumpet quasi mane lumen tuum. Nec efficitur ut semper inhabitantem cognoscamus, sed quod inhabitans Deus in promptu habet, ut se nobis aperiat, cum animis se nostris insinuavit. Quod si Filii Spiritusque legationes comparentur inter se, distinctas inter se illas quidem facimus, inseparabiles tamen. Ex duobus siquidem, quae ad legationem pertinent, distinctio deprehenditur, tum quod ab altero manat alio exitu Filius, alio almus Spiritus, tum quod nova inhabitandi ratio Filii alius longe efficit, quam efficiat Spiritus; ille namque dat sapientiam, et intellectum excolit, hic Amorem excitat et excolit voluntatem. Quamquam tamen ita est, quod utriusque legatio alia atque alia est, altera tamen ab altera separata non est; numquam enim Deus ad quemquam mittitur, nisi iis cum muneribus, quae Deo gratum excipientem faciunt. At ea munera iuncta inter se sunt atque connexa tam intellectus contemplatoris, quam amatricis etiam voluntatis. Quam ob rem uterque simul legatione fungatur necesse est, tam is qui lucem intelligentiae, quam is qui voluntati incendia subministrat. Verbum etenim, qui a sacro vate "sol intelligentiae" vocatur, Apolloque divinus, diem affert cognitionis ac lucis radiis intelligentiam excitat ad summum bonum animadvertendum. Eidem semper praesto adest Venus, quae Apollini iuncta facit ut ille arcum sumat, et illi idem radii, qui intelligentiam luce complebant, sagittae pennatae sint deargentatae columbae, quae avis peculiaris est Veneri, et feriant voluntatem, ut bonum illud summum, quod Phoebi radiis visitur, Veneris sagittis adametur. Nam cum divina Venus, quem Spiritum Sanctum ipsi nominamus, eloquia Dei in oraculis argento comparaverint ob suavissimum argenti et sonum et colorem; ita divina intus eloquia tanta suavitate efficiunt, ut rite excipientem persuadeant. Suada medulla itaque, ut quidam aiunt, et suadela ad amorem excitans argenti symbolum habet. Quare et columbam nostrae Veneris deargentatam

---

4 apertissimam sententiam *V* 5 scriptam *in marg. V* | ex *om. V* 17 seperata *N1 V* 27 sagypte *N1 V* 29 sagyptis *N1 V* | cum *sl. V*

1 potest] *asteriscus N2* 6 anima] "6 Nov. 1786" *N2*

7–8 tunc … tuum] Isa. 58.8 34–472.1 Quare … faciunt] Ps. 67.14

oracula faciunt, et arcum quo Phoebus Veneri iunctus utitur, argentem esse volunt, quod qui eam sapientiam capiunt, non quam sensus et Minerva Veneri adversaria, sed quam verbum sol noster Veneri iunctus infuderit, illi vere sapientes, illi maria emensi in portu tuti quietique sunt, illi summo bono vel cominus in patria vel specia certa in hac peregratione potiuntur, ac quatenus fieri potest beatissimi sunt ex inseparabili illa Phoebi Venerisque socitate. Altissimam ac felicissimam hanc bonorum sortem ita scribit Homerus, iis duobus tribuens quae inhabitatis animis afferre illi solent: οἳ δὲ ἔκηλοι τέρπονται Κύπρίς τε καὶ ἀργυρότοξος Ἀπόλλων, "Venus atque argentarcius Apollo quieti delectantur"; ubi vides utrumque iunctum argenteo cum arcu et quiete et voluptate, hoc est, stabilissimo summi boni gaudio frui et bonis mentibus fruendum praebere. At cetera mortalium turba vel Deum ignorat ac sapientia caret, vel si quid novit, in exitium novit; Minervam enim Graecos, quibus affuit, aut morte aut longis exiliis vel calamitatibus affecit; ut sibi prospiciant qui una Minerva, spreta Venere, et humana sapientia, contempta pietate, superbiunt. Ii enim aut voluptate non fruuntur, aut minime stabili fruuntur: οὐ γὰρ ἔκηλοι, "non enim quieti sunt" qui fluentibus innituntur rebus. Minervae vero nomen pro sapientiae nomine usurpat Homerus, quod quidem divinae humanaeque commune est, ac proinde varium, ut quandoque Prolem divina intelligentia natam, quandoque notitiam e sensibus progenitam significet, quae plerumque et si sapientiae sibi nomen arrogat, "stultitia" tamen "est," teste Apostolo, "apud Deum," cum in veri vestigatione hallucinetur, deinceps perniciosa efficitur atque impia audens indicere bellum Deo, denique fit daemoni similis; suos enim ita inficit, ut bonum non possint neque agere neque suspicere. Hanc Homerus etiam ipse vocat ἄφρονα κούρην οὐλομένην, et in deos, δαίμονι ἶσος. Sapientia namque humana cum naturae vim admiratur, cum materiam, cum genituram rerum, cum caelum, mundum, et mundi conversiones aeternas facit, nihil aliud facit, quam quod philosophos Graecae sapientiae amatores quasi Graeca Minerva in bellum adversus Apollinem et Venerem, hoc est, adversus pietatem et adducit et armat. Scientiam vocat Apostolus attollentem se adversus scientiam Dei; haec namque non ex

10 argentarcius] argentarius *N1* (*pc.*) *V* 16 contempta *sl. V*; contenpta *N1* 18 qui *om. N1* 29 genituram *sl. V*

1–2 arcum … volunt] Arcus Apollinis argenteus. *N1 N2 V*

9–10 … Ἀπόλλων] Il. 5.759 f. 23 stultitia … Deum] 1 Cor. 3.19 27 ἄφρονα κούρην οὐλομένην] Il. 5.875 f. | δαίμονι ἶσος] Il. 5.884

veris oraculorum, sed ex suasione sensuum et confictarum fallacia rationum. Platonicus Maro exitium eorum, qui Graecam Palladem solam contra oram Veneri Phoeboque sacram sequuntur, ita cecinit, unum ex Palladis sectatoribus introducens: "quicumque Iliacos ferro violavimus agros, supplicia et scelerum poenas expendimus omnes," et alia quae latissime sequuntur. Finem imponam huic sententiae, si adiecero legationes missionesque has, si terminos aspicias, esse temporarias; exitus enim, qua Verbum manat, ut sit Deus, aeternus est, sed ut sit homo, vel ut sit in homine, non aeternus est sed in tempore fiat necesse est.

113. *Missio ad quos fit? ad tres Ecclesiae partes: veterem, novam, beatam. De mensa gratiae et connubio gloriae*

Sequitur legationem divinam fructus ac commodum divinissimum, quod demonstrata legatione iam ostendendum est; facile enim ex causis et initiis ea, quae ex iis oriuntur, intelligi possunt atque deprehendi. Primo itaque quibus agris legationis fructus serantur colliganturque? Nam non nulli ad saxa, ad parietes, ad loca consecranda mitti Deum credere forte possent, cum sacrandi sanctumque reddendi gratia mitti soleat. Atqui montes plerique sancti, templa sancta, altaria sancta, sancta flumina, civitas sancta, tellus sancta vocitata est, sicut Mosi, sicut prius ipsi Iacob dictum est. Quo fit, ut ad ea loca missus Deus fuisse videatur. Sed id sacro Senatui haudquaquam placet; nam si, ut maximum Senatus columen Augustinus prodidit, mitti cognosci est, quod fluat ab altero, et, si ad aliquem quis mittatur, eo proficiscatur oportet, ubi ad quem mittitur se se continet; cum tamen iis solis rebus cognosci Deus possit, quae ratione sunt praeditae; idcirco ad eas dumtaxat mitti consentaneum est. Vetus adagium est pares cum paribus, simile simili, ut corpus corpori, et mentem menti facile coniungi, ut flammae omnis sursum in ignis oram, ac deorsum flumina in maria proferuntur. At quamquam nihil par, nihil omnino simile Deo est, cum tamen mens sit Deus, si cui admovendus, si cui iungendus umquam fuerit, par est ut non nisi menti iungi videatur, ad quam cum mittitur, ad sacrandam illam sanctamque efficiendam accedit;

---

10 113] 114 *N1* 21 haudquamquam *N1 V* 24 tamen] tm *abbr. N1*; tum *V* 25 eas] ea *N2* 27 ut *sl. V* 30 iniungendus *V*

4–5 quicumque … omnes] Virg. *N1 V*

4–5 quicumque … omnes] Aen. 11.255, 258

quod fit, cum gratia illa amicitiaque dignatur. Dignatur autem bifariam, vel mensa et convivio, vel cubili atque connubio; ab illo quandoque surgitur, hoc qui adierit numquam derelinquit. Quare de miserrimo omnium, qui nec vivens ad convivia gratiae, nec obiens ad gloriae quietem admissus est, ita Platonicus vates utrumque complexus est: "nec Deus hunc mensa, Dea nec dignata cubili est." Utrumque et Solomonis Cantica et plus quam Solomonis Evangelia usurparunt, quae nunc gratiae convivia, quae finem non numquam inveniunt, nunc sponsi sponsaeque connubia memorant, quae stabilia aeternaque cum sint, numquam finem faciunt, numquam desinunt. Diximus agros, in quis divina semina seruntur, quod non nisi ea sunt quae vel mente vel ratione potiuntur. Diximus ea bifariam secta esse, quaedam convivia gratiae in terris, quaedam connubia gloriae in caelo possidere. Pars agri, quae caelum tenet, lucem sibi beatissimam connubio iunxit, stabili firmamque dicavit. At pars, quae terras incolit, numquam eodem se modo habet; temporis et fluvii labentis more fluit. Secatur rursum eadem in partes duas, in veterem et novam. Quare Domini Dei praedium, quod nunc campus, nunc vinea, nunc ager, nunc domus, nunc civitas, nunc ecclesia nominatur, dividitur in partes tres, in veterem, in novam, in caelestem; illa Parentis potestati orbem condenti accommodata est, altera sapientiae orientis Filii, postrema summo bono respondet, Sancti Spiritus, cuius impetus, ut in Psalmo canitur, laetificat civitatem Dei, hoc est, caelestem illam partem late beat. Verum enimvero ad primam vineae partem, quae vetus dicta est, non missum fuisse Deum quis putaverit; nam si Pater non mittitur, Filiusque sine Spiritu non accedit, cum Spiritus abest, Pater Filiusque absit necesse est. Atqui in Evangelii oraculo proditum est, quod nondum Sanctus Spiritus erat datus, cum esset nondum Filius gloriam assecutus. Quod si Spiritus nondum datus erat, efficitur ut nondum missus fuisse videatur. Sed hoc verum non est; volunt autem Evangelia Spiritum nondum missum fuisse eo clarissimo accessu, quo caelum sonuit, ignis fulsit, linguae visae sunt, Apostolorum impleta sunt pectora, voces omnium gentium auditae, tantaque Spiritus inundatione duodecim illi fontes impleti sunt, ut mundum irrigarint universum, et in omnem terram eorum sonus exiit. Vult itaque Evangelium, quod Spiritus insigni hac manifestatione datus nondum esset,

8 non *sl. V* 11–12 bifaria *V* 15 modo se *tr. pc. N2* 18 treis *N1 N2* 22 late beat] latebeat *V*

5–6 nec … est] Virg. *N1 N2 V*

5–6 nec … est] Ecl. 4.63 21–22 ut … Dei] Ps. 45.5

non quod ad Patres missus non fuisset, ad quos quidem et Spiritum et Filium invisibili ratione missos esse testatus est, cum plenos Spiritu prophetas locutos fuisse et constet et ab Apostolis proditum apertissime sit. Diximus de prima agri parte, ad quam Deum missum esse accepimus. Nunc de secunda dicendum, an ad Christum secundae partis initium missus dici ulla ratione possit Deus. Quod si quicumque mittitur, non eo mittitur ubi prius erat, sed eum in locum a quo prius aberat; at Deus a Christo numquam aberat; quare fit, ut quis ne mitti quidem ad eum potuisse suspicetur. Sed missus initio conceptus Christi est Spiritus, de quo extat oraculum Isaiae implesse eum Deum Spiritu sapientiae atque intellectus. Aberat autem distabatque a Deo Christi anima, natura, non spatio, antecessitque anima gratiam non tempore, sed natura. Fatemur itaque non temere ad Christum Spiritum missum fuisse, quod et ratione ostenditur, et veterum oraculis confirmatur. Ad utriusque etiam temporis homines volunt mitti Spiritum, non modo cum gratia primo tribuitur non habenti, verum etiam cum augetur habenti; et quamquam plerique statuant id eveniat quoties data gratia augetur, frequens tamen Senatus censet tunc in auctu mitti Spiritum, cum gratiam habenti novi cuiusque muneris usus tribuitur, qui prius minus aderat, ut si vel vaticinari, vel linguis loqui variis, vel mira facere alicui in gratiae auctu conferatur. Sin vero nullus novus sit doni usus, quantumvis crescat gratia, non ulterius Spiritum transmitti oportere. De tertia quoque agri parte, quae iam caelo potitur, non nihil agendum est, ad quos non mitti Deum putaveris, si animadverteris novum illis non dari munus ullum; et cum tam angeli, quam felices animae non in peregrinatione, sed in patria iam finem summumque adeptae sint bonum, nihil in eis esse quod possit excrescere. Sed etsi missus ad illos initio beatae vitae Deus est, cum non iam per humanas cenas, sed per caelestia connubia lumenque gloriae coniunctus est illis; usque tamen ad diem mundi ultimum saepissime ad illos Deus mittitur, cum nova rerum agendarum illis manifestatio fit. Quod si vel gratia illorum vel gloria intendi non potest, extendi tamen nihilominus potest. Actum iam est de tribus agri sacri partibus seorsum; nunc illae invicem comparandae sunt. Nam cum mitti constet Deum ad partes omnes, de duabus, quae inchoatae sunt et terras etiam nunc incolunt perquirendum est, ad utram earum plenius uberiusve sit missus, ad animas veteris an novi instrumenti. Nam praeter incredibilem consuetudinem

14 veterum] veteris *ac. V*

10–11 extat … intellectus] Isa. 11.2

ac familiarem quamdam amicitiam, qua Deus cum patriarchis conversatus est, ut a Mose proditum est, est et novorum scriptorum testimonium, quo vetera novis anteferri videantur. Vult enim summae in Senatu auctoritatis vir Augustinus Iohannis caelibatum Abrahae coniugio non praeferri; qua ex re coniicere est, res novas, quae a Christi vel ortu vel obitu exordium ceperunt, veteribus uberiores minime fuisse. Verum cum comparantur aliqua, aut res rebus aut status statui comparari potest, ut si mel vino compares naturamque naturae, erit mellis natura longe dulcior; fieri tamen potest, ut vinum quoddam quodam melle sit dulcius, cum et venenata et amara cum loca alia tum ipsa Cyrnus ferat. Ita uberius novae legis hominibus missus est Deus, si statum statui in universum compares, nihil tamen prohibet quosdam vixisse in prisca lege viros quibusdam legis novae praestantiores; nam Iohannes qui veterum rerum extrema occupavit, manifeste ait: "de plenitudine eius omnes accepimus"; tempus enim novum tempus plenitudinis appellatum est, tum quod is in eo fuerit qui Spiritu sapientiae et intellectus plenus fons plenitudinis dicitur, tum quod duodecim illi fontes tanta spiritus exuberantia referti sunt, ut orbem universum resperserint. Postremo duae terrarum partes cum tertia, quae caelestis est, conferri possunt; nam licet anima corporeo carcere occlusa dum hic vivit in terris esse videatur, modo tamen quodam fieri potest, ut caelum obiter habitare dicenda sit; est siquidem in terris essentia qua corpori nexa est, potestate tamen ac mente illic esse dicitur, ubi id est, quod cogitat et considerat. Eo tendit Virgilianum illud: "quid loquor, aut ubi ego sum?" non enim se Carthagine esse ignorabat, sed a cogitationum fluctu alio se perferri sentiebat. Quam ob rem cum caelum, cum caelestes delicias volutamus animo, cum beatam illam partem tertiam oculis mentis aspicimus, tunc non in terris sumus, sed beata caeli culmina habitamus. Non desunt oracula, quae idem fateantur nam; ad Philippenses Apostolus scribit, quod "conversatio nostra in caelo est"; cui praesto adest omnium acutissimus Augustinus meus omnium sacrarum scripturarum rationem disquirens, aitque quod quoties aliquod aeternum mente capimus, in hoc iam mundo non sumus. Verum etsi ita sit, quod illic sumus ubi ea se continent quae mente cogitamus, non tamen proprie qua cogitamus, sed qua amamus, non qua intellectu, sed qua affectu movemur

18 postremae *N2* 21 sint *V* 28 quem *N1* 29 conversio *N1 V*

21 caelum … sit] Anima in caelo habitat. *N1 N2* 23–24 quid … sum] Virg. *N1 V*

14 de … accepimus] Io. 1.16 23–24 quid … sum] Aen. 4.595 29 conversatio … est] Phil. 3.20

illud fit. Nam, ut Peripateticis passim dicitur, cognitio et rerum motus ad nos, amor est motus noster ad res quas adamamus; intellectu enim non res nos accipiunt, sed res ipsi aut rerum imagines suscipimus animo, at amore ita a nobis trahimur, ut in ea quae amamus tranformemur, in illisque ipsis extra nos ipsos positi, affectu transferente, collocemur. Cui consonat illud Virgilianum, quod ante recitavimus; id enim poeta prudentissimus, et Platonici Symposii probe memor, non contemplanti, sed amanti dedit; non enim qua cogitabat, sed qua ignibus amoris ardebat Dido in ea verba prorupit. Non itaque studium litterarum, sed amor divinorum efficit, ut corpore in terris quamquam simus, caelum tamen animo atque affectus opera habitemus. Ridet Architam Horatius, quod caelum sola cognitione conscenderit: quid prodest, inquit, "aerias," tene "domos animoque rotundum percurrisse polum morituro?" non enim disciplinarum eruditione, sed amoris alis atque beneficio et caelum vere incolimus et beatam immortalitate donamur. Cum itaque Deus ad nos mittitur, quoniam illustrata Verbo mente, divino Amore affectus accenditur, idcirco in caelum ferimur, quo geminae nos columbae ducunt, quae e tertia ecclesiae parte proficiscentes, in humum et duas agri partes se conferunt: "geminae cum forte columbae caelo venere volantes, et viridi sedere solo"; ubi agnoscis terrestrem caelestemque bonorum partem, et quod altera ascendit ad alteram, non aquila Iovis, non Apollinis cygno, sed geminis dumtaxat columbis, quae symbolum continent et Veneris et Amoris. Mittitur autem ad nos in caelum transferendos divinus ille Amor in columbae forma, quae ideo bina mittitur, non quod duo divini Amores sint, ut neque duo sunt Verba, sed cum in nostrorum animorum agrum mittitur geminos amores accendit, alterum quo finem, alterum quo ea quae haerent fini, animo atque affectu complectamur. Quibus quidem duabus alis ita ab humanis rebus attollimur, ut dicere cum duce nostro audeamus: regnum nostrum non est de hoc mundo, sed iam tenemus caelum, iam felici beatique agri parti annumeramur.

11 habitemus] *asteriscus N2* 12–13 aerias … morituro] Hor. *N1*; Hom. *V* 19–20 geminae … solo] Virg. *N1 V*

12–13 aerias … morituro] Car. 1.28.5–6 19–20 geminae … solo] Aen. 6.190

DISTINCTIO XVI

114. *Missio externa possibilis*

Hactenus interna occultaque ad mentes legatio expedita est; nunc tractandum de externa est atque sensibili. Ambiget forte quispiam, an mitti hoc pacto Deus possit; nam cum omnia, quae sunt, aut corporea sint, aut incorporea, corporeis adesse novo pacto Deus non potest, cum in omnibus rebus praesentia, essentia, potestate sit, in corporeis vero mentibus gratia iungitur, aut ut uni Christo ineffabili personae unitate. Si itaque non mittitur, nisi novo quodam adsit modo, cum modus alius praeter hos non appareat, quaenam sit visibilis mittendi ratio non apparet. Quod si dicas, in sensibus sensilibus uti in divinitatis signo manifestari, id nihil efficit; nam nihil plane rerum esse potest, quod Dei signum non sit veluti communis omnium et auctoris et causae. Oracula tamen habent visibilibus indiciis corporum apparuisse Spiritum, quare mittendi apparendique ratio perquirenda est nobis. Cogitandum itaque est, animas humanas aut vacuas oriri (ut Peripateticus sonat) aut plenas intelligentia natas, corporis tamen obiice fluxuque oblitas, ut intelligant sapiantque sensum desiderare, quo primo et comprehendantur sensilia et per ea intelligibilia cognoscantur. Si itaque ad divinorum intelligentiam sensus sensiliaque necessaria nobis sunt, Deus optimus sapientissimusque, qui necessariis rebus deesse non potest, ut et divinitatem et exitum Verbi Spiritusque ⟨legationem sensibilibus ostendat necesse est⟩ vestigiis imaginibusque sensilium ostendit, ita Verbi Spiritusque legationem sensilibus ostendat necesse est. Quam ob rem ut utraque persona dimanans, quae legatione fungi potest, sensilibus apparet indiciis, est non modo conveniens, sed etiam necessarium. Neque nova deest ratio, qua adesse possit rebus Deus, ut scilicet signum sit divinitatis, non tantum communi significatione quod sit, sed singulari demonstratione quod in eo, ad quem foris mittitur, inhabitans intus sit. Quod dicitur, omnia esse divinitatis indicia, dicimus id quidem verum esse, sed modum indicandi esse diversum;

---

2 114] 115 *N1* 19–20 sensilia *V* 21 et ut *tr. V* 22 legationem … est *inser. hoc loco N1 N2*(*ac.*) 22–24 vestigiis … est *om. N1* 29 dicimus *N2*

unus quidem est naturae modus, quo omnia in Deum auctorem referri manifestant; alter mysterii aperiendi causa tantum, ut quoties angelorum ministerio veteribus apparuisse legitur Deus; tertius est, cum gratia non necessario data, sed indicata potius, ut circumcisio patrum; quartus qui gratiam modo quodam efficit, non tamen necessario, sicut in fingente Evangelii sacramenta; quintus ab iis omnibus longe abest; namque gratiam indicat in eo cui apparet necessario praeexistentem, id quod modorum aliorum nullus obtinuit; nam partim gratia carent, partim non necessario illam habent. At haec clara apertaque legatio ad nemimem umquam facta est, nisi in quo gratia antecederet, et illa insignis quidem atque singularis. Id non omiserim, multum referre an Deum apparere, an mitti quis dixerit; solus enim Filius cum Spiritu mittitur, cum etiam Parens soleat apparere; nam qui legationis ius habent, ordinem praeseferunt, quod proficiscantur ab altero. At cum tres illi apparuere Abrahae, nulla ab altero profectio, nullus manandi ordo significatus est. Deniceps iis solis Deus mittitur seu clam seu etiam apertis indiciis, qui amicitia divina donati sunt, cum tamen iis quoque appareat, qui ea amicitia caruere. Missus est enim ad Apostolos solus, eosque viros sanctos, in linguis igneis Spiritus, quorum mentes occupaverat; at illis quoque apparuit, quorum mentes nondum illapsus attigerat. Praesefert itaque legatio aperta et illius ordinem, a quo quis proficiscitur, et divinam in eo benevolentiam, ad quem mittitur. Quorum quidem, cum apparere quis dicitur, neutrum intelligitur; non enim missa columba est, nisi ad Christum, quem Spiritus divinus impleverat; quae tamen universae apparuit turbae, quae numquam munus fortasse Spiritus inhabitantis acceperat. Diximus paulo ante ad quos clam intus mitti Deus, soleat; nunc ad quos palam mitti oportuerit examinandum est nobis. Si quis autem tanta re tantoque divinae amicitiae testimonio dignus fuit, eo antiqui patriarchae dignissimi visi sunt, quippe qui Deo non modo amici, sed et acceptissimi fuerint et primi. Aetas quoque posterior copiosissimas habuit divorum familias, ut prius in Augustini Eremis, postea in Francisci Dominicique republica, ubi viri Sancto Spiritu pleni apparuere, qui patrum multos vitae sanctimonia, famae celebritate, miraculorum signis aequavere. Cur igitur Spiritus, qui ad eos in mentes copiosissime missus est, foris non etiam eisdem apparuerit, haud plane video, cum praecipue fides quo a suis initiis magis magisque procedit, aquarum a fonte recedentium more ac per caenum limumque transeuntium, eo degenerat a prima et praestantia et

4 necessario] nob (ncro *sl*) *N1*; nobis *V* 20 attingerat *V*

claritate magis, ac veluti animantium hominumque vita principio quidem viget, viget gliscens adolescensque, postea vero in dies et labitur et deficit ingravescens; est enim senium obnoxium morbis et medicinarum indigum, quas aetas prior ne cogitat quidem. Quin et ipse fidei auctor cum id futurum in senio rerumque humanarum et religionis coeptae sentiret: "putas," inquit, "cum venerit Filius hominis, inveniet fidem super terram?" Si mundo in occiduum vergente fides occidit, nunc ad illam confirmandam mitti Deum signis manifestionibus oporteret. Praeterea ad Christum missus est Spiritus, ad quem mitti parum opportunum videtur; nam si cum mittitur Deus nova aliqua inhabitandi ratio necessaria est, cum Christo post ortum nihil novae habitationis, nihil novae gratiae datum sit, cur tunc columba venerit non apparet. Denique si non iniuria, si non temere quidquam agit Deus, cum maiori maiora ac praestantiori praestantiora debeantur, quid est quod duodecim illis parum luminis, parum mentis habentibus, mitti Spiritum voluit, Virgini parenti, qua nihil melius, nihil divinius, (si a Prole abeas) tellus genuit, nulla singulari ratione mitti voluit? Cum praesertim ad gratiae plenitudinem significandam ea signorum claritudo data atque excogitata videatur, solaque virgo inventa sit, quam divinus e caelo nuntius divina plenam gratia appellaverit. Scire nos oportet tria fuisse in causa, ut Spiritus insigni apparuerit manifestatione, tempus, actio, necessitas. Temporis plenitudo, quae solum tunc facta est, cum Deus homo ac Verbum caro factum est, quo non modo Deus ut prius fuit in homine, sed etiam unum cum homine fuit factus homo. Actio quoque excellentissima demonstrata est, quod illi, ad quos est missus, vasa fontesque cum Christo duodecim facti sunt, unde aquae et scientiae salutaris et baptismatis aliorumque sacramentorum in alios manarent atque defluerent. Postremo ut planta, ut infans eam curam initio postulant, quam aetate adulta postea non desiderant, ita et mathematicae primas quasdam propositiones ratione confirmant, posteriores postea non item ratione, sed confirmata propositione defendunt; ita fides cum perinde vel atque infans educanda vel atque planta educanda erat, populo et rudi et minime credenti ostendenda manifesta signa necessario fuere, ut quasi lacte puer vel quasi irrigatione planta enutriretur; nec vero rebus iamdudum rite confirmatis quantum vis aegrescat senium etsi medicinas requirit, lac certe non appetit. Da itaque Abrahae,

6 putat *V* 21 Temporis] tempus *ac. V* 27–28 Postremo … desiderant *in marg. N1* 28 initio postulant] intra profuat *corr. in marg. V*

6–7 putas … terram] Luc. 18.8

da Filio, da nepotibus omnia, dare tamen non potes temporis plenitudinem. Laborat fateor hac aetate fides, quae acriores hostes suo complectitur sinu, quam forte foris habeat in castris hostilibus. Maumethis namque malum, quoniam arcetur a nobis longius, minus noxium est, et quoniam apertum est, cavetur vitaturque facilius. Contra, familiares hostes quo sunt et habitatione coniunctiores, et professionis similitudine latentiores sunt, eo sunt in pietatis obsidione tum capitaliores tum etiam perniciosiores. Sed sicut febre laboranti non lac, sed farmaca propinari solent, ita cadenti fidei ultio debetur, non probatio, ac supplicis venit emendanda, non signis, iis praecipue, quae insigni luce plena omnia cum sint, accommodata videntur surgenti potius gloriae quam cadenti. Medicinae vero haudquaquam desunt nostris aegritudinibus; nam si urbem Patavinam spectes, quae ultra omnes civitates turmas iuvenum ingentes alebat, laude se philosophiae iactabat, in Deum ac pietatem cornua attollebat, utque in reliquam Italiam et alias orbis nationes lethalis lues serperet annitebatur, an in tanto impietatis fonte supplicium desideratum est? Profecto superiore anno, qui Iulii Secundi Pontifici Maximi sextus fuit, cum tres potentissimi reges Galliae, Germanorum, Hispaniarum, una cum Pontifice rem Venetam afflixissent, circiter centum milia armatorum Patavium obsedere, agrum vastavere, in extremam fere sortem adduxere; cumque stante re Veneta solum Patavium divinitatem contemneret, solum Venetis ruentibus devastatum est, cum civitates fere aliae omnes integrae ac citra sanguinem prope receptae sint. Si ita vulnere fides accipit, adhibet etiam divina providentia medicinas; sed his malis divina illa signa misceri non oportet, quae quasi incunabulis nascentis tunc ecclesiae debebantur. Novi etiam aliquid sit necesse est, cum Deus aut intus in anima, aut ante oculos foris. Quod si foris sit novitas, ingens gratiae copia opus est uti in anima sit, sive nova, ut in Apostolis, sive non nova, ut in Christo accidit, qui cum primum conceptus in utero est, tantum gratiae cumulum est sortitus, ut praeterea augeri non potuerit. Novi igitur intus aliquid interna legatio postulat, non externa, cui sat ut foris nova sit insignem aliquam internae gratiae indicans magnitudinem. Iam vero ad Virginem, una cum Apostolis, missum fuisse Spiritum volunt omnes; sed quoniam docendi ad populum, orandi, sacramentorumque ministrandorum actio ac munus illi sexui non convenit, idcirco singulari alia manifestatione ad illam Spiritus missus non est. Tria enim esse diximus, quae

3 Mumethis *N2* 27 foris quod] *lacuna restat inter haec verba N2*

simul necesse est conveniant, si publica missi Dei manifestatio futura sit; quorum quidem unum est actio, et quasi fontis fundentis aquas munus, doctrinae praedicandae ac sacramentorum pertractandorum, quae quidem res sexus feminei nequaquam intersunt, sed Christi dumtaxat atque Apostolorum, qui et in tempore plenissimo cumulata gratia ad actionem pleni fidei et rudis populi necessitate, Spiritus legationem promeruerint. Specie similitudinis inconsideratae persuasione decepti quidam parum decens divinam dignitatem; suspicati sunt, quod aut columbae formam aut ignis induerit, tum quod praestantiora praestantioribus debent signis demonstrari; tum quod sola substantia rationis particeps divinae sit lucis capax, soli illi iungi fas fuit; tum quod cum Spiritus non sit Filio minor, ut Filius homini ratione pollenti, ita ratione carenti Spiritum iungi minus decuisse videtur. Haec vero ratio parum procedit; nam medium caducatorem Filium cum homine et Parente Deo opus fuit; medii vero ratio exigit, ut cum utroque eorum, inter quae medium est, conveniat; ut aqua frigens est, ut terra, et humida velut aer; ipse quoque aer est cum aqua humidus, cum igne vero calens; ita Filius cum Deo Deus, cum homine homo esset necesse est. Deinde animam, cum in tenebris agat tam ignorationis quam culpae, si summo potitura bono sit, purgari ab utrisque oportet tenebris; ad quod quidem efficiundum uterque a Patre mittitur et Proles et Spiritus, sed Spiritus ut donum et Amor, quod est donorum primum, at Filius ut auctor sicut sexto de Republica libro docet Plato, qui ab illo dumtaxat sole, quem Boni Filium vocat, vult purgari a caecitate animas. Auctor vero et causa gratiae, quae soli rationi tribuitur, ratione carere non debuit; quare si cui iungi Verbum debuit, non nisi ei debuit, qui mente ac ratione uteretur. Spiritus autem in corpore mittitur non ad gratiam non quidem efficiendam, quam absque corpore cum Filio facit, sed ad significandam atque demonstrandam; non enim ignis medium fuit Dei atque hominis, sicut homo Christus, quam ob rem ignis non facturus gratiam allatus est, sed illam potius foris indicaturus. Adde quod cum gemina sit natura rerum, altera quidem compos, altera vero expers rationis, cum utrumque Dei opus sit, par non fuit, ut alterum honoraret, alterum omnino aspernaretur, quasi quidquam factum esset a Deo, quod esset indignum Deo. Verum quoniam varia est utriusque natura, ita variam decuit esse rationem, qua Deo admoveretur; ut enim homo Deus fieret; cum uterque mente vigeat, opportunissimum fuit, ut vero ignis ac columba, quae mente vacua sunt, Deus fieret, erat futurum plane

29 ignis *sl. V*

absurdissimum. Ad haec, Dionysio teste, quandocumque divina indicaturi sumus, tutius id per ignobiliora corpora, quam per praestantiora praestamus, ne caelum, solem, lunam, in signa ponamus ipsa potius insignia corpora, quam id quod significare volumus, vel colere vel adorare videamur. Argumenta vero, quae rationi et menti Spiritum coniungi contendebant, in eo falluntur, quod Filii Spiritusque mittendi differentiam munus animadvertunt, in qua quidem legatione sensilia assumpsere alter gratiae efficiendae, alter dumtaxat significandae; non enim Spiritus columbam cepit, ut columba fieret, quem ad modum Filius hominem, ut homo efficeretur. Nam velut Filius hominis semper homo est, ita et signa hominis homines non sunt; ac sicut id, quod futurum sit Deus, ratione praeditum sit oportet, ita quod indicaturum sit Deum, ut mentis naturam habeat non oportet.

115. *Numerus et qualitas rerum, quas Spiritus assumpsit. Sponsus et sponsa, claves, afflatus, ignis, nubes, columba*

Etsi primo numero impare Deus gaudet, id quod memoriae proditum a Marone Academico est, Pater tamen ipse cum unum maxime sit, numerum omne et abhorret et respuit; unus enim dumtaxat est in divina natura Pater ac nullo pacto plures. Idem est de Filio Spirituque iudicium, quorum uterque ita unus est, ut plures esse non possint. Cum vero mittendi ratio rationem sequatur emanandi, ut unica est Filio manandi ratio, mentis atque intelligentiae, ita unica illi sensilis legatio data est, qua unicam accepit hominis naturam. Sed Spiritus quoque manantis ratio unica est, ut Filii, Amoris scilicet voluntatisque; quare et semel tantum mitti debuit sensili manifestatione, et unicam dumtaxat induere naturam. Haec facile confutari possunt ex Filii Spiritusque legationis differentia; nam ut unicam formam communis dat sententia cuique orientium (de ea forma loquor, quam substantiam vocant; eas vero formas, quae accidunt, varias cuique rei dant atque multiplices) ita Filius iunctus homini est, ut unus fuerit homo itidemque et Deus. Quare unitas illa ac coniunctio quaedam substantiae modum habuit, ac proinde una tantum esse debuit, non plures. Inseparabili enim lege Deus homini iunctus est, quod de Spiritu dici non potest quod sibi illas admovit naturas et separabiles et statim abicien-

---

4 colore *V* 12 praedictum *V* 14 115] 116 *N1*, 116 | qualitas] quantitas *N2* 26–27 unicam *sl. V* 32 inseperabili *V* 33 quod] qui *N2* | seperabiles *V*

das. Accidentis itaque rationem habuit Spiritus illa cum igne coniunctio; cumque accidentia plura simul sint, pluribus iungi Spiritus iure debuit, ut hoc ipsum etiam moneret, se non ignem, non columbam esse factum, sed illis tanquam instrumentis usum fuisse. Sane dari eiusce signa prius diximus ad gratiae copiam significandam in alios emanantis; ea vero non nisi in duobus esse potuit, veluti in omnium fontibus aquarum et populorum; aquas enim multas per Iohannem populos multos portendere proditum est. Sicut autem in universo duo sunt "clarissima mundi lumina," sol ac luna, ita domus atque familiae duo initia Hesiodus fecit prior, quem postea in Economicis Aristoteles secutus est, vir scilicet ac femina, sponsus sponsaque. Habet autem sponsa claves geminas, alteram doctrinae ac sapientiae ut iudicet et erudiat, alteram facultatis ac potestatis ut et purget et Deo purgatos adiungat; alterum docendo, ut credamus, alterum mundando, ut valeamus facit. Idcirco bis tantum Apostolis apparuit Spiritus, ac geminas praesetulit formas, linguarum ignearum, ac flatus atque anhelitus; ut geminas Ecclesiae claves animadverteres, doctrinae in linguis, ut omnem terram novus eorum sonus personaret, purgationis ad vitam tradendam in Spiritu ac afflatu, cum dictum illis est: "quorum peccata remiseritis, remissa nimirum erunt." Verum quoniam a se illi non habuere, quippe qui dicebant, "de plenitudine sponsi omnes accepimus," ideo prius illas sponsus habuit, quam sponsae tradiderit: "tibi," inquit, "dabo claves," ut moneret sibi prius longe altiore ratione claves adesse, quam sponsae tradiderit. Pars quippe plenitudinis et copiae data sponso est, at sponsus universam possedit, qua a sponsa longe distare atque abire dicitur, quod tantam munerum altitudinem ac praestantiam adeptus sit, quantam ne prospicere quidem a longinquo sponsa possit. Iam sponsi distantiam fugam sponsa cognominare solita est: "quo fugis, dilecte mi," inquit, "quo fugis?" hoc est, cur tantum obtines lucis, ut aspectum fugias meum, atque in eius obtutu oculi mei et caligent et hallucinentur. Clavis quidem doctrinae corusca luce apparuit in monte, cum transfiguratus est sponsus, et nubes lucida visa est, ut Apostolorum oculi sustinere non possent; expiationis vero et facultatis clavis in Iordanis baptismate signata est, cum e caelo advolare ac baptizato adstare columba est. Quas ob res quater tantum sensili manifestatione Spiritum apparuisse, quattuorque formas humanis obtutibus obiecisse legimus, duas quibus in sponsa et

13 purgatas *V* 23 sponso] sponse *ac. N2*

8 clarissima … lumina] Geo. 1.5 18–19 quorum … erunt] Io. 20.22 20 de … accepimus] Io. 1.16, 3.29 21–22 tibi … claves] Mt. 16.19 27–28 quo[1] … fugis] *cf.* Her. 14.40

Apostolis, duas quibus in sponso Christo claves indicarentur; in illis linguae igneae atque afflatus, in hoc et nubes lucida et columba. Porro digne linquisque quis Spiritui et Amori divino accommodatissima esse neget? Quippe cum Amor ignis nomen passim obtinuerit, nam "caeco carpitur igni," et "meus ignis Amyntas" Maroni dictum est. Sermo vero in nationes omnes manaturis quonam indicio significantius apertiusque demonstrari potuit, quam linguarum? Utrumque noster Lyricus prius iunxerat, ac quandoque in Ecclesia iunctum praesagiebat et ignem et sermonem: "ignitum," inquit, "eloquium tuum vehementer," quod tunc impletum in Apostolis est, cum "factus est repente de caelo sonus in Spiritu vehementi." Nubem vero, et rorem, et pluviam pro doctrina et Moses et Iob usurpant, cui si lux additur, nihil est quod sit doctrinae accommodatius, quae non nisi lux quaedam est mentis, qua sol noster omnem hominem venientem in hunc mundum (ut Iohannis utar verbis) illustrare atque illuminare dictus est. Afflatum vero vitae servatorem quis non videt? Ut enim de respiratione philosophi docent, nisi ea ardorem cordis refocillaret recrearetque, extingui protinus animal oporteret; quare aestate pestes, mortes, crebras esse necesse est. Nimis namque auctus ignis citius id, unde pascitur, consumit veluti flamma in lucernae oleo, quae si moderata sit, diutius vivit, sin vero nimis excreverit, statim et oleum absumat et se ipsam perdat necesse est. Carbones etiam et ignes, quibus nulla expiramenta relinquantur, statim extinguantur oportebit. Itaque cum vitam mortalibus sacramentis tradendam, non absurde afflatu significata est. Utrumque a prophetis, utrumque a Sybillis est monstratum, a quis Maronem accepisse conicio. Nam primo quidem flammam adfuisse, deinde non ad aliam corporis partem illam advenisse, sed supra caput adstitisse ait. Tertio, id quidem impune et nihil laeso vertice, quem invaserat. Quarto Ecclesiae vox orantis, ut firmet Deus quod peragere ceperat in hominibus. Quinto, cognosci id esse divinum augurium signumque ad occulti aliquid spectantibus aperiendum. Sexto, ubi numerus exactus perfectusque consumatur, dato eo igne exitum, e tenebris et latibulis est, et qui in Asia nati in Asia se putavere morituros, Asiam exire statuerunt; in Europam profecti Tibrim intrant, in ripis domum condunt, ubi ipsi

21 perdet *V* 28 Ecclesiae] Ecce *N1*; Eccelentiae *V*

4–5 caeco … Amyntas] Virg. *N1 V* 24–25 a … conicio] Virg. *N1 V*

4–5 caeco … igni] Aen. 4.2 5 meus … Amyntas] Ecl. 3.66 9 ignitum … vehementer] Ps. 118.140 10–11 factus … vehementi] Act. 2.2

regnum ceperunt quod postea accepturi essent, "et nati natorum et qui nascentur ab illis." Ecce levis summo de vertice visus Iuli fundere lumen apex, tactuque innoxia molli lambere flamma comas, et circum tempora pasci. In his versibus tria superiora explicantur, ignis supra caput, et impune. Sequitur vox confirmationis, augurium, et navigatio in Italiam: "Da deinde auxilium, Pater, atque haec omnia firma." "Dii patrii servate domum, servate nepotem. Hoc vestrum augurium; cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso. Iam iam nulla mora est. sequor, et qua ducitis adsum." Iam vero de nube et columba alibi. In luce siquidem nubis manifestius eruditio apparet, quam ut ratio reddenda nobis sit. Columbam vero purgatoriam avem ex eo habes, quod purgationis tempore Virgo geminos obtulisse pullos legitur columbarum. Purgatio vero animorum Amore fit et Spiritu Sancto, cum quos Deus oderat, ad amicitiam recipit, illique qui alia adamarant, ad Deum prae ceteris adamandum expetendumque tandem convertuntur. Et quoniam Christus in Baptismate coepit Sacramenta in se ipso experiri, quibus erat latas familias, latos populos omnium linguarum, gentium, nationum regnaturus subita atque incredibili fecunditate, ideo animal deligendum fuit omnium fecundissimum. Atqui quod de nullo alio animante legitur, id de columbis Aristoteles scriptum reliquit; nam cum suum cuique tempus partus tribuisset, aliae enim semel, aliae bis, aliae saepe pariunt, de columbis adiecit, τίκτουσιν δὲ αἱ περιστεραὶ πᾶσαν ὥραν, "columbae autem non parte quadam anni, sed universo tempore pariunt." Quod si divina regnatio fecundissima a columba fecundissima inventa est, nihil potuit aut cogitari aptius aut accommodatius demonstrari. Iam esse Amoris symbolum columbam antiquissimum est, quippe quam Veneri ille olim tribuebat, qui scripsit, "maternas agnoscit aves." Quid? quod animum vel purgandum vel sacramentis initiandum missas voluit; ituro namque ad Elysios et "ad conspectum cari genitoris" duo dat praecepta "Phoebi triviaeque sacerdos. Accipe," inquit, "quae peragenda prius." Duo itaque praecipit duabus clavibus accommodata; in auri luce cognitionis est ratio, in corpore humano sordes purgandas ostendit, quod quidem ad clavem attinet potestatis. Ad ea vero perficienda non nisi a columba initium sumitur, sicut quattuor

---

6 Da … firma *om. N2* 15 coepit] caepit *V*; cepit *N1* 16 Sacramenta] in Sacramento *ac. N1*

27 maternas … aves] Virg. *N1 V*

1–2 et … illis] Aen. 3.98 6 Da … firma] Aen. 2.691 6–9 Dii … adsum] Aen. 2.702–704; 2.701 21–22 τίκτ … ὥραν] HA 5.13 544b 28–29 ad … genitoris] Aen. 6.108 29 Phoebi … sacerdos] Aen. 6.35 30 Accipe … prius] Aen. 6.136

formarum, quibus Spiritu aparuisse memoravimus, et omnium sacramentorum initium columba fuit, quae in primo Christi baptismate visa est.

116. *Columba illa quid postea egit? "In aëra purgat apertum"*

Placet quaedam quae superest hoc loco breviter perstringere, ut primo vestigemus quid postea egerit ea columba, quam Spiritum divinum induisse voluimus; nam ut ab animante laceratam voratamve fuisse aut senio morteque emarcuisse tam decuit, quam sanctum tuum (ut Psalmus de Christo canit) videre corruptionem. Quod si mortuam computruisse profanum sit credere, num perpetua facta, num in loco aliquo habito servata, num in caelum cum Spiritu, ut corpus cum Verbo translata est? Principio intelligendum est, ne in istas ineptiarum angustias incidamus, eas formas veras rerum illarum, quae apparebant, minime fuisse; ut enim non lingua, non ignis, sed imago, ita non columba, sed species visa est. Angelorum namque opera patribus veteribus multa monstrata sunt, quae haudquaquam erant, quae oculis apparebant; non enim erant tres viri, quos Abraham excepit, sed tres illi viros apparuisse legimus. Ita in Nova Lege etsi gratia non ab angelis sed a Deo uno tribuitur hominibus, signa tamen illam manifestantia angelorum ministerio ac procuratione conflantur; ex aere namque illi cadunt omnia, veluti e silva, quae omnem in formam trahi facile possit. Neque tunc mentitus est Deus, qui usus imaginibus falsis sit; non enim ad illudendos oculos, sed ad animos instruendos id facit. Quid enim refert, qualia signa sint, modo ea, ad quae monstranda inveniuntur, ostendant? Neque esse sicut in Christo oportuit, qui Parente minor est habitus, ille enim homo erat etiam Deus; nam non indicandi, sed liberandi gratia assumptus fuerat. At columba, quae indicandi dumtaxat studio introducta est a Spiritu, tantum abest, ut Spiritus esset, ut ne columba quidem vera esset. Ille itaque species, ut columbae et nubis, ubi id efficere, cuius gratia institutae erant, in priorem aerem, unde formatae fuerant, rediere; omnia namque in initia redeant necesse est. Etsi de linguis plerisque placuerit non externo corpore, sed interna imagina-

1 aparuisse] aparuisse aperi *corr. in marg. N1 V* 7 voratamve] vocatamve *N1* (*ac.*) *V* 17 Habraam *N1 V* 19 tamen] tantum *N1 V* 21–22 usus … falsis] fluminibus *praem. V*; fluminibus usus imaginibus *corr. in marg. N1* 29 instituta *N1 V*

8–9 sanctum … corruptionem] Ps. 15.10

tione visas fuisse; magnus enim Augustinus non omnia corporea extitisse confirmavit. Quae res verbis sacris accommoda potius videtur, quippe quae linguas non venisse, sed apparuisse testantur; columbam vero corporea specie affuisse prodiderunt; quare illam ex aere formatam postea in aerem rediisse consentaneum est. Idem etiam de nube dixerim. Quam quidem rem non ignoravit Maro, nubem ex aere fieri, ac redire rursus in aerem, cum ait, "scindit se nubes, et in aera purgat apertum." Licet enim concretior densiorque vapor coire soleat in nubem; aeris tamen appellatione dicitur quod aquae ignisque sit medium, ac facile solvatur in aerem; ut praecipue de nube sermo sit, quam post imbres sterilem Aristoteles vocat. Hanc cum occidentis solis radii feriunt, niveam, purpuream, auream reddunt, et micantis et variae lucis aemulam. Quo fit, ut huiusce imaginum Deo divinisque nuntiis lucis datoribus usus frequentissimus sit. Nec omiserim, Verbum mortalia, quae assumpserit, non reliquisse, Spiritum vero quibus usus sit omnino deseruisse; ut Intelligentiae Amorisque discrimen cognoscamus; ut enim ad divina intelligenda perveniamus, sunt alia intelligenda prius, quorum cognitio, Deo perspecto, non modo non obsolescit, sed completur consumaturque. At Deum amaturos tantum abest, ut alia amare oporteat, ut, auctore Deo etiam parentes relinquendi sint.

12 Quo] ex *praem*. *N2* 13 diviniusque *N1* 14 assumpsit *N2*

7 scindit … apertum] Aen. 1.587

DISTINCTIO XVII

Qui de Amore scripsere inter veteres partim Deum dixere, partim contra Deum vocari posse negaverunt. Idem inter posteriores dubitatum est; alii namque Amorem Deum esse in nobis volunt, quo solo fit, ut nostrae actiones Deo gratae sint; alii praeter hunc Deum Amorem alterum faciunt, quem veluti animae nostrae formam Amor Deus elargiatur nobis. Priores ita sententiam formant, quod perfectiora illa sint, quae medium in actione non desiderent; cum itaque Amor qui sanctus est spiritus, rerum praecellentissimus sit, iniuriam patitur, si ad animam agitandam sat ipse non sit, alterius indignus vel opis vel adminiculi. Adde quod Amor rerum beatissimus est, teste Platone, quam ob rem sibi suisque actionibus ipse sufficit, nihilque ei, quo vel melior sit, vel aptius agat desideratur. Quid? quod si Deus hic agere absque organo non possit, Deus esse non poterit, quippe qui naturae vires superans instrumentorum necessitati addictus non est, quem ad modum finita atque humana; cumque facta omnia finita sint, infinitum ad bonum non pertingent. Denique si qua alia natura, quam Deus, necessaria sit ad animae salutem, natura ipsa, quae non erit Deus, potens erit ut det animae salutem, quod non modo verum non est, sed et Pelagii errori consentiens, qui ausus est, neglecto Deo, asseverare, naturam per se sufficere sibi ut summi boni culmen adipiscatur. Nam non solum felicitatem adipisci in nobis non est, sed ne vitiorum quidem servitutem vitare, auctore etiam Platone; cum enim Socrates rogasset, quinam hanc declinaret servitutem omnium longe miserrimam, respondissetque Alcibiades, si tu velis, οὐ καλῶς λέγεις, ὦ Ἀλκιβιάδη, "non recte," inquit Socrates, "O Alcibiades, loqueris," ἀλλὰ πῶς χρὴ λέγειν, "at quomodo," inquit, "dicere oportet?" ὅτι ἐὰν θεὸς ἐθέλῃ, "si Deus voluerit." Quo loco Plato docet id quod postea Paulus, non esse volentis hominis, sed Dei, quidquid boni fit, idque omne non facultati humanae, sed divinae dandum voluntati. At voluntas ac voluntatis amor spiritui tribuitur; Spiritui itaque acceptum referendum esse

---

7 firmant *N2 V* 17 qua alia] qualia *ac. V* 24 si … velis] ἐὰν βούλῃ σύ *add. N2* 24–27 … ἐθέλῃ] *textus Graecus in marg. V*

21–22 non … Platone] Alc. 1.75 *N1 V*

24–26 … λέγειν] 1 Alc. 135d

videtur quidquid recte sancteque gesserimus, non humanis viribus, non nostro consilio, non conditae factaeve naturae. Quare non alius salutaris Amor, nisi divinus idemque Deus introducendus est. Haec opinio auctore non caruit; sed Petrus ille eam probatam fecit, qui divina in libros quattuor redegit, Apostoli verbis usus qui ita scripserat: Deus caritas est, quique in caritate manet, manet ipse in Deo, atque in ipso Deus. Ubi nisi Apostolus ambiguo nomine pueriliter luserit, eundem esse Amorem oportet Deum et virtutem qua pleni iungimur haeremusque Deo. Alii opinionem explodere conati sunt, quod voluntariae actiones illae non essent, quae ab habitu non progrediuntur. Nam quod in rebus naturale dicimus, id nostris in actionibus voluntarium; atqui naturae actiones sunt quae ab interna forma proveniunt, ut descensus a gravi, contra adscensus a levi. Quod vero non ab interna forma, sed ab externa tantum agitur, id vi pelli, non natura dicimus. Ita nisi sit nostris animis habitus veluti domestica forma atque peculiaris, non ultro neque sponte agemus omnia, sed vi compulsuque extrariae naturae. Cum vero, etiam Aristotele teste, unum virtutis principium voluntas esse constet; quod enim in viti facimus, solet necessitatis esse, non virtutis, nec virtutis officia esse inter homines poterunt, nec ulla patebit ad summum bonum via. Adde quod voluptas quae agimus commendat, neque absoluta sunt quae geruntur, nisi voluptatis dulcedine misceantur. At voluptas habitus index vocatur, quippe quae semper habitum, ut poma ramos, filii parentes sequuntur; si nullus adsit habitus, nulla bene agendo voluptas sentietur, ac proinde nihil perfecte absoluteve fiet. Nam etsi summum bonum promereri possumus, idcirco possumus, quod aliquid est in nobis, quo id possumus et optare et assequi; non enim quidquam promereri possumus per ea tantum quae nostra in facultate non sunt. Quo fit, ut aut habitus quasi animi forma dandus sit homini, aut promerendi facultas auferenda prorsus est homini. Quin quaecumque agunt non intus stimulante natura, sed aliunde tantum organis comparari consuevere. At neque organis tribuitur actio, neque organi est cum velut agere. Quare iis quae agimus nihil promerebimur, si neque in nobis sunt, neque ea nos agere dici possumus, ut quae sunt musicae artis, non lyrae, non cytharae, sed musico cantorique tribuuntur. Ad haec aratrum non in se habet, ut nunc agat scindatque tellurem in sulcos, nec contra festis diebus a labore quiescat;

5 redegit] redegerit *N1* (*ac.*) *V* | usus] nisus *N1 N2* 19 poterant *V* 26 et … possumus *in marg. V* 27 ut *sl. V* 34 in *sl. V*

5–6 Deus … Deus] 1 Io. 4.8, 15

id enim in agricolae manu est, qui artem novit ac tempora, quibus vel terram invertat, vel imbribus implendam, vel solibus coquendam relinquat. Si itaque nos solis nostri radios et suscipere possumus et excludere, neque aratri neque organi locum opusve habere possumus. Quare si non aratro, sed aratori, non lyrae, sed lyrico persimiles sumus, forma alia in nobis sit necesse est, ut musica in musico, ut in agricola ars colendi ruris, qua solis nostri lumine vel uti excolendo vel abuti negligendo possimus. Non omiserim, quod tum quid velle dicimur, cum quidquam in nobis est, unde ad appetendum inclinamur, ut materia a potentia et privatione, ut potator a siti, artifex ab arte; cum nihil in nobis est, quo ad appetitionem moveamur inclinemurque, tunc id nolle dicimur; ut si vel a piratis in mari, vel a latronibus in itinere, vel a hostibus in bello rapiamur. Si itaque bene agere cum volumus, si nullum est internum principium, quo voluntas intus stimuletur, tunc nolle dicendi sumus; quare simul volemus nolemusque, et velle nolleque omnino idem erit; quae quidem, quam reprobari possint, multo absurdiora existimanda sunt. Platonem si audiamus, utrumque homini necessarium faciemus, et habitum velut animae formam, et Spiritum Deum uti efficientem; neque enim nimium solum, neque solus pictor ad imaginem effingendam satis est, sed alterum ut tabellae forma, alterum ut formae auctor asdit necesse est. Dixerat enim Plato in Symposio, "magnus deus amor est," μέγας θεὸς ὁ Ἔρως, ne quis eum inter secundos numeraret deos; ac postea alia oratione ait, οὐ θεὸν εἶναι, ἀλλὰ μεταξὺ θνητοῦ καὶ ἀθανάτου, "amorem Deum non esse, sed inter Deum atque hominem medium." Et licet daemonem postea nominet, manifeste vult, esse pulchrorum appetitionem. Sunt namque Platoni amores quattuor, duo subsistentes Deus ac daemon, duo in animis existentes, ut appetitio pulchri, quae natura nostris animis inest, et quam, ut paulo ante dicebamus, Deo volente, consequimur, cum ait non voluntatem nostram sufficere, sed divinam desiderari, qua fit, ut alia voluntate alioque amore velimus, quam humano et nostro. Et quamquam nos ita esse sentimus, ut et Plato docet et communis nostri senatus consensus existimat, non tamen non defendi superiorem posse sententiam arbitramur. Nam forma interna non abest nobis divina actionibus promerentibus, cum insit animis modis penitioribus Deus, nec externus ullo dici pacto possit, ut raptor aut pirata; quin cum solus illabi animae possit ut

3 nostri] *eras. V* 7 vel uti] veluti *ac. N2* 9 inclinamus *V* 15 quae] quam *V* 23 εἶναι *in marg. V*

21–23 … ἀθανάτου] Smp. 202de

internus motor, multo accommodatius illam agitare solus potest. Hanc enim penetrandi omnia vim habere Deum ille inter Latinos docet, qui scripsit Deum "namque ire per omnes terrasque tractusque maris caelumque profundum." Quod vero animis humanis illabatur monet cum loco alio orat: "animis illabere nostris." Item etiam illapsum testatur in Sibylla: "si pectore possit excussisse Deum." Et iterum: "Deus ecce Deus." Quare et internus movet animum Deus et maxime voluntaria quae agimus esse facit; nec enim non natura mare movetur sursum quamquam grave, cum fluit refluitque, etsi caeli natura superior, non ponderis vis inferior illud agitat; multo enim perfectius naturaliusque unumquodque naturam praestantioris, quam propriam imitatur, ut planetae caelum extimum, et secundi dii primi praescriptum atque providentiam. Quis non rideat hominem putantem plus conditum amorem posse, quam conditorem, aut ad voluptatem praestandam, aut ad summum promerendum bonum; cum causarum omnium vim, praeter materiae indignitatem, possideat Deus. Instrumenta etiam quaedam anima praedita sunt, ut servus, Aristotele teste, qui iussa domini cum iubet ocius seriusve facessit, damnaturque si non facit, aut minus accurate agit, contra si probe exequitur, commendatur atque laudatur. Quod si musicus, si agricola formam habet, unde is carmen canit, hic tellurem colit, sua etiam amatori forma non deest, cui tanto praestantior inest, quanto aeterna mortalibus, prima sequentibus, divina humanis longe antecellunt. Neque vult et non vult sacer amator; voluntas enim afflantem agitantemque Deum non refugit, non respuit, non abhorret, sed excipit, observat, et sectatur. Nec etiam prior sententia necessaria est; nam etsi rerum actiones solus ipse praestare posset Deus, atque haec omnia in finem per se ducere nullo negotio posset, vult tamen liberalissimus haberi, datque non modo fruges homini, sed et agros. Ita non modo actiones, sed et formas largitur rebus, agendi velut initia atque facultates, unde res suo prompto ingenio moveri facile suaviterque dicuntur. Ducit, inquit oraculum, a fine ad finem fortiter sua agitatione et disponit suaviter, forma rebus indita. Ita in amore utroque fit, ut ob omnipotentiam divini onus leve fiat, ob inditi illecebram, quo veluti iugo divincitur anima, suave passim iugum nominetur. Nec quidquam nobiscum Pelagius, qui humanum attollit Amorem

17 iubet] lubet *N1 N2* 34 qui *sl. V*

3–4 namque … profundum] Virg. *N1 V* 5–6 animis … Deus] Virg. *N1 V*

3–4 namque … profundum] Ecl. 4.51 5 animis … nostris] Aen. 3.89 6 si … Deum] Aen. 6.78–79 30–31 Ducit … suaviter] Sap. 8.1

non divinum quem rei totius caput ipsi facimus; utque principium bene beateque agendi summum illum Plato poneret, et fontem, et caput inquit: κατ᾽ ἀνδρῶν κράατα βαίνει, "super hominum capita incedit," ut sanctarum origo actionum. [De Amoris Incremento] Amoris deinde incrementa investiganda sunt; nam maius minusve ad mensuram pertinet; quod vero unum est, mensuram non habet; quare caritas, quae una simplexque est, nec mensuram recipit, neque quantitatem; quam ob rem ne maius minusve quidem. At quae gradus habent varios, magis minusve recipiunt, ut nigricans, ut candens. Atqui, Platone teste in Symposio, sunt in Amore gradus, quibus ad summum contemplationis et pulchri culmen ascendimus. Negari itaque Amoris incrementa non possunt, si momenta gradusque habere illum inficiari non licet. Qui Amorem Deum solum esse volunt, augeri Amorem dicunt, non illo in nobis augescente, sed nobis illum magis magisque participantibus atque illi arctius pressiusque cohaerentibus. Alii, qui Amorem alterum non Deum quidem, sed a Deo inditum faciunt, infinitis inter se concertationibus digladiantur; plerique enim augeri Amorem volunt, priore pereunte, maiore succedente, ut vernus hiemali, atque aestivus verno succedit dies. Alii hos explodunt, quod quinam prior amor intereat, non videant, cum duplex ad interitum pateat via aut ex hoste adversarioque, aut ex subiecti exitio. At sequens Amor contrarius praecedenti non est, nec mens, in qua cubat immortalis mori potest; essentia itaque crescere illum quidam dicunt, quod nostri ferre numquam potuere; nam cum rerum essentias numeros esse et Plato et Pythagoras dixerint, nec procul ab illis longe abiens Aristoteles essentias numeris similes esse prodiderit, qui gradus essentiae introducit aliam essentiam statuit. Cum itaque eiusdem naturae essentiaeque sit uterque amor, amoris non essentia, sed esse et haerendi modus mutari dicendus est. Et quamquam forte non mendacio dicant, hos homines verbis, non rebus inter se dissidere, hoc certe nostris favendum est magis, quod rem nominibus appellarint aptioribus accommodatioribusque. Nam si essentia perstat, sed idcirco mutari essentia quidem dicitur, quod ea mutentur, quae essentiae haerent, simile est ac si dicas animam emori, quod ea quae

---

1 bene] unde *praem. ac. V*; unde *corr. in marg. N1* 2 poneret] ponerem *V* 3 … βαίνει *om. V* 4 De … Incremento *vice tituli add. N2* 7 nec *sl. V* 10 culmen] fulmen *ac. N2* 22 illum crescere *tr. ac. N2* 26 itaque] igitur *N2* | sit *sl. N2* 31 praestat *V*

4 De Amoris Incremento *repet. N1 V* 9–11 Platone … ascendimus] Symp. 53 *N1 N2 V* 24–25 Aristoteles … prodiderit] Met. 8 *N1 N2 V*

3 κατ᾽ ἀνδρῶν κράατα βαίνει] Smp. 195d

animae haerent emoriantur, cum tamen illa potius obire dicenda sint, quae quamquam immortali haerent animae, intereuntia tamen ac mortalia sunt. Sit itaque primum quod hac in re statuendum est, amorem adolescere; quod ut potuit adaperuit Plato: τοῦτο γὰρ δή ἐστι τὸ ὀρθῶς ἐπὶ τὰ ἐρωτικὰ ἰέναι ἢ ὑπ' ἄλλου ἄγεσθαι, ἀρχόμενον ἀπὸ τῶνδε τῶν καλῶν ἐκείνου ἕνεκα τοῦ καλοῦ ἀεὶ ἐπανιέναι, ὥσπερ ἐπαναβασμοῖς χρώμενον, "hoc est nempe recte ad amatoria tendere, aut ab alio duci, cum ab iis pulchris quis incipit, et tamquam gradibus quibusdam utens, illius gratia pulchri semper ascendit." O miserum illum hominem, qui voluptatum caeno gravis ab hoc sancti Amoris ascensu retrahitur, et humi semper iacens exclamat: "adhaesit pavimento anima mea." Contra felix ille idituum, ut Haebreo utar verbo, cui Psalmus inscribitur quod libidinum et cupiditatum vinculis liber per ascensum hunc purpureum, ut in Canticis scribitur, et salit in montibus et transilit colles, cumque ad pulchrum illud venerit et summum et beatissimum, quasi ad divina capitolia se recipiens triumphi paeana atque laudes canit, quod divinus ille Amor in sacris versibus Canticum graduum vocare consuevit. Atqui amatoriam hanc Iacob vidit scalam, cui Deum innixum esse animadvertit; quo quidem occultissimo mysterio docemur, virtutes alias omnes inferiores esse ac imbecilliores quam ad pulchrum illud pertingant; solus autem amor gradus habet, quibus ad Deum via atque aditus patet. Nihil iustitia, nihil temperantia, nihil spes, nihil fides omnino facit, si Amoris gradus abfuerint, quibus solis inniti Deus dicitur, quod soli qui Amoris gradibus nituntur et Deo iunguntur et divina pulchritudine potiuntur. Atque id significabat Apostolus, cum de virtutibus aliis verba deinceps non partibus additis excrescere, quod in corporis incremento fieri solet, sed veluti ex imbecillo et imperfecto robustum fieri atque perfectum, ut puer cum evaserit in virum crevisse quantitas dicunt, quod exigua in legitimam transierit. Ita cum forma actus sit, augeri illam tunc volumus, cum formam habens magis illam possidet, plusque actum participat; participare enim Amore Deum varia ratione homines solent, soloque Amore tribuitur participatio eius in id ipsum. Quae quidem duo Platonicus Phaedrus edocet: τόν τε οὖν ἔρωτα τῶν καλῶν πρὸς τρόπου ἐκλέγεται ἕκαστος, καὶ ὡς θεὸν

---

1 illa *sl. V* 7 ab *sl. V* 10 sancto *N2* 11–12 indituum *V* 22 abfuerit *N1 V*

3–9 amorem … ascendit] Symp. 54 *N1 N2 V* 32–497.3 Quae … exornat] Phedr. 29 *N1 N2 V*

4–6 … χρώμενον] Smp. 211b f. 11 adhaesit … mea] Ps. 118.25 13–14 ut … colles] Cant. 2.8 32–497.1 … κατακοσμεῖ] Phdr. 252d

αὐτὸν ἐκεῖνον ὄντα ἑαυτῷ οἷον ἄγαλμα τεκταίνεταί τε καὶ κατακοσμεῖ, "Amorem ergo pulchrorum ex suo quisque more atque ingenio deligit, et tamquam sibi Deus ille sit, quasi statuam fabricat et exornat"; unde illud Virgilianum mutuatum est: "Deus sua cuique cupido est." Paulo post addit: ἐφαπτόμενοι αὐτοῦ τῇ μνήμῃ ἐνθουσιῶντες ἐξ ἐκείνου λαμβάνουσι τὰ ἔθη καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα, καθ' ὅσον δυνατὸν θεοῦ ἀνθρώπῳ μετασχεῖν, "ipsum memoria attingentes numine afflantur, atque ex eo, quatenus homini Deum participare fas est, studia moresque suscipiunt." Ubi luce clarius nosse est, quod non opibus, non scientia, non sapientia, non moribus aut virtutibus aliis, tribuitur homini felix in id ipsum participatio, quae de solo Amore proficiscitur, quo duce ex Deo mores studiaque suscipimus, illumque quantum fas est mortalibus moribus ac studiis imitamur, moribus curatricem providentiam, studiis contemplatricem sapientiam quantum licet assequimur; quibus duobus rebus absoluta philosophia conflatur. Quam ob rem Ammonius hanc philosophiae definitionem Platonis esse ait: ὁμοίωσις θεῷ κατὰ τὸ δυνατὸν ἀνθρώπῳ, "divinae similitudinis assecutio, quantum fas est homini," cum utraque Deo virtus insit, tum qua se divinamque pulchritudinem contemplatur et qua mundum atque alia omnia administrat. Tum recte legitimeque philosophamur, cum illi utroque vitae genere nos ipsos efficimus, cum sapientiam speculatrice, providentiam operatrice philosophia consequimur, quorum alterum in studiorum vestigatione, alterum in morum actione consistit. Sed utrumque, duce amore, participare nos Plato vult, ideoque ait: ἐξ ἐκείνου τὰ ἔθη καὶ τὰ ἐπιτηδεύματα λαμβάνουσιν, amore duce, "ex Deo mores studiaque suscipiunt," quasi Amoris et Spiritus divini lucem primo quaerendam praeceperit, quod ut in Psalmo scriptum est, vanum sit nobis ante lucem surgere. Illud praeterea non omiserim, quod quam maxime ad rem pertinet et nosse operae pretium est, ut intelligamus quibus causis Amor incrementa suscipiat, ubi et quod crescat et quanam ratione excrescat disseruimus. Persuadere quidam sibi possent, cum ex actionibus amandi Amor gignatur, ut et continendi continentia, et canendi vel organis utendi musica, et causas vestigandi sapientia, ex singulis quibusque actionibus Amorem augeri. Nam quaecumque naturae sunt eiusdem, idem ex se pariant oportet;

4 mutatum *N1 V* 32 organi *N2*

4 Deus … est] Virg. *N1 V*

4 Deus … est] Aen. 9.185 5–7 … μετασχεῖν] Phdr. 253a 16–17 … ἀνθρώπῳ] Isa. 3.8 24–25 … λαμβάνουσιν] Phdr. 253a 25–26 ex … praeceperit] Ps. 126.2

excalefacit enim calor omnis, atque omnia nisi prohibeantur onera in mundi medium tendunt, Amoris vero actiones omnes naturam participant eandem; quare singulis credi posset Amorem augeri, cum tamen ita non sit. Nam ut Plato ait: πάντα τὰ καλὰ τῷ ὄντι χαλεπά, "pulchra omnia vere difficilia sunt," sicut proverbio dicitur. Quam ob rem si ad difficilia non nisi difficilis via esse potest, Amoris motus tenues infirmique ad difficilem virtutis statum augendum non attingunt. Adde quod a medio aberrare facile est, medium assequi haud utique facile, ut in humani corporis constitutione et in rerum humanarum actionibus experiri est, punctumque quod sagitta petitur unum est, quae ab illo divariant, innumerabilia sunt; quare haec exposita et facilia cuivis, illud, quod medium tenet locum, sagitta assequi per quam difficile est, unde et Graecum proverbium ortum habuit de homine qui longe aberrat: "tota fera errare" dicitur, quasi oculum ferae aut caput non attingere mirum non sit, a tota vero fera errare permagnus error sit et perridiculus. At virtus et bona fere omnia medium tenent locum, ut in Civili prodidit Plato. Non omnibus itaque datum est Corinthum petere, ut Graeci dicunt, neque actiones omnes ad medii difficultatem perveniunt, ut qui in Maronis vel Homeri certaminibus arcu contendebant, non omnes columbam ferire potuere. Adde quod virtutes ac vitia habitus ante Peripateticos appellavit Plato; ait namque in Gorgia: ὁ θάνατος οὐδὲν ἄλλο ἢ δυοῖν πραγμάτοιν διάλυσις, "mors haud aliud" mihi esse videtur, "quam duarum dissolutio rerum," quarum quidem ἑκάτερον ἔχει τὴν ἕξιν ἥνπερ καὶ ὅτε ἔζη ὁ ἄνθρωπος, "utraque habitum servat, quem cum homo viveret habebat." Libro vero de Republica habitus naturam picturus ait; cum hac igitur opinione instar adamantis stabili ac firma ad inferos oportet proficisci, quo in loco constantem habitum ostendit firmitatem. Idemque de moribus supra dixerat: τὰ βέβαια αὖ ταῦτα ἤθη καὶ οὐκ εὐμετάβολα καὶ δυσκίνητα, "habitus stabiles esse minimeque aut mutabiles aut mobiles." Quod si firmissima res est habitus, ac virtus omnis ut vel adamantis aemula pertinacia sit, tam facile augebitur habitus, quam facile caelatur adamas aut expolitur; cumque summam adamantis duritiem domet non nisi summa adamantis vis,

---

1 excalefacit *N2* 5 sunt *sl. V* | sicut … difficilia *in marg. V* 16 ferae *N1 V* 19 arcu arceo *N2*

4–5 Nam … sunt] 6 Reip. 22 *N1 N2 V* 15–16 virtus … Plato] Civ. 43 *N1 N2 V* 20–24 ait … habebat] Gor. 84 *N1 N2 V* 24–25 Libro … ait] 10 Reip. 44 *N1 N2 V* 27–29 Idemque … mobiles] 6 Reip. 29 *N1 V*

4 … χαλεπά] R. 6 497d 21 … διάλυσις] Grg. 524b 28 … δυσκίνητα] R. 6 503cd

constantem firmumque habitum actio non movet, nisi firmissima atque constantissima sit. Ex animae etiam humanae ingenio idem colligimus, quod principium motus est τὸ αὐτὸ κινοῦν "se ipsum movens," hoc est, non natura, non necessitate, non impetu, sed ratione, voluntate, libertate, rationemque capite ut domicilio uti unde, ὡς ἐκ τῆς ἀκροπόλεως, "veluti ex arce" regina imperet vulgo cupiditatum; atque in Timaeo homo animal a Deo ipso dicitur θεῖον λεγόμενον ἡγεμονοῦν τε, "divinum vocatum et imperium habens." Quae omnia eo vergunt uti intelligamus, hominis voluntatem imperium libertatemque obtinere, non modo ut in hoc vel illud feratur, verum etiam ut nunc frigide, nunc ardenter feratur. Quare cum supina voluntate quasi oscitando quid volumus, fieri non potest, ut motus ille inconstans et imbecillus quidquam adiicere possit constantissimae virtutis firmitati. Denique habitus omnis atque consuetudo naturam imitatur, quae quam maxima potest vi opus exercet. Ut itaque rem adeo confirmatam gradu movere possimus, quam maximo animi nutu agendum erit nobis. Non igitur quaevis amandi vis amorem auxerit, sed firmissima tantum ac vehementissima. Neque enim quempiam movere id debet, quod amoris actiones, quas aut faces aut incendia dixerim eiusdem sint naturae omnes; ad opera enim magna peragenda non natura modo aut species agentium rerum, sed potestatis momenta virtutisque mensura desideratur; aut nihil enim omnino recte fit, nisi apta intercesserit mensura. Nam si essentiae velut numeri sunt, consensu omnium, non solus actioni numerus satis est, sed alia quae vel essentiam vel numerum comitentur. Neque solus quamquam fortissimus Danaum Achilles in proelia prodibat, sed turba clausus stipatusque prodibat. Tria enim in naturae actionibus necessaria sunt. Primo quidem, uti numerus adsit, atque essentiae rerum, quarum haec actura, illa passura sit, adsit primorum agentium impulsus, adsit locus, adsit contactus. Deinceps rebus his sua cuique virtus adsit necessarium est; luna enim etsi perpetuae essentiae sit, non tamen calorem ex ignis confinio trahit, neque dat noctibus in deliquio lucem, cum illic patiendi, hic agendi virtutem et momenta non habeat. Tertio etsi sol Europae terris apparet, et sunt in Europa gentes, quae tingi a sole possint, ut Aethiopes, non eas tingit tamen, cum solis tum essentiae tum virtuti tertium desit, quae est virtutis proportio

15 nutu] motu *N2* 22 numeri] numeris *ac. N2* 23 vel *addit. in marg. V* 25 sed … prodibat *in marg. V*

3 quod … movens] Phedr. 20 *N1 N2 V*

6–8 in … habens] Tim. 41c

ac mensura. Non enim vim tantam habent radii, quamquam eodem fonte dimanantes, qui flavos Germanos feriunt, et qui nigros exurunt Troglodytas; neque item taurus gignit hominem, qui hominis essentiam non participat; neque eunuchus cui virtus abest; neque vel puer vel frigidus, cum in altero aetatis, in altero caloris mensura desideretur. Eadem ferme omnis rerum actio postulat tam naturae quam etiam voluntatis; nam et in bellis numerus legitimus armatorum habeatur necesse est. Deinde virtus bellica par, postremo studii, voluntatis, animorum mensura. Quid virtus Petri Navarri mei Hispani Latinique exercitus, quid studiorum ardor potuerit, caesi Gallorum duces hoc anno in agro Ravennate ostenderunt; quanta etiam sit numeri vis, nostrorum res mane gestae demonstrarunt. Iure atque inter oracula illud numeratur, fieri recte omnia numero, pondere, et mensura. Quare Amoris motus quivis etsi numerum pondusque habeat, si mensura careat propense voluntatis, nihil ferme efficit, ut lucernae flamma fusoriae non sufficit, et trabem Peliam nullus gestat puer. Denique in omni genitura non quaevis preparatio sat est, sed summa sit oportet, si formam finemque assecutura sit. Ita nec quivis motus amantis Amoris incrementis est satis, nisi summa ope, studio, nisu progrediatur. Summum enim rerum omnium Deus summam facturus viam, qua bonum petatur summum, nulli iure rem tantam tribuere decet, nisi summis animi viribus annitenti. Quam ferme rem ne ipse quidem tacuit Plato; nam cum in Symposio scripsisset pulchrorum amorem esse, non turpium, ὁ Ἔρως κάλλους ἂν εἴη ἔρως, αἴσχρους δὲ οὔ, si quis obiiciat foeda etiam amare non nullos, respondet in Phaedro id, quod supra diximus, amorem sibi pulchrorum quemque eligere, sed πρὸς τρόπον, "ex more," innuens deligere amaturos homines non quae pulchra vere sint, sed quae diligentibus pulchra esse videantur. Praeter hoc diligendi munus, et amandi rationem πρὸς τρόπον exercent homines; nam qui vere pulchri amore flagrant, amant alii parcius, alii vehementius, non tamen desiderium explent, neque consequi possunt id quod expetunt, nisi summo affectus studio annitatur. Ita igitur hanc sententiam claudit: εὐποροῦσι διὰ τὸ συντόνως ἠναγκάσθαι πρὸς τὸν θεὸν βλέπειν,

---

7 habeatur] habentur *ac. V* 15 Peliam] peliam (*littera eras.*) *N1* 17–18 quivis *pc. N2* (*corr. in marg.*; quis *ac.*) *V* (quis *ac.*) 26 innuens] induens *N1* (*ac.*) *V* 28 et] etiam *N1 N2*

9 Navarri] *signum manus, digito extenso, add. N2* 22–23 cum … οὔ] Symp. 42 *N1 N2 V* 24–27 respondet … videantur] Phedr. 29 *N1 N2 V*

23 … οὔ] Smp. 201a *et* Ti. 41c 23–24 … etiam] Smp. 201a *et* Ti. 41c 32 … βλέπειν] Phdr. 253a

idcirco "voti compotes fiunt, quod summo animi nisu in Deum aciem figere compelluntur." Quo in loco de Sancto Amore disputans summum amandi studium praecepit, utpote amoris incrementis, et iis qui εὐπορροῦσι, necessarium; non enim uberi amoris copia potiuntur, nisi increverit amor. Crescendi vero ratio in summa mentis studio sita est. Motus itaque omnis, qui amorem auget, secatur in partes tres, nam aut vehemens est, aut lentus; si lentus, aut multis similibus adiutus, aut praecedentium ope fultus; multi enim pueri magna gestant onera habere namque vim magnam etiam quae parva exiliaque sunt, modo non sola, sed simul multa sint, scitum illud Hesiodi monet, quod Plato quoque citat in Cratylo: εἰ καί τις σμικρὸν καταθείη, "si quis parvum parvo adiecerit," magnum faciet. Quam sane rem magnam flumina e rivulis collecta significant. Una itaque incrementi ratio est, cum multi Amoris motus lenti imbecillique conveniunt, quem ad modum diximus, cum cor primum animae organum, ut Aristoteli placet, non in alia fertur, sed divinis identidem inhiat et adspirat. Quod si hii cordis motus concitatissimi non sunt, quoniam tamen permulti sunt, efficiunt uti alatur atque increscat Amor, ut in scientiis spectatoribus multae probabiles rationes aeque plerumque ac demonstratio una fidem faciunt etsi haec necessaria, illa verisimilia exponat, haec constantia, illa infirma referat, haec aeternis, illa tantum fluentibus innitatur. Altera crescendi via est, cum non pluribus, sed una tantum, atque ea quidem non strenua actione rem agimus, quae etsi sola est suaque infirmitate parum potest, multarum tamen anticipantium virtute atque ope freta idem efficit. Quam quidem rem et venatorum canis ignava, quae diu generosis canibus fatigatam praedam capit, et tritum stillantium aquarum exemplum confirmat, quarum innumerabiles partes cum marmor ferierint, praepararunt usque adeo, ut ultima marmor perruperit excavaritque, non quidem suis opibus, cum multae vel robustiores anteierint, sed anteuntium adiuta ministeriis. Ita anima, in qua ex actionibus habitus habilitasque contrahitur, ita multis accedentibus motibus paratur, ut facili minimoque negotio quod conceperit pariat; hoc enim nomen in Amoris pictura usurpavit in Symposio Plato: ἐστὶ γὰρ τοῦτο τόκος ἐν καλῷ, "Amor," inquit, "partus in pulchro est." Anima etenim, in qua felix hic futurus sit partus, pulcherrima mulierum sit oportet, ut oraculo utar Epithalamii, quod in nuptiis huius partus gratia

6 tris *N1 N2*

32–33 hoc … est] Symp. 49 *N1 N2 V*

11 … καταθείη] Cra. 428a 34–35 pulcherrima … Epithalamii] Cant. 1.8

institutis cani solet. "Nec macula, nec ruga," inquit, "oblesa est amica mea formosa columba." Sunt enim tria in anima, quae summo pulchro haerens, quantum fas est mortalibus, beata est. Primum puellae mundities, quam nulla vitiat culpae vel foeditatis nota; deinde primus Amoris partus; denique assidua frequensque genitura, qua primus partus amor adolescit. Ob munditiem "formosa," ob amorem, "amica," ob fecunditatem ad prolem augendam "columba" in nuptiarum carminibus appellatur; nullum enim animal columba fecundius, quippe quae, auctore Aristotele, atque ut experimento discimus, toto anno parit. Secunda itaque incrementi ratio fit exilis motus exitu, non sua tamen vi, sed ob plurimos qui animam ineuntes gravidam et partui paratam reddidere. Utrumque in Symposio Plato: ἁπτόμενος γὰρ οἶμαι τοῦ καλοῦ καὶ ὁμιλῶν αὐτῷ, ἃ πάλαι ἐκύει τίκτει καὶ γεννᾷ, "adhaerens pulchro atque eo familiariter utens, quod prius conceperat parit ac gignit." Haeremus autem habitu, qui prius est genitus, quo illo veluti adamantino vinculo alligamur; parimus vero postea nova pignora, cum illum novis desiderii atque incendii flammis cumulamus, curamusque illi ut nova semper inflammatae virtutis auctio atque accessio fiat. Tertius crescendi modus est, cum non frigide, non segniter quidquam agitur, sed tota mentis acie in amatum contenditur. Has vero incrementi rationes tres oraculum significat: "Deum dilige toto corde," hoc est, quam plurimis cordis motibus age, si non summo studio agis: "tota anima," hoc est, concepta in anima fecunditate fove, ut sanctam prolem pariat praegnans anima: "tota mente," quae summa vis animae est, ubi summum nisum studiumque significat. Denique finem faciam, si addiderim, his amoris incrementis neque modum neque finem adesse, quod Platonicus Philebus disserebat: τὸ μᾶλλόν τε καὶ ἧττον, τὸ σφόδρα καὶ ἠρέμα … μήτε τέλος μήτε πέρας ἔχειν, "magis, minus, vehemens, remisse fine terminoque carere." Nam quidquid aliis in formis sit, in amatoriis certe locum, habet, quod ille de Platone didicit, qui ait: "quis enim modus adsit Amori?"

3 munditiae *N1 V* 13 adherens *N1* 16 desiderii] desideriis *N1* (*ac.*) *N2* 23 praegnians *V*

25–28 his … carere] Phil. 32 *N1 N2 V* 29–30 quis … Amori] Virg. *N1 V*

1–2 Nec … columba] *cf.* Cant. 5.8 12–13 … γεννᾷ] Smp. 209c 20–21 Deum … corde] Mt. 22.37 22 tota anima] *ibid.* 23 tota mente] *ibid.* 26–27 … ἔχειν *cf.* Phlb. 24A–D

DISTINCTIO XVIII

Volunt praeterea Patres munera largiri Amoris esse proprium, quin et, quod maius forte videri possit, Amorem ipsum munus donumque dici oportere. Sed quonam id pacto verum fuerit, cum quae extra divinam naturam dantur hominibus, Parenti Prolique ac Spiritui simul acceptum referatur, cum omnium commune sit ac non Spiritus uniusque dumtaxat. Filium quoque datum testantur oracula. Quinam igitur muneris nomen solus Spiritus usurpare potest? Ad haec si id sibi Amor unus vendicaret, aut idcirco id fuerit, quod det solus omnia, aut quod detur in omnibus. At dat Parens ac Soboles quadam originis ratione prius, cum et Amor et quidquid habet Amor, ex utroque veluti ex amante proficiscatur. Praeterea cum ex illis sortiatur Amor omnia, antequam ullum mortalibus det munus, aut ipse munus non erit, aut certe primum non erit, cum eadem prius ipse acceperit, quae nobis sit postea erogaturus, aut illam inde facultatem hauserit, qua sit mortalibus omnia largiturus. Denique alia innumerabilia dona sunt, ut duo illa praecipua, quorum alterum est, quo sumus, alterum quo cognoscimus; utrumque tamen, Platone auctore, non ex Amore, sed ex Boni Filio proficisitur: μὴ μόνον τὸ γιγνώσκεσθαι φάναι ἀλλὰ καὶ τὸ εἶναι ὑπ᾽ ἐκείνου προσεῖναι, "non modo cognosci, sed et esse ab illo provenire." Sit itaque primum in hac re decretum, Amorem alicuius Amorem esse, sicuti oratio Socratis in Symposio statuit. Atqui quae ad aliquid in divinis sunt rebus, tribus continentur generibus: alia in divina, alia in humana vergunt, alia medio quasi interstitio iacent. Quae in divina, cum ad aliquid dispescat ac distinguat, personae sunt dumtaxat, ut Pater, ut Proles, ut Spiritus; vel si essentiam referunt, non absque personae notione referunt, ut quae actum indicant, sicuti gignendi potestas, quae una cum personae notione essentiam significat et naturam. Divinarum enim actionum omnium natura principium statuendum est, illi enim dumtaxat omnipotentia attributa est, Patri, Soboli, Amori, non nisi quia immensum naturae pelagus in se claudunt. Aliud

---

3 possit] mavis *N1 V* 5 hominibus *in marg. V* 16 praecipua *eras. V*

17–20 Platone … provenire] 6 Reip. *N1 V* 20–22 Sit … statuit] Symp. 40 *N1 N2 V*

18–19 … προσεῖναι *cf.* R. 6 509b

genus eorum, quae ad aliud sunt, in humana prospicit; atque in quidem non solum vel Parentem, vel Prolem, sed idem naturae pelagus prospectat, ut conditor, ut conditi orbis Parens, ut princeps rerum. Altum itaque hoc intelligentiae pelagus ille ponebat animo, qui oceanum initium rerum esse asseverabat; nam cum ex inexhausto eo fonte duo quasi fluminum genera scaturiant, hinc divinarum et actionum et rerum eodem ipso in pelago persistentium, inde mundi et omnium mundi partium extra pelagi illius littora habitantium; factum est, ut hinc Nereidum, inde rerum Pater appellatus sit, quod cum natura sit utriusque generis principium. Alterum in principii sinu residet, alterum a principii natura longe abest. Est tamen aliquid, quod in humana tendit, ab universa nihilominus natura proveniens, ut hominis assumptio, cum in Virginis utero Parentis Verbum hominem sibi iunxit. Quae res et si tam Parentis, quam Filii, quam etiam Amoris consilio atque opera facta est, exortum tamen in eo homine est ad aliquid, quod in solum adsciscentem Filium prominebat. Genus vero tertium eorum, quae ad aliquid spectant, est, cum et si personam refert, modo tamen quodam humana contuetur, ut Proles qua Verbum dicitur et Parentem respicit et intuetur humana; illum ut dicentem, haec uti per ipsum exorientia omnia; nam et Iohannes ait, "facta per ipsum omnia." Quo novo oraculo antiquum aliud intellectum est, quod et prius a Mose scriptum, "in principio creavit Deus caelum et terram," ac postea a sacro vate cantatum, "Verbo Domini caeli firmati sunt." Spectat tamen Verbum humana bifariam, aut qua Verbum exemplar, et ut Platonis utar verbo, idea boni, quam in Timaeo respexisse parentem dicit, cum et orbem conderet et naturam rerum, aut qua missus in humanas mentes inhabitandas illustrandasque, quod sexto de Republica libro non obscure, ut solet, sed quasi manifestissime disserit; ubi enim Boni Filium de parente genitum solis similitudine docuit; nam e solis orbe lux manat omnia visibilia ostendens, atque a parentis substantia boni et filius et idea, id est ratio λόγος ratioque proficiscitur, quae ut intelligibilis lux summa intelligibilia omnia clara atque illustria facit, inque intelligibili regione omnia, quae mentem participant, ex ea idea inextimabilis lucis lumen, uti de sole stellae, recipiunt; quod cum anima facit ἐνόησέν τε καὶ ἔγνω αὐτό, "novit illud atque intelligit." Non auream hanc divinamque sententiam tantum, sed ipsa etiam verba

---

7 partium *sl. N1* 13 tam] res *pc.* (est *add. ac.*) *N1* 21 quod] quo *N1 V* 29 visilia *N2 V*

20 facta … omnia] Io. 1.3 21–22 in … terram] Gen. 1.1 22–23 Verbo … sunt] Ps. 31.6 34 … αὐτό] R. 6 508d

Latina fecit Maro: "solemque suum sua sidera norunt." Ait itaque ὅταν καταλάμπει ἀλήθειά τε καὶ τὸ ὄν, εἰς τοῦτο ἀπερείσηται, ἐνόησέν τε καὶ ἔγνω αὐτό, "quando veritas et ens," id est Boni idea, ut paulo post ait, "animam illustrat," καὶ νοῦν ἔχειν φαίνεται, "ac mentem habere videtur." Quo in loco a Boni Filio, quam Boni ideam saepe vocat, animam et illustrari et veritatem intueri et mentem recipere clarissima ratione demonstravit, quod potentia omnis praecipuo movente egeat, ut oculi sole, ita animi intellectusque omnes luce summa quadam ac principe. Quam quidem rationem ad agentem intellectum statuendum confirmandumque Aristoteles paulum (de more) in hoc loco, qui Iohannis Evangelii aemulus videtur, et a Parente oriri, et per ipsum fieri omnia, a quo habent ut scient, ut paulo ante diximus, et eius luce animas lumen mentemque recipere, quod et Iohannes ait, "lucem illam veram omnem hominem illustrare," et David carmen significat canens, "da mihi intellectum," atque iterum, "lucerna pedibus meis Verbum tuum." Verum quod Iohannes Verbum vocat τὸν λόγον et "rationem," Plato ideam Boni vocat, quam Bonum se exactissime intelligens in se genuit. Verum ut eo revertatur oratio, unde digressa est, primum horum trium aeternum est, et Parentem spectat Verbum qua gignitur; qua vero orbem condendum ut ratio Bonique idea respicit, ad aliquid more habitus apparet; qua vero ad animas luce complendas mittitur, ad aliquid actus rationem gerens intelligitur. Sit itaque secundum decretum hac in re, ad aliquid, quod habitum prae se fert, ad Filium personamque spectare, ut verbum rerum condendarum ratio atque ars, quod vero actum refert, communis Dei essentiae interesse, ut ad animas ratiis occupandas legatio. Ratio autem illa rerum condendarum aeterna semperque est, legatio non nisi statis certisque temporibus: in altera actionis potestas, in altera ipsa actio intelligitur. Eadem ratione de Amore agendum: decretum esto tertium, munera ad Amorem Spiritumque iure pertinere. Docet nempe id ratio; nam si quae actum in humana prominentem claudunt, non unius personae sunt, sed plane omnium, cum datum dicimus, naturae opus dicimus universae. Non enim unius tantum earum omnipotentia viget, qua multa magnaque

---

1] ὄν *corr. in marg. N2* 4 καὶ … φαίνεται *om. N1* 16 vocat *pc.* (vocans *ac.*) *N2*; vocans *N1* 22 Sit] si *ac. N1 V* 26 cendendarum *V*; condemnarum *N1*

1 solemque … norunt] Virg. *N1 V* 7–10 quod … Aristoteles] 3 de An. *N1 N2 V*

1 solemque … norunt] Aen. 6.541 1–4 … φαίνεται] R. 508d 13–14 lucem … illustrare] Io. 1.9 14 David … intellectum] Ps. 118.34 15 lucerna … tuum] Ps. 118.105

mortalibus largiatur, sed et omnium omnipotentia est. At simul quae hominibus praestant munera omnes praestant. Hoc scitum illud Homeri sibi vult, ubi de diis verba faciens δωτῆρες ἐάων, "datores bonorum" esse dicit, quasi sive ipse norit, sive ab iis, qui sapientiae altitudinem suspexerunt, hauserit, monitos nos voluit earum rerum, quae nobis divinitus dantur, non Parentem tantum aut Filium, sed omnes simul bonorum nobis esse largitores. Quam ob rem cum datum quid dicimus, quoniam actum tempusque intelligimus, tribus natura divina constantibus acceptum referimus. Cum vero munera donave nominamus, quia non actum, sed habitum, non temporarium, sed aeternum dicimus, idcirco non naturae rem opusque esse volumus, sed personae. Quare recte statutum est, munera ad Amorem pertinere; quam quidem rem propria appellatione Plato innuit, cui Amor ἄδωρος δυσμενείας, φιλόδωρος εὐμενείας nominatus est, ut quidam interpretantur, "malevolentiae expulsor, donator benevolentiae." Cum itaque φιλόδωρος nuncupatur, donorum amator et liberalitatis studiosus esse significatur. His adiicimus, munerum non modo amatorem, sed et ipsum munus esse, et primum. Nam cum inter datum ac munus haec intersint tria, quod id tempus prae se fert, hoc tempori non addictum est; id actum, hoc habitum refert; id simpliciter atque utcumque traditum, hoc gratis ac nullius spe lucri, sed sola animi liberalitate erogatum dicitur, sicut in Rhetoricis prodidit Aristoteles. Quae enim aut metu, aut spe, aut alia animi perturbatione traduntur, non munera, sed aut malorum declinandorum remedia, aut opum expiscandarum hami habendi nuncupandique sunt. Eam profecto rem quam elegantissime significavit Maro, qui cum in hominis mentionem incidisset, qui non Amoris, non liberalitatis studio, sed lucri et auri cupiditate rem vel hosti tradebat, non donasse, sed vendidisse ait, accommodatissima nimirum appellatione, cum qui spe praemii dat, non donator, sed captator habendus sit: "Hectoris hic Priamo corpus vendebat Achilles." Quid est enim quod Abel prius, ac deinde munera respicit Deus, nisi quod, ut interpretatur Isaias, in sacrificiis sacrisque muneribus, non tam munera, quam voluntas, non tam magnificentia et opes quae dantur, quam dandi studium amorque censendus est? Quod si nemo rite donaverit, nisi munera omnia amor antecesserit, non immerito in Rhetoricis

30 ac *sl. V*

2–4 scitum … dicit] 2 Homeri] Hom. *N1 V* 12–15 quam … benevolentiae] Symp. 57 *N1 N2 Vλ* 24–30 Eam … Achilles] Virg. *N1 V*

3 δωτῆρες ἐάων] Od. 8.325 13 …] Smp. 197d 29–30 Hectoris … Achilles *cf.* Aen. 1.484

scriptum reliquit Aristoteles, donorum omnium primum esse Amorem; qui enim donis quempiam ornare studet, amore prius prosequatur oportet. Ex his conficitur, omnium donorum Amorem vel causam vel rationem esse existimandum; nam si omni in genere quod primum statuitur, Aristotele teste, id aliorum omnium causa statuendum est, ut inter corpora caelum, inter lucentia sol, inter ea quae sunt substantia, inter substantias quae a corpora mole abiuncta est, inter abiunctas omnium princeps Deus; fieri non potest, quin omnium eorum, quae a liberalitate proficiscuntur, tamquam origo atque auctor Amor praeficiatur. Nam cum beatae vitae duae partes sint, altera veri contemplandi, altera Summi Boni fruendi compos est: alter intelligentiae affulget, altera explet et perculit voluntatem; illic pulcherrimam nacti lucem pulcherrimi evadimus, hic potiti optimo efficimur optimi. Haec vero cum in Alcibiade, tum passim Plato vult largiri hominibus Deum, quod munerum omnium princeps Amor est. Numquam pulcherrimum atque optimum cuique donat Deus, nisi Amor anticipet et praecurrat. Quas ob res tribus illis appellationibus dignissimus est, ut dux, ut pulcherrimus, ut optimus nominetur. Quod Amoris studiosissimus lato accommodatissime prodidit: ἡγεμὼν, inquit, κάλλιστος καὶ ἄριστος, "dux pulcherrimus nobis atque optimus." Atque haec eadem supra proposuerat: θεῶν εὐδαιμονέστατον κάλλιστον ὄντα καὶ ἄριστον, "deorum beatissimum" Amorem, "quod pulcherrimus sit simul atque optimus." Quod idcirco ait, quoniam duabus illis partibus felicitatem conflari arbitrabatur. Ad haec illud accedat consentaneum est gratiam omnem, qua Deo cari efficimur, in humanas animas ex eo manare; nam quidquid illae agant, nisi Deo optimo maximo gratae sint, atque ut Apostolus ait, caritatem habeant, nihil omnino habent; frustra enim ea sunt omnia, quae finem cuius gratia sunt, non assecuntur. Nodus, quo Deo summoque Bono haeremus, Amor est, quippe qui illum nobis propitium, nos illi gratum facit; ac nisi sanctoque firmoque vinculo ita nos devinciat, neque nobis ille propitius, neque nos illi grati esse possumus. Divinum itaque vinculum hoc, quasi Homericam illam catenam, ita Plato meminit, vim illum ratus habere daemonicam. Daemonas deos secundos vocant, qui medium inter Deum atque hominis locum tenent. Et quamquam Amorem daemonem vocet, hoc est, bonam

---

4 esse *sl. V* 5 id] in *V* 17 nominatur *ac. N1*; noitur *V* 33 Deos *N2*

13–15 Haec … est] 3 Alc. *N1* 18–19 Quod … optimus] Symp. 57 *N1 N2*; Symp.37 *V*

18–19 ἡγεμὼν … ἄριστος] Smp. 197e 20–21 … ἄριστον] Smp. 195a 26 ut … habent] 1 Cor. 13.2

mentem, quam nos eodem appellamus nomine, atque Hebraea appellatione "seraphinum" dicimus, cum tamen Amorem, quem magnum esse Deum, et pulcherrimum, et optimum, non natura medium inter nos ac Deum existimat, sed officio; non substantiam, sed munera, non quid sit in divinis, sed quid mortalibus praestat, describit: μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ. τίνα δύναμιν ἔχον; ἑρμηνεῦον καὶ διαπορθμεῦον θεοῖς τὰ παρ' ἀνθρώπων καὶ ἀνθρώποις τὰ παρὰ θεῶν … ἐν μέσῳ δὲ ὂν ἀμφοτέρων συμπληροῖ, ὥστε τὸ πᾶν αὐτὸ αὑτῷ συνδεδέσθαι, "Dei est atque mortalis medius. Ecquam vim habet? interpretandi ac traiiciendi humana quidem ad deos, divina ad homines … in utrorumque vero medio constitutus, implet omnia, quam ob rem universum secum ipsum vincitur ac nectitur." Hanc dicit daemonum naturam esse, eandemque Amoris. Quid enim mirum, mentium caelestium naturam Amori cognatam esse, si Iacob divini viri scalam Amorem esse paulo ante ostendimus, per quam ille ascendentes descendentesque mentes illas viderat, hinc praeces ac vota, illinc munera divinamque lucem non nisi Amoris gradibus illos convehentes? O sanctissimum, O felicissimum vinculum! O felices animos illos, qui nexum beatum induunt caecos si agnoscunt, miseros si dissolvunt! Eo enim devicti immortales, felices, dii efficimur; soluti evadimus brutis calamitosiores, mortales, et miseri. Hinc Platoni ἱλέως "propitius" vocatur, quippe quo auctore, ut paulo superius dixerat, φίλοι γὰρ γενόμενοι καὶ διαλλαγέντες τῷ θεῷ "amici facti et conciliati Deo" amissas sauciae naturae vires recuperamus, καὶ οὕτως ἂν ἡμῶν τὸ γένος εὐδαιμον γίγνεται, "sic utique beatum evadit nostrum genus." Amoris itaque munus est, quod Deo grati sumus et gratiosorum numero, (ut Romano utar verbo) ascribamur. Praeterea ea munera, quae humanas excedunt vires, et vaticinia, atque alia, quae gratis collata dona nostri vocant, in eundem referri auctorem; nam qui finis est potens, fieri non potest, ut ea non possideat, quae frui conducunt quaerendo assequendoque. Nam et cum rerum optimus sit finis, ipsum qui possidet et cui lubet possidendum dat par est uti haec alia, quae bonorum fine longe deteriora sunt, idem possideat, atque eadem cui vult habenda tradat; de quo oraculum iactissimum extat, quod cui vult inspirat. Phaedrus amoris furorem com-

---

2 Amorem 3 et] *sl. N1* 9 Ecquam … habet *om. N1 V* 21 auctore] ascribamur *add. ac. N1* 23] *in marg. V* 26 ascribamur *in marg. N1*

33–509.4 Phaedrus … commodissimus] Phedr. 19 *N1 N2 V*

5–8 … συνδεδέσθαιDei] Smp. 202e 20 ἱλέως] Smp. 197d 21–22 … θεῷ] Smp. 193b 23–24 … γίγνεται] Smp. 193c 33 quod … inspirat] Io. 3.8

mendans, et Delphicas et Dodoneas sortes, et Sybillae praedictiones, non nisi furore hoc haberi testatur, quippe cum et pulcherrimus, καὶ ὅταν θείᾳ μοίρᾳ γίγνηται, "cum divina fit sorte," sit generi humano commodissimus. Non omiserim quod est in sacris rebus usitatissimum prophetae nomen hoc loco apud prophetam legi ἥ τε γὰρ δὴ ἐν Δελφοῖς προφῆτις αἵ τ' ἐν Δωδώνῃ ἱέρειαι μανεῖσαι μὲν πολλὰ δὴ καὶ καλὰ ἰδίᾳ τε καὶ δημοσίᾳ τὴν Ἑλλάδα ἠργάσαντο, σωφρονοῦσαι δὲ βραχέα ἢ οὐδέν, "quae autem in Delphis prophetes, ac quae Dodonae sacerdotes sunt, furentes quidem multa magnaque commoda Graeciae acturae, sane vero aut perexigua aut nulla." His statim etiam Sibyllam adiunxit additque μαντικὴν principio μανικὴν ἀπὸ τῆς μανίας, dictam, "vaticinatricem vim a furore vocatam initio manicen, quasi aut furiosa aut furens"; deinde T littera interiecta Manticen fuisse vocitatam. Ac ne alio quam Amoris furore istaec fieri suspiciemur, ita in Symposio scriptum reliquit praeter alias artes τὴν μαντικὴν Ἀπόλλων ἀνηῦρεν ἐπιθυμίας καὶ ἔρωτος ἡγεμονεύσαντος, "futurorum praedictionem cupidine atque amore duce Apollo adinvenit." Quid et ea dicam? Artium et virtutum omnium largitorem esse vel iis, qui rudes prius ac cuiusvis eruditiones expertes fuerint. Scribit late haec eodem loco Plato, qui huic uni tribuit τὴν τῶν τεχνῶν δημιουργίαν, "artium facultatem," nam et poesin, quam veteres futura praesagire volebant, ut in Ione copiosissime disputatum est, non nisi ab uno inspirante tradi contendit: πᾶς γοῦν ποιητὴς γίγνεται κἂν ἄμουσος ἂν ᾖ τὸ πρίν, οὗ ἂν Ἔρως ἅψηται, "quique enim vates fit quamvis rudis prius fuerit, cum primum eum Amor vel attigerit" vel afflaverit. Admirari certe hoc loco licet nobis, unde haec Plato noverit, quae semel generi humano contigisse constat, duodecim illos principes et ignaros prius et rudes, cum primum Sancti Amoris numen afflavit, ita omnia nosse disseruisse, potuisse, ut non Deo pleni modo, sed dii etiam facti visi sint. Verum etsi tanta Amoris copia data semel est, saepe tamen prius non nullis hominum idcirco aliqua ex parte tributa est, ut unicam illam exuberatissimam plenitudinem futuram praedicerent. Quam rem cum aliis plerisque, tum praecipue Ioheli prophetae factam videmus, qui et liberalissima luminis erogatione

---

9 acturae] atture *N1*; attalere *N2* 27 nosse *in marg. V* 28 sint] sunt *ac. N1*; sunt *V*H

14–17 ita … adinvenit] Symp. 36 *N1 N2* 18–20 Scribit … facultatem] 20–21 nam … est] Ion. *N1 N2 V*

2–3 … γίγνηται] Phdr. 244c 5–7 … οὐδέν] Phdr. 244a f. 11 … μανίας] Phdr. 244c 15 τ … ἡγεμονεύσαντος] Smp. 197a 19 … δημιουργίαν] Smp. 197a 22–23 … ἅψηται] Smp. 196e 32–510.2 Ioheli … demonstravit] Ioel 2.28

Apostolorum animis illapsurum cecinit, et omnium virtutum, artium, sermonum, miraculorum artificem futurum demonstravit. Sane de virtutibus ambigendum non fuerit; nam prudentia virtutum forma vocata est, quod sola in medium ducat homines duce ratione. Amor vero ac caritas idcirco prudentiae atque omnium forma est, quod sola affectum in finem summumque bonum moveat; quod ni faciat, frustra virtutes aliae sunt, quippe quae summo finis bono minime potiantur. Hinc Plato τοῦ ἀγαθοῦ ἰδέαν μέγιστον μάθημα, "ideam boni" cognominabat "maximam disciplinam," in quam nos Amor ille boni summi ducit, ut quidquid agimus, illius potiundi gratia exigamus. Quam ob rem sequitur: εἰ ὅτι μάλιστα τἆλλα ἐπισταίμεθα ἄνευ ταύτης οἶσθα, ὅτι οὐδὲν ἡμῖν ὄφελος ὥσπερ οὐδ' εἰ ἡμῖν κεκτῄμεθά τι ἄνευ τοῦ ἀγαθοῦ, "si praeclarissima alia sciamus absque ea idea, nihil nobis profuerit, quem ad modum si quid absque bono possideremus." Cumque apud eum virtutes omnes et scientiae et disciplinae vocentur, quibus animus ad hoc vel id constanter agendum adducitur, idcirco ideam Boni appellat disciplinam, quod virtutum maxima sit, quippe quae maximo nos bono conciliet, quodque virtutes alias vere virtutes faciat et esse et nominari. Nam si, ut Aristoteles inquit, μάτην ὑπόδημα τοῦτο λέγομεν, οὗ μή ἐστιν ὑποδύεσθαι, "frustra calceum dicimus, quem nemo induit"; nequidquam enim dicuntur, quae finis gratia cum sint, finem non attingunt. At summi boni assequendi gratia virtutibus capessendis damus operam; nisi illae in summum bonum et tendant et ducant, nequidquam omnino sunt. Atqui Boni idea illas eo dirigit; Boni itaque idea sola facit, ut verae sint virtutes ac frustra minime sint. Cumque ad illam solus Amor convertat, solus Amor absoluta est perfectio ac forma virtutum. Actio enim omnis formae tribuitur, cum pati sit materiae ac silvae. Ut autem prudentia virtutum aliarum, Amor prudentiae, ita gratia Amoris caritatisque forma est. Amor enim nos in finem vertit, ut finis gratia faciamus omnia. Sed nisi quae conversi in finem agimus, accepta grataque illi sint, cui facimus, nihil actum est. Quam ob rem ut prudentiae caritas, ita gratia caritatis est forma. Amor enim nos movet, ut in Deum tendamus, gratia facit, ut grati illi simus; Amor dat ut illum nos amemus, gratia ut ille nos. Utrumque vinculum laudabat sponsa, alterum quo nos Deo, alterum quo Deus nobis annectitur:

---

12 ἀγαθοῦ] *sl. V* 19 ἐστιν ὑποδύεσθαι] *sl. V* 33 amemus] amovemus *ac. N1*; amevemus *sl. V* 34 Deus] Deum *N1*

7–9 Hinc … disciplinam] 6 Reip. 31 *N1 N2 V*

7–8 … μάθημα] R. 6 505a 10–12 … ἀγαθοῦ] R. 6 505b 19 μ … ὑποδύεσθαι] Cael. 1.4.30 271a

"dilectus," inquit, "meus mihi et ego illi." Incipit a sponso, qui causa est bonorum omnium et Amoris et gratiae; appellat "dilectum," non "sponsum," non "dominum," non "principem," sed "dilectum," quod amatoria omnis est ista coniunctio: ego illi amore, ille mihi gratia iungitur; ego illi amando, ille mihi mea excipiendo sese praestat; ego illi omnia postpono, ille mea recipit quae propono. Quamquam tamen ego illi amore haereo, non tamen quia ego illi, ille mihi, sed quia dilectus meus mihi, ego illi. Nam tria haec in his, quibus sensus capitur ac tenetur, contemplari licet, in quibus natura, studium, gratia suo ordine cum coierint, mirifice spectantium mentes occupant. Facies enim non nullae ita natura constitutae sunt, ut legitimis partibus constent, ac cum universo corpore, quantitate, qualitatibus commoda mensura atque harmonia consentiant. Sed quoniam ornatus et cultus abest vel morum, ut in scorto, et scelesto animo, vel ceteri habitus, ut in neglectis immundis spurcisque; idcirco parum placent. Deinde plerisque naturae partes quidem exactae insunt, nec etiam culturae et politurae cura atque studium deest, inest niveus candor, insunt nigelli oculi, inest suus in labiis atque in genis rubor, ac si examines, nulla est pars cui quidquam deesse videatur, his etiam adiecto tum ornatum tum cultu, universo tamen deest nescio quid salium, leporum, illecebrarum, quam gratiam vocamus. Ad hanc vero sentiendam, quam disserendam aptiores sumus, utque ad sentiendam propensissimi, ita ad eloquendam ineptissimi sumus; adeo quod sit, quodque rerum omnium maxime alliciens sit omnes intelligimus, quid tandem sit, quaque in re sita vix suspicari quidem possumus. Quot enim formae sunt quae omnem illam vel temperiem vel mensuram nactae, quae Philebus enumerat, nescio tamen qua sorte frigent ac torpent, et ut omnium consensu aliqui commendentur, parum tamen afficiunt, parum oculos vel capiunt vel movent, ut plerumque parvae magnis, oblaesae sanis, fuscae candidis, et menda affectae integris praeponantur. Idem experimur in musica, in poetis, in oratoribus; nam ut homines his rebus natura nascantur aptissimi ut postea in arte comparanda studium curamque collocaverint, nisi rerum ornamentum absolutissimum gratia affuerit, frustra (ut aiunt) oleum atque operam, tamquam in cassum feraces arbores aut frondescant aut floreant, nisi poma fructusque tandem ferant. Ita ferme in hominum vita fit ad summos rerum fines contendentium.

16 cultura *V* | politura *N1 V*

1 dilectus … illi] Cant. *N1 N2 V* 24–26 Quot … torpent] Phil. 37.132 *N1 N2 V*

1 dilectus … illi] Cant. 2.16

Virtutum omnium humano vel studio vel exercitatione quaesitarum prudentia summa est, tamquam rerum basis atque fundamentum; quae una in actionibus medium recta ratione praescribit. Sed frustra vel medicina vel navigatio sit, nisi altera aegritudine laborantes in salutem agat, altera pelago iactatos in portum. Frustra prudentia duce virtutes scientiasque omnes comparamus, nisi omnem animi affectum, aciem, cogitationem traducat in optimum. Aperte illud in Alcibiade Plato cum saepe optimi scientiam praedicasset: κινδυνεύει τό γε τῶν ἄλλων ἐπιστημῶν κτῆμα, ἐάν τις ἄνευ τοῦ βελτίστου κεκτημένος ᾖ, ὀλιγάκις μὲν ὠφελεῖν, βλάπτειν δὲ τὰ πλείω, "videtur," inquit, "aliarum possessio scientiarum, si quis absque optimo possideat, prodesse quidem raro, obesse autem saepius." Ac paulo posterius addit, quod si quis aliarum scientiarum ductu agatur absque optimi scientia δικαίως πολλῷ χειμῶνι χρήσεται, "merito multa tempestate iactabitur"; citatque illud Homeri de Margite: ὡς ἄρα πολλὰ μὲν "ἠπίστατο ἔργα," κακῶς δὲ ἠπίστατο πάντα," "ut multa quidem nosset, male tamen norat omnia." Interpretatur postea poetae aenigma, quod eum male nosse omnia diceret, cui nosse malum est, ut homini multa scienti perniciosum est ἄνευ κυβερνήτου "absque gubernatore" iactari. Verum Boni possessionem veram scientia, quae similibus et simulacris constat, non adipiscimur, sed Amore duce; nam scientiam rerum simulacris in nobis imaginibusque contenta est, Amor nos extra nos ipsos abducens cogit ad res ipsas alis potentissimis convolare. Amore enim ductore, τίκτειν οὐκ εἴδωλα ἀρετῆς, ἅτε οὐκ εἰδώλου ἐφαπτομένῳ, "parere" hominem "non simulacra virtutis, cum simulacris non haereat, sed veritatem ac rem ipsam, quando quidem rem ipsam attingit." Manifesta Platonis sententia est, qui Amoris huius expers sit virtutes veras haud possidere, sed simulacra tantum imaginesque virtutum. Habes itaque post prudentiam Amorem qui secundum praescripto ordine locum obtinuit. Tertio adsit amanti gratia necesse est; Amor enim facit, ut amato placere studeamus, gratia ut etiam placeamus. Amor et nos et nostra in illum, gratia illum in hos et nostra convertit. Amor praestat ut ille nobis, gratia ut nos illi grati ac proinde vere amici efficiamur. Amor benevolentiam, gratia cum mutuum addat, etiam amicitiam parit. Quam ob rem

---

4 in *sl. N1*

7–11 Aperte … saepius] 2 Alc. 17.18.21.22 *N1 N2 V* 14–16 illud … omnia] Hom. *N1 V* 19 veram] *asteriscus N2* 22–25 Amore … attingit] Symp.55 *N1 N2 V*

8–10 … πλείω] 2 Alc. 144d 13 … χρήσεται] 2 Alc. 147a 14–15 … πάντα] 2 Alc. 147b 18 ἄνευ κυβερνήτου] 2 Alc. 147a 23 … ἐφαπτομένῳ] Smp. 212a

eodem loco, ubi Amore veras virtutes adipisci nos docuit, tertium quoque adiecit: τεκόντι δὲ ἀρετὴν ἀληθῆ καὶ θρεψαμένῳ ὑπάρχει θεοφιλεῖ γενέσθαι, id est, "parienti veram virtutem illamque …" "Cumque veram virtutem pepererit et aluerit, Deo amicus efficitur." Iure itaque a Diotima "medius" appellatus est Amor, quippe qui hinc ipse dat alteri, hinc rursus capit ab altero; hinc complet virtutem, hinc completur a gratia; illam in finem convertit, hac adipiscitur finem; illam exactam absolutamque facit, hac ipse exactus est et absolutus efficitur. Postea quam in novenarium ventum est, Musarum gratia animo sese offert, quae quidem omnis ex Amoris deliciis profecta est; nam orientium obeuntiumque rerum ordo, etiam Aristotele teste tam in de Generatione quam in Meteororum libro, e caelestium orbium conversionibus pendet totus. Orbium vero caelestium agitatio mentium agitatricum cura fit. Mentes in primi regis nutum omnem figunt intelligentiae aciem, ubi ideam Boni reperiunt, divinissimam Patris sapientiam atque artem, qua veluti archetypo initio atque exemplari luculentissimae rerum tum creandarum formulae, tum etiam gubernandarum rationes continentur, quos "sapientiae scientiaeque thesauros" appellabat Paulus. Ille itaque divinissimus atque inextimabilis divinarum rationum ordo, qui in divina arte coruscat, simplicissimorum numerorum primaria princeps harmonia vocata est. Hanc mentes cum hauriunt, summa suavitate captae ac perculsae demirantur, venerantur, observant. Et quoniam, Ionanne auctore, quidquid in eo sole continetur, lux beatissima est, ea omnis melodia non vocis, sed lucis, non sonorum, sed radiorum obtinet rationem. Lyram itaque atque arcum Apollini ea causa tradidere veteres, quod is et harmonicas rerum, essentiarum, virtutum, actionumque omnium intus premat formulas, et harmonicis radiis mentes eminus feriat contemplantes. Quam ob rem musicis illis numeris affectae mentes secundariam in se ipsis harmoniam incredibili voluptate concipiunt, augustioris illius quam maxime fieri potest imitatricem, tantoque Amoris aestu stimulantur, ut internis quasi concentibus non contentae, tamquam furore correptae atque ebriae in tertiam externorum motuum ac cursuum corporeorum consonantium, orbibus in gyrum agitatis, erumpunt. Prima divini Filii musica fuerit velut lyra;

---

3 parienti … illamque] *scribitur et post eras. N2* 3–4 Cumque … efficitur *add. N2* 11 Meteororum] meteorum *ac. N1* 15 sapientiam] s *praem. N1*

11 Aristotele teste] *signum manus, digito extenso, add. N2*

2–3 … γενέσθαι] Smp. 212a 10–12 orientium … totus] GC 2.10 336a; Meteor. 1.3 340b 17–18 sapientiae … thesauros *cf.* Coloss. 2.3

secunda, qua mentium imitatricum respondet chorus, ut ad lyram voces concentusque canentium; tertia solis, lunae, siderum, varia concitatione currentium, velut duarum sequax saltatio sit, et aeternarum lusus chorearum. Prima fidium ratio in divinae sapientiae luce sita dux totius musicae est; sequens in vocibus intelligibilibus mentium, quae ad divinam chelym attonitae miro quasi exanimantis voluptatis oestro stimulantur; postrema ut eorum, qui nimia laetitia affecti se cohibere non possunt, quin in externos corporis notus gesticulationesque prorumpant. Illa Apollinea ac divina; altera musica internis Musarum vocibus constans; tertia Dionysiaca vocitata est. Cum civitates ac miram illam Rempublicam instituit Plato, iubet divinum musicae ordinem imitari; quam ob rem τρεῖς ὄντας τοῦς χορούς, "tres" musicae "choros" haberi praecipiens, puerorum, virorum, senum duces musicae universae tres facit, in quis trium superiorum pinxit ordinem, divinum scilicet, mentium, ac corporum: ὁ μὲν τοίνυν τοῦ Ἀπόλλωνος καὶ τῶν Μουσῶν χορὸς εἴρηνται, τὸν δὲ τρίτον καὶ τὸν λοιπὸν χορὸν ἀνάγκη τοῦ Διονύσου λέγεσθαι, "hic quidem Apollinis ac Musarum chorus appellatus est, tertium autem par est Dionysii chorum dici." Sane de divina musica, quam aliarum ducem omnium facit, cum Ἀπόλλωνα μουσηγέτην, "Apollinem musicae ducem" nominat atque auctorem in dubium revocari non potest, Apollineam iure vocitatam fuisse, quippe quam in divino Filio esse statuimus, qui cum, sicut Iohannes ait, "omnes illuminet" illustretque, non immerito appellationem solis melioris accepit; quo quidem nomine a duobus quoque sacri gregis vatibus appellatus est. Verum ut tandem eo se oratio referat, unde digressa est, agedum brevi perstringemus, quinam omnis haec musicae gratia ex Amore noscatur. Principio solem illum intelligentiae Dei Filium etsi non amoris, sed naturae atque intelligentiae ratione natura volumus, opinatissimos tamen testes afferre possumus, qui eam sententiam posteris tradidere, divinum Amorem possum non fuisse divinam Bonitatem prole carere; atque idcirco Filium illum, lucis et diei, quae mentibus animisque illucescit, auctorem, Amore natum aliqua ratione dici potest, si receptissimam illam, quam recitavimus, sententiam admiserimus. At cum ea, quae ad aliquid sunt, simul natura dicat Aristoteles;

3 veluti *N2* 24 appellitatum *N1 V*

14–18 corporum … dici] | … dici] 2 Leg. 16 *N1 N2 V*

11–12 … χορούς] Lg. 2 664b 14–16 … λέγεσθαι] Lg. 2 665a 19 Ἀπόλλωνα μουσηγέτην] Lg. 2 653d

nam, Platone teste, ἔστιν ὑέος γε ἢ θυγατρὸς ὁ πατὴρ πατήρ, "est pater filii vel filiae pater"; si Amor, ut ille inquit, efficit ut Deus prole non careret, profecto eadem ratione uti et Filius esset Filius, et simul pater esset pater efficit. O incredibilem solis illius liberalitatem! qui, mirabile dictu, caecissimas, ut sic dicam, speluncas penetrans, eo affert lucemque diemque, quo nemo ratios pertingere posse suspicaretur. Quis crederet rem sero mortalibus a solo illo sole monstratam etiam caecis illis hominibus, "qui in tenebris ac mortis umbra iacebant," ante tot saecula significatam et tamquam somniti ambagibus occlusam fuisse, ut et Hesiodus et Orpheus et Plato ἔρωτα θεῶν καὶ πρεσβύτατον, "Amorem deorum antiquissimum" vocaverunt, quippe qui, velut exposuimus, non aetate, non annis, sed quadam cogitandi ratione et quod Filius de Parente nasceretur et quod gignens Filii Parens efficeretur, auctor et dici et esse potuerit. Neque sacer sermo refugit "antiqui" appellatione, cui etiam quod "dierum" nomen inculcaverit Daniel vitium illi datum non est, ubi temporis non modo suspicionem, sed apertissimam mentionem fecit. Quod si Amor (ea semper ratione intelligo) auctor fuit, ut Filius Parente nasceretur; atqui in Filio divina illa musicae gratia est, quam et Apollineam et aliorum omnium ducem fecimus; Amor igitur quod illa Filio insit est auctor. At illa, ut saepe dixi, fons est gratiarum, unde rebus gratia omnis corrivatur; Amor itaque gratiae omnis auctor iure optimo debet et dici et haberi. Huic clarissimae Amoris gloriae, qui (ut alius nescio quis altius forte scribensque putarat) "in superos habet ille deos," addo in illa ipsa divinissima Dei natura alia etiam ratione Amorem ius habere, et Gratias, quas Graeci deas tres uno nexu vinctas praedicant, aeterno beatoque nexu iungere. Magni enim Augustini sententia est sapientum suffragio celeberrima atque cantatissima, Parentis Filiique nexum esse Amorem. Quid aliud sibi vult figmentum veterum; Gratias esse tres et nodo iunctas, nisi mirum ac divinum illum Amoris nexum quo Pater Prolesque connectitur; cumque ut Pater Deus, atque ut Filius Deus, ita et nexus ille Deus sit, non duas, sed tres Gratias tradidere. Et quamquam origine Pater aliorum sit auctor, nexus tamen ac nectendi munus titulis Amoris ascribitur, cum praeter id quod vinciri Amore omnia in Symposio scripserat

---

23 scribensquam *N1* 25 deas *om. N2*

1 Platone] Symp. 40 *N1 N2 V* 1–2 Platone … pater] Symp. 13 *N1 N2 V* 25 deas] *asteriscus N2*

1 … πατήρ] Smp. 199d 8 qui … iacebant] Luc. 1.79 10 … πρεσβύτατον] Smp. 180b 14–15 antiqui … Daniel] Da. 7.9 23 in … deos] *cf.* Her. 4.12

Plato, in Republica quoque naturam doceat πρὸς τὴν ἀλλήλων μεῖξιν ἕλκειν ἐρωτικαῖς ἀνάγκαις, "ad coniunctionem invicem trahere necessitatibus amatoriis," hoc est, Amoris vinculis viribusque insuperabili ductu trahentibus quae distincta inter se sunt, in unum iungi atque copulari. Amoris improbi vincula in illius hymno leguntur, qui malam necessitatem deflens exclamabat: "funes peccatorum circumplexi sunt me." Apud alium "lex membrorum" dicta est captivum hominem trahens; et vide quam necessitatem illam dici velit qui ait: "non quae velim ego, sed quae omnino noluerim." Amoris vero divini nodos docet vates alter, penes quem Deus ipse ait: "traham eos in funiculis caritatis." Quae omnia eo tendunt, ut constet quamquam Amor ut Filius quidquid habent, a Parente habent, quoniam tamen Amor Filiusque Pater minime sunt, haud absurdum duci oportet aliquid vel Filio vel Amori tribui quod Parenti tribui non oporteat. Nam de Parente manare Filio Amorique commune est; et quamquam id totum Parenti ascribitur, quod ex eo manent, quod tamen ipse etiam manet, Parenti ascribere nefas est. Ita nectendi vis Amoris est munus, tametsi ex eo et est et quaecumque habet Amor assequitur. Quas ob res nodus ille, quibus gratias iunctas esse volunt, non rei alterius quam Amoris est opus; quod quidem commentum nisi hac ratione suscipiatur, vani ineptique homines iudicabitur, quod esse idcirco non decet, quod Platoni philosophiae Parenti invenimus quam saepissime usurpatum. Posteaquam Apollineam illam Musicam Amori ea qua diximus ratione tribuimus, tribuo et Musarum. Nam octo orbes siderum numeravit Plato, quem quidem numerum etsi nos longe secus, ipse tamen Aristoteles non labefactavit. Octo itaque partium motricibus nonam totius formam Plato adiecit, cui sane rei ne ipse quidem Dionysius refragratur, qui in mentibus illis, quae mortalis corporis consortio ascitae non sint, novem erigit ordines. Quam ob rem iam numerum Musarum tenemus, tum philosophorum disputationibus statutum, tum oraculorum attestatione confirmatum. Acies enim illae novem suam quaeque ducem habeant oportet; quo fit, ut idem stet numerus, tam si motrices aspicias, quam si etiam ab omni mole seiunctas intuere. Illud praeterea cogitandum est, quod ut Diotima disputat Πόρου καὶ Πενίας υἱὸς ὁ Ἔρως, "Pori et Peniae (id est, copiae et egestatis) Amor est filius." Qui Platonem interpretantur,

---

1–3 in … amatoriis] 5 Reip. 17 *N1 N2 V* 23 Nam … Plato] Epin. *N1 V*

1–2 … ἀνάγκαις] R. 5 458d 6 funes … me] Ps. 118.61 7 lex membrorum] Rom. 7.23 8–9 non … noluerim] Rom. 7.19 10 traham … caritatis] Hos. 11.4 33 … Ἔρως] R. 204b

Amorem volunt in mentium voluntate natum, cum illae divinam lucem non etiamnum adeptae esset; quapropter et mens mater egens et Amor ipse egens dictus est. Amorem autem concepisse matrem vult, cum in Iovis hortis prope Porum recubuisset ubi creatarum mentium conversionem significat in divinam lucem, cui mens ubi acie cogitationis inhaesit Amorem peperit. Cum statim divini spectaculi Amore flagraverint, eoque Amore, quo propriae pulchritudini divinam anteposuit, factum est, ut quae divinae lucis indiga erat, divina beataque luce completa sit ac proinde dea evaserit, hoc est, ob divinam beatamque lucem exceptam aeternam adepta sit et rerum divinarum possessionem, quibus fruitur, et humanarum curam, quas uti divinae rationi consonat, administrat. Quas ob res Gratia illa omnis, quae in beatis mentibus extat, non nisi ex Amore profecta est, tum divino, quo illas Deus optimus maximus adamavit, tum suo, quo ipse divinam liberalitatem non modo non contempsere, sed quam studio ac desiderio stimulatae disquisiere; quin quoniam illae summum Bonum ea constantissima inquisitione assecutae sunt, ex ea amatoria inquisitione nomen accepere, Musaeque ἀπὸ τοῦ μῶσθαι "ex inquirendo," auctore Platone, adeptae sunt. Ante enim quam divinam beatitudinem quaerendo nanciscerentur, mentes quidem erant, immortales erant, divino tamen dignae cognomento non erant, atque deorum dici appellatione non poterant. Tria namque rerum omnium lumina et tamquam mundi apices esse docet Plato, animam, mentem, Deum, quem non mentem, sed supra mentem tam ipse quam Dionysius esse vult. Animae alimoniam atque agitationem, menti sapientiam, Deo beatitudinem facit natura ipsa tributam. Atque idcirco animam quidem numerum tum se tum alia moventem, naturas medio constitutas at δαίμονας ὅτι φρόνιμοι καὶ δαήμονες ἦσαν, appellasse Hesiodum. Deum vero non δαίμονα sed a εὐδαίμονα dici vult, quo nomine summum rerum verticem significat non aliunde lucem mutuantem, sed se ipso uti beatitudinis fonte suapte et natura et ingenio fruentem. Animas hic non natura sapientes, sed post obitum fieri δαίμονας vult Hesiodus. Verum πᾶν τὸ δαιμόνιον μεταξύ ἐστι θεοῦ τε καὶ θνητοῦ, "in Dei mortalisque interstitio ac medio ea sita natura est," quae quoniam animam innata sapientia longe excellit, daemonium obtinuit nomen, quippe quae

12 Gratia] gratias *ac. N1*

17–18 Musaeque … sunt] Crat. 38 *N1 V*; Crat. 28 *N2* 28–30 Deum … fruentem] Symp. 44.45 *N1 N2 V* 32–33 Verum … est] Crat. 25 *N1*

17–18 … μῶσθαι] Cra. 406a 27 … ἦσαν] Cra. 398b 32 … θνητοῦ] Smp. 202d

εὐδαίμονος appellationem non meruerit, cum beata suapte natura minime sit. Atqui quando sors haec solius Dei est, idcirco quem ad modum naturam mediam οὐκ εὐδαίμονα, ἀλλὰ δαίμονα, ita supremum ac beatissimum illud οὐ δαίμονα, ἀλλὰ εὐδαίμονα "non daemonem, sed beatum" nominamus. Musarum itaque gratia Amori debetur, cuius illae stimulis actae summum Bonum, quo nanciscendo caruerant, amando et vestigando adeptae sunt; et quae prius aut daemones aut divae dici tantum poterant postea divino coniugio et complexu, duce Amore, in Dei hortis potitae (ut Platonis verbis utar) non modo divae, verum etiam deae et fuere et dictae sunt, quod (uti dicebamus) iis tantum tribui putat, in quis nihil quod ad beatam vitam pertineat desideratur, et si eius dumtaxat sit proprium, qui non sit felix praecario, sed natura. Utrumque Platonicus vates Musarum nomen prodidit: "et meministis enim, divae, et memorare potestis," cum tamen paulo ante dixisset: "panditae nunc Helicona deae cantusque movete." Illud naturae nomen, hoc muneris est; in eo vis memoriae exponitur, quam ab ipso statim ortu tenuere; in hoc sublimis beatitudinis apex commendatur, in quem, Amore duce, conscendere; illic memorare posse dicuntur, quod tunc etiam poterant, cum nondum Apollinis lyram audissent; hic uti cantus moveant orantur, quod utique haudquaquam possent, nisi et summam illam imbibissent musicam, ac proinde et Musarum et dearum sibi nomen vindicassent; in eo intelligentiae laus ex ipsis natalibus, in hoc felicitatis gloria ex Amoris officiis profecta significatur; ut divae idcirco dicendae sint, quod corpore mortali sint liberae atque idcirco magnis praeditae cognoscendi et intelligendi muneribus, deae vero quod naturae vim divinis plenae opibus beaverint, ideoque dei participes effecti evaserint boni beneficique mortalibus, quod nimirum ille norat, qui ita orabat: "nunc mihi, manes, este boni." Nam veluti cum sol ille aureus ac divinus mentes beata luce ut felicis lyrae numeris cit et ducit, illae in tertiam chori et cursuum harmoniam prorumpunt, qua divinum citharaedum quam maxime fieri potest sequuntur imitanturque; ita cum illae nobis cantus movent et tamquam internis sonis aurem vellunt mentemque demulcent ac capiunt, ut numeris capta et suavitate persuasa exclamet: "tentanda via est qua me quoque

---

3–4 … εὐδαίμονα | ita … εὐδαίμονα] *in marg. N1* 6 actae] apte *V* | nascendo *N1 V* 20 quamquam *V* 29 numeris *corr. in marg. N1* 31 cantum *N2*

9 utar] Symp. 46 *N1 N2 V* 13–15 et … movete] Virg.

13–14 et … potestis] Aen. 7.645; 9.459 14–15 panditae … movete] Aen. 10.164 27 nunc … boni] Aen. Suppl. 12.646–647 33–519.1 tentanda … humo] Geo. 3.8

passim tollere humo." Tollit autem nos humo vis sanctarum Musarum, si pie, si caste, si Christiani oraculi more invocentur, ut rerum gravissimum ferrum humo tollit atque erigit Herculeus lapis. Quam rem et Plato late in Ione disputat, et nos cum res postulabit latius disseremus. Sed id non omittendum hoc loco dixerim, omnem scientiam de sentiendi silva oriri, aut simpliciter, ut Aristoteli placet, aut in nobis, ut Platoni. Cum vero semper a sensuum facilitate auspicia capiant scientiae omnes per ea, quae se se obiiciunt sensibus, latentia rerum initia causasque inquirendo venamur. Idcirco scientias omnes Musis consecravere, tum quod nihil est aliud scientiae cuipiam navare operam, quam Musas imitari, quae ab ea re inquirenda, unde meliores evaderent, praecellentissimum sibi locum, gloriam, nomen peperere; tum quod cum sint illae sapientissimae et rerum humanarum curatrices exornatricesque, tam studiosis animis adsunt et favent, quam ὁ γὰρ παλαιὸς λόγος εὖ ἔχει, ὡς ὅμοιον ὁμοίῳ ἀεὶ πελάζει, quod est a Platone in Symposio usurpatum, "quod scite veteri proverbio fertur simile simili semper coniungi." Si qua inveniunt purgata ingenia bonae illae venatrices, ea in venationem agunt, tamquam sagaces canes, nec frustra sinunt umquam tendi retia, quod Socrates in Parmenide monstrat, qui sagacem se venando canem facit. Nec ab re Musarum duci Apollini venatricem sororem adesse voluere, ut admoneamur, neque solem illum, neque caelestes illas nobis adesse mentes, nisi in ea venatione studiosi simus, qua ignorantiae nostrae obscuritatem collustrantes et veritatem attingimus et meliores simus. Sed quoniam Apollinem citat et in nos vertit Amor, et Musas ad nostra commoda exsuscitat Amor, nihil praedae pariet venatio nostra, nisi universo operi praesit Amor; plus etenim, parvo tempore, solo amore assecuti non nulli sunt, quam alii studiis universae vitae. Hanc quare nec studiis, sed consuetudine et amore id potissimum fieri Plato defendit; quod cum passim disserit, tum praecipue in Symposio et Epistolis clarum facit. Quam rem ille ut Latinam faceret ita scripsit: "cui mater media se se tulit obvia silva," ut ad felicitatem adnitentibus nulla firmior, tutior, certior, maior via pateat, quam alati Amoris et caelestis Veneris. Quid praeterea de Amore dixerim? quod ut praesentia felices facit, ita nihilominus absentia miseros. Lege Symposium, intelliges ex Hesiodo atque Parmenide antequam Amor in diis oriretur, cum sola in illis vigeret natura, quam Plato

7 felicitate *V* 19 demonstrat *V* 21 nobis] orbis *V* 22 studiosi simus] studiosissimus *V* 29 dixerim *V* 33 dixerimus *V*

14–15 … πελάζει] Smp. 195b 30–31 cui … silva] Aen. 1.315

necessitatem vocat πολλὰ καὶ δεινὰ θεοῖς ἐγίγνετο, ὡς λέγεται, διὰ τὴν τῆς ἀνάγκης βασιλείαν, "ob necessitatis regnum et per multa diis et gravia contigisse"; statimque meminit Homericam Aten quae "detrimentum damnum," et in universum "malum" significat. Quae mentibus illis contigerint cum natura tantum pollerent, necdum divinae harmoniae aures adhibuissent, et Plato ab Homero ait de Ephialto et Oto proditum est quod Deo bella movere ausi sint, et Iohannes noster de dracone impiisque legionibus aperte testatur, quod armis sancto Amori inimicis armati cum Deo optimo maximo, cumque diis aliis, quorum dux Amor erat, manum conserere non dubitavere. Porro eiectum caelo genus in Homerica Ate significari innuit quamquam subobscure Plato, qui post antiqua deorum bella Aten statim commemorat, quam Homerus e caelo a Deo narrat ea lege eiectam, ut aeternum exilium ageret, in caelum avitam patriam numquam post liminio redituram. At ea bella idcirco orta fuisse Plato censet, quod nondum scilicet ortus esset Amor. De Ate vero Homerus ἠεροφοῖτις ἐριννὺς φρεσὶν ἔμβαλεν Ἄτην, Ἄτην, ἣ πάντας ἀᾶται, "aërivaga furia menti iniecit malum, quod mortalibus omnibus est detrimento, laeditque passim omnes." Atque de eius casu aeterno melius Homerus, quam nostrorum non nulli, qui daemonas miserati dum omnibus suffragiis misericordiae favent, iustitiam explodunt, et ut cum fas non est misericordem faciant, iniustum faciunt Deum. Audiant ii, si nostra oracula non audiunt, saltem Homerum, quem non modo Musa suavissime platani, sed ne durus quidem Eurystheus deambulantium robur paenituit audire. De Deo is ita scripsit: καὶ ὤμοσε καρτερὸν ὅρκον μή ποτ' ἐς Οὔλυμπόν τε καὶ οὐρανὸν ἀστερόεντα αὖτις ἐλεύσεσθαι Ἄτην, ἣ πάντας ἀᾶται, "iuravit Deus firmissimum ius iurandum, numquam in Olympum et astriferum caelum redituram laesionem, quae universos laedit": ὣς εἰπὼν ἔρριψεν ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος χειρὶ περιστρέψας· τάχα δ' ἵκετο ἔργ' ἀνθρώπων, "ita locutus ex astrifero illam caelo deturbavit, cum prius manu eam circumrotasset." Vides itaque eiectam caelo Furiae iniuriam, hoc est, Furiae iniustitiae caput; non ob aliud, inquit Plato, nisi quod nondum natus erat Amor; cumque naturae tantum splendore fretae mentes Amoris melioris iuga non ferrent, in summum aeternumque malum praecipitatae sunt, aeternum et summum mortalibus allaturae malum.

4–5 contingerint *N1 V* 8 aperte *om. V* 19 daimones *V* 21 ii] hii *N1* 24 is *om. V*; id *ac. N1* 29 austrifero *N1 V*

1–2 … βασιλείαν] Smp. 197b 7–8 Iohannes … testatur] *cf.* Apoc. 12.7–9 15–16 … ἀᾶται *cf.* Il. 19.87–88 24–26 … ἀᾶται] Il. 19 127–131

Ut nihil hominibus et diis sit melius usquam datum quam sacer Amor; nam ut advolans affert bona omnia, ita advolans mala omnia relinquit. Sed ut quandoque maiora et humano captu sublimiora Amoris gesta referamus, in Alcibiade ait doctorem venturum, qui genus humanum instituat erudiatque, quanam ratione agendum sit tum erga homines tum etiam erga deos. Quo in loco qui audiebat mira cupiditate ac desiderio accendebatur audiendi, quis is tandem futurus esset humanae vitae tam felix institutor. At in Phaedone divino verbo, ait, tranandum vitae pelagus. Quare si optimus is praeceptor futurus erat, eo carere non oportuit divino verbo, quem dixit hic viventibus necessarium. Sed ex Sibylla is atque prophetis, nos praeceptorem illum audivimus, naviculam eo duce intravimus, ad eum ipsum, cuius caput est Deus, ac Dei Verbum, ut Apostolus ait, complectendum, eiusque complexibus aeternis beatis voluptatibus fruendum contendimus et adnitimur, per quem hominem factum reconciliati Deo sumus. Nam initio nostri ortus duo nobis data sunt et corpus animae iunctum, quod servamus, et aeterna utriusque sanitas, quam amissimus. Sed quod olim culpa sustulit, solus Amor volenti restituit. Historiam hanc omnem longis mirisque ambagibus ac mysteriis opertam texit Plato, ubi ait Deum et hominem superbientem divisisse, et Apollini filio uti plagam sanaret demandasse; quibus denique id, quod nostram ad rem pertinet, adiecit: ὁ ἔρως τῆς ἀρχαίας φύσεως συναγωγεὺς, "Amor naturae nostrae veteris restitutor." Collige itaque praeceptorem divino verbo praeditum, Apollinem, non Graecorum omnia ignium more in sua rapientium, sed quem nostri partim iustitiae partim intelligientiae vocant solem, quem illi in terras a Patre missum volunt ut greges pasceret sub Admeto Rege. Hinc Plato non modo Harmoniae deum Apollinem et Musas facit, sed addit rem miram, miseratos deos dedisse nobis Apollinem et Musas. Quid divina illa misericordia sibi vult, quae ad nos instituendos Apollo missus est Dei Filius, nisi divinum Amorem, quo Pater Filium ad mortales misit, qui greges hominum pasceret, vulnera sanaret, dissonos animarum mores redigeret in numerorum consonantium harmoniam? Rei itaque tam ardua, tam insolita, tam nova non nisi divinae misericordiae atque Amori Plato tribuendum existimat. Quae quidem sententia Paulo adstipulari mirifice videtur, qui rem eamdem omnium divinarum actionum maximam et maxime admirandam

12 Deus *pc.* (XPUS *praem. ac.*) *V* 13 complectendum] complectum *N1 V* 15 initio] in indice *V* | data sunt nobis *tr. V* 20 Apollinis *V* 34 Paulus *pc.* (Plato *ac.*) *V*

21–22 … συναγωγεὺς] Smp. 191d

in Amorem auctorem refert: "ita," inquit, "dilexit mundum Deus, ut unigenitum daret." Sed parum fuerat Amori, si Deum compulerat nasci inter homines, nisi eundem pro hominibus nasci coëgisset; mori enim alterum pro altero velle non nisi Amori dandum Plato arbitrabatur, qui in Alceste atque Achillis amoris vim omnium maximam miris attollit laudibus, qui unus rerum omnium adducere possit nos, ut ultro alter pro altero moriamur. Quod si magnus Amor Alcestis fuerit oportet, quo adduci potuerit, ut viri vitam anteponeret suae, quam ingens, quam vehemens, quam ardens is Amor fuisse credendus est, quo non vir unus tantum, sed universum humanum genus adamatum servatumque est? Cum praecipue ille dieculam auxerit, hic tribuerit immortalitatem; ille vitam casuram praestitit, hic noster Amor perpetuo permansuram. Quaevis alia virtus facere quidem potest, ut alia tradamus hominibus, vitam tamen suadet ut nobis teneamus; unus Amor efficit, fons liberalitatis atque origo, ut nihil nobis retineamus, sed nostra nosque ipsos iis, quos Amore prosequimur, condonemus: καὶ μὴν ὑπεραποθνῄσκειν γε μόνοι ἐθέλουσιν οἱ ἐρῶντες, "quin et pro alio emori soli amantes volunt." Verum finis optimus sit oportet, atque idcirco ridet Homerum Peripateticus, quod mortem finem faceret. Idcirco idem Amor, qui viventes cogit mortem oppetere, facit cursus mortuos in vitam redire. Eodem loco Plato hoc testatur; ait namque praeclarissimis ac perpaucis ἔδοσαν τοῦτο γέρας οἱ θεοί, "id munus dii dedere," ἐξ Ἅιδου ἀνεῖναι πάλιν τὴν ψυχήν, "ex inferis rursus animam revocari": ἀλλὰ τὴν ἐκείνης ἀνεῖσαν ἀγασθέντες τῷ ἔργῳ, "Alcestis quidem animam ex Orco revocare, claro eius facinore delectati." Quod vero Amor tantae rei miseris mortalibus exoptatissimae solus auctor dicendus sit, Amor statim fatetur οὕτω καὶ θεοὶ τὴν περὶ τὸν ἔρωτα σπουδήν τε καὶ ἀρετὴν μάλιστα τιμῶσιν, "tanti studium ac virtutem circa Amorem dii faciunt!" Quod si et ingenio valemus, et mente atque intelligentia vigemus, ut dii quantum potest fas esse humanae mortalique naturae, ea una calamitas est nobis addita, quod mortales sumus, nihilque spiraret homine miserius, nihil infelicius qui mortalium unus novit cogitatque se esse interiturum. Cumque alia eam rem vel numquam sentiant, ante enim quam obeant semper se victura sperant; aut certe tunc solum animadvertunt, si quis in illis vigeat sensus, cum morti

1 inqui *N2* 2 Sed] si *V* 8 quam vehemens] quamve vehemens *N2* 11 vitam] vitae *N1* (*ac.*) *V* 26 Amor *om. N2*

1–2 ita … daret] Io. 3.16 16–17 … ἐρῶντες] Smp. 179b 21–24 … ἔργῳ] Smp. 179c f. 26–27 … τιμῶσιν] Smp. 179d

sunt proxima; unus inventus homo est inter animantes omnes per universam vitam in mortis cogitatione et anxius et miserrimus esse videatur, cum videat hanc lucem et quaecumque cara habet amatque brevi spatio esse relinquenda, futurumque quandoque, ut tamquam numquam fuerimus, nulla in posteris memoria suppressit, et quod, velimus, nolimus, mortali simul occidit brevis lux, "nox est perpetua una dormienda." Sed vide quantum debeatur Amori, quanti Amor faciendus sit mortalibus, quibus ab Amore datur, ut aequales evadant immortalibus, et non modo calamitatem hanc levent, sed si pie sancteque ament, nulla rei cogitatione delectentur magis, quam mortis, tum quod quos tellus ac natura mortales genuerat, mira Amoris vis restituit ac reponit immortales, tum quibus in vita carendum necessario est, morte tamquam felicissima porta et mortis umbras evadimus et ad lucem felicitatis intramus. Quae res et Socratem et Platonem movit, ut philosophia vera nihil illis aliud quam μελέτη θανάτου "commentatio mortis" esse videretur. Tantum itaque abest, ut mors timenda sit homini, qui sibi Amorem proposuerit ducem, quique non ut Ulixes, sola Pallade, sed ut Aeneas, matre viam monstrante, vitam agat, ut nihil quam emori sit exoptandum magis. Praestat enim Amor morientibus, quae spes et vota viventibus promittebant, ut scilicet anima ubi hinc migrarit, si lubens, si ultro Deo obeundo paruerit, quasi sancto Amore duce, non pro amico aut coniuge, ut Achilles et Alcestis, sed pro summo illo adipiscendo Bono oppetierit, cuius gratia terras incoluerit, et finem adepta beata evadat, et ad id corpus quoque socium introducens efficiatur etiam beatissima. Nam si gignit homo hominem et sol, utraque enim causa rebus gignendis et calor utriusque virtutis, humanae ac divinae, necessarius est, calor cum utriusque permixtus gignit, non nisi mortalem gignit hominem; quanta enim est causa, tantum potest etiam nihil supra id quod et simile fuerit et cognatum. At cum divinus ille calor gignit, qui a divino manat sole, hominem omnino generat immortalem. Regenerationem oracula vocant: ne ipsum quidem Trismegistum latens, quam in Cratylo heroum esse dicit ἀπὸ τοῦ ἔρωτος, "ab Amore nimirum," ὅθεν γεγόνασιν οἱ ἥρωες, "unde heroes geniti sunt." Atque ut clarius testatam sententiam relinquat, et quoniam in ea summa hominum sita salus est, minime obscuram, ait heroum nomen δηλοῦν τὴν ἐκ τοῦ ἔρωτος γένεσιν

---

6 perpetuo *N1 N2* 8 et] ut *V* 10 quos *sl. N2* 15 videretur esse *tr. V* 21–22 summo … adipiscendo] illo addiscendo summo *tr. V* 33 est] sit *ac. V*

6 nox … dormienda] Catul. 5.6 14–15 μελέτη θανάτου] Phd. 81a 31–32 … ἥρωες] Cra. 398d 34–524.1 … θεοί *cf.* Cra. 398c

esse "significans ex amore generationem" qua ἐρασθένθες οἱ θεοί, "amantes dii" genuerint. Nescio quid Evangelii oraculis vicinius lectum umquam sit, ubi id scribitur, "nisi quis Spiritu Sancto" ac divino Amore "renatus fuerit, salutem eum adipisci non posse." Quin et illud: "potestatem dedit filios Dei fieri," quae quidem, sicuti vidimus, nihil aliud est, quam Amor, qui et reviviscere corpus, et immortales omni ex parte effectos beatum aevum cum Deo agere nos facit; incepitque id age cum resurgente principe, qui die revixit tertio, idem postea nobiscum facturus, qui, expletis caeli numeris, rursus eiusdem amictu corporis vestiemur. Idem namque et laboris et voluptatis esse debet comes, et qui bello interfuit, ut a triumpho absit, nulla iustitia patitur; ut vero ossa iungantur ossibus, ac rursus e sepulcris reviviscant homines, sicut Prophetae oracula exponunt, Spiritus iubebit, quem nos Amorem esse demonstravimus; ut intelligas quam nobis faveat, qui et Dei filios Amore nasci, et mortuos Amore reviviscere una nobiscum velit.

2 vicinis *V* 4 salutem] saltem *ac. N1* 11 adsit *V* 15 Amore] a morte *ac. V*

3–4 nisi … posse] Io. 3.5 4–5 potestatem … fieri] Io. 1.12 11–13 ut … exponunt] *cf.* Ezech. 37.7–10

BIBLIOGRAPHY

Manuscripts

Aegidius Viterbiensis.

———. *Aegidii Viterbiensis Sententiarum liber primus usque ad XVII distinctionem ad mentem Platonis*. Naples, Biblioteca Nazionale Vitt. Em. III, VIII F 8, fols. 1^{r}–277^{r}. Massa, 1954, 49.

———. *Cardinalis Aegidii Viterbiensis Sententiarum liber primus usque ad XVIII distinctionem ad mentem Platonis*. Naples, Biblioteca Nazionale Vitt. Em. III, XIV H 71, pp. 1–411. Massa, 1954, 49–50.

———. *Aegidii Viterbiensis, S.R.E. Cardinalis, Primus Sententiarum ad mentem Platonis*. Vatican City, Biblioteca Apostolica Vaticana, Vat. Lat. 6325, fols. 1^{r}–216^{r}. Massa, 1954, 49.

———. *Aegidii Viterbiensis Sententiarum liber primus usque ad XVII distinctionem ad mentem Platonis*. Rome, Biblioteca Angelica 636, fols. 1^{r}–233^{v}. Massa, 1954, 49.

———. *Fr. Aegidii Viterbiensis ex ordine Eremitarum s. Augustini theologi praestantissimi et S.R.E. Cardinalis Commentarium in primum librum Sententiarum ad mentem Platonis*. Hamburg, Staats- und Universitätsbibliothek, philol. 308, pp. 1–425. Kristeller, 1963–1992, 3:563. Zumkeller, 1966, 49.

Printed Works

Acta Conventus Neo-Latini Bononiensis: Proceedings of the Fourth International Congress of Neo-Latin Studies. Edited by R.J. Schoeck. Binghamton: Center for Medieval & Renaissance Studies. 1985

Allen, Don Cameron. *Mysteriously Meant: The Rediscovery of Pagan Symbolism and Allegorical Interpretation in the Renaissance*. Baltimore: Johns Hopkins Univ. Press, 1970.

Allen, Michael J.B. "Homo ad zodiacum: Marsilio Ficino and the Boethian Hercules." In *Forma e parola: Studi in memoria di Fredi Chiappelli*. 205–221. Rome: 1992. Also in Allen, *Plato's Third Eye*: *Studies in Marsilio Ficino's Metaphysics and Its Sources*. Aldershot, Hampshire; Brookfield, Vt.: Variorum, 1995. Study XIII.

Astruc, Charles and Jacques Monfrin. "Livres latins et Hebreux du cardinal Gilles de Viterbe. Bibliotheque d'humanisme et renaissance." *Travaux et documents* 23 (1961): 551–554.

Augustine. *Confessions*. Edited by L. Verheijen, *Corpus Christianorum Series Latina* 27. Turnhout: Brepols, 1981.

———. *De doctrina christiana*. Edited by Joseph Martin, *Corpus Christianorum Series Latina* 32. Turnhout: Brepols, 1962.

———. *De Trinitate*. Edited by W.J. Mountain, *Corpus Christianorum Series Latina* 50–50A. Turnhout: Brepols, 1968.

———. *On Christian Doctrine*. Translated by John J. Gavigan, O.S.A. *Writings of St. Augustine, vol. 4*. New York and Washington, DC: Catholic Univ. of America, 1947.

Averroes Cordubensis. *Commentarium magnum in Aristotelis De anima libros*. Edited by F. Stuart Crawford. Cambridge, Mass.: Medieval Academy of America, 1953.

———. *Averrois Cordubensis commentum magnum super libro De celo et mundo Aristotelis. 2 Vols*. Edited by Francis J. Carmody. Leuven, Belgium: Peeters, 2003.

———. *Aristotelis quae extant opera … Averrois Cordubensis in ea opera … Vols. 1–10*. Venice: Juntas, 1550–1552.

———. *Destructiones destructionum*. Venice: Mandato & impensis O. Scoti, per B. Locatellum, 1497.

Bader, G. "Theologia poetica. Begriff und Aufgabe." *Zeitschrift für Theologie und Kirche* 83 (1986): 466–497.

Black, Robert. *Humanism and Education in Medieval and Renaissance Italy: Tradition and Innovation in Latin Schools from the Twelfth to the Fifteenth Century*. Cambridge, U.K.: Cambridge Univ. Press, 2001.

Boccaccio, Giovanni. *Genealogie deorum gentilium libri. 2 vols*. Edited by Vicenzo Romano. Bari: G. Laterza, 1951.

Boyce, Allen Judson. "The Allegorized Mythography of Joannes Calderia." In *Acta Conventus Neo-Latini Bononiensis, Proceedings of the 4th International Congress of Neo-Latin Studies*, 390–398.

The Cambridge History of Later Medieval Philosophy. Edited by Norman Kretzmann et al. Cambridge, Eng.: Cambridge Univ. Press, 1982.

The Cambridge History of Renaissance Philosophy. Edited by Charles B. Schmidt. Cambridge, England and New York: Cambridge Univ. Press, 1988.

Cebes, *Cebes' Tablet, Facsimiles of the Greek Text, and of Selected Latin, French, English, Spanish, Italian, German, Dutch, and Polish Translations. Renaissance Society of America*. New York: Renaissance Society of America, 1979.

Chastel, André. *Art et Humanisme à Florence au temps de Laurent le Magnifique. Paris*. [pp. 60, 296 *for a discussion of furor in the Renaissance*]. Paris, Presses universitaires de France, 1959.

Chenu, M.D., *Introduction à l'étude de Saint Thomas D'Aquin. 2nd ed*. Montréal: Institut d'études médiévales, 1954.

Cilento, V. *Glosse di Egidio da Viterbo alla traduzione ficiniana ed alla Enneadi in un incunabulo del 1492*. In: *Studi di bibliografia e di storia in onore di Tammaro De Marinis*, vol. 1, 281–295. Verona: Stamperia Valdonega, 1964.

Colish, Marcia. *Peter Lombard, vol. 1*. Leiden: E.J. Brill, 1994.

Collins, Ardis B. *The Secular is Sacred: Platonism and Thomism in Marsilio Ficino's Platonic Theology*. The Hague: Nijhoff, 1974.

Corpus platonicum medii aevi. Plato latinus. 3 Vols. Edited by Raymond Klibansky. London: in aedibus instituti Warburgiani, 1940–1953.

Cranefield, Paul F. "On the Origin of the Phrase 'Nihil est in intellectu quod non prius fuerit in sensu.'" *Journal of the History of Medicine* 25 (1970): 77–80.

Dahms, John V. "The Generation of the Son." *Journal of the Evangelical Theological Society* 32 (1989): 493–501.

Daniélou, Jean. "Eunome l'Arien et l'exégèse néo-platonicienne du Cratyle." *Revue des Études Grecques* 69 (1956): 412–432.

De Gandillac, M. "Neoplatonism and Christian Thought in the 15th Century: Nicholas of Cusa and Marsilio Ficino." In *Neoplatonism and Christian Thought*. [*Studies in Neoplatonism, vol. 3*], edited by D.J. O'Meara, pp. 143–168. Norfolk, Va.: International Society for Neoplatonic Studies, 1982.

Deramaix, Marc. "La Genèse du De partu virginis de Jacopo Sannazaro et trois églogues inédites de Gilles de Viterbe." *Mélanges de l'Ecole française de Rome, Moyen Age* 102 (1990–1991): 173–276.

De Vogel, C.J. "Platonism and Christianity: A Mere Antagonism or a Profound Common Ground?" *Vigiliae Christianae* 39 (1985): 1–62.

De Wulf, Maurice. *History of Medieval Philosophy*. Translated by P. Coffey, 3rd ed., London: Longmans, Green, and co., 1909.

Di Napoli, G. "Filosofia perenne." In *Atti del IV Convegno di Studi Umbri*, p. 486. Gubbio, 1966.

Egidio [Giles] of Viterbo. *Letters as Augustinian General*. Edited by Claire O'Reilly. *Fontes historiae Ordinis Sancti Augustini, Series altera* 3. Rome: Institutum Historicum Augustinianum, 1992.

———. *Scechina and Libellus de litteris hebraicis. 2 vols*. Edited by François Secret. Rome: Centro Internazionale di Studi Umanistici, 1959.

Evans, G.R. *Philosophy and Theology in the Middle Ages*. London and New York: Routledge, 1993.

Ficino, Marsilio. *Opera Omnia* (1576). Reprint, Turin: Bottega d'Erasmo, 1962.

———. *Commentary on Plato's Symposium (On Love)*. Translated with introduction and notes by Sears Jayne. 2nd rev. ed. Dallas: Spring Publications, 1985.

———. *Platonis Opera Omnia*. Florence, 1484.

Fiorentino, Francesco. "Egidio da Viterbo ed i Pontaniani di Napoli." *Archivio storico per le Provincie napoletane* 9 (1884): 430–452.

Fitzgerald, J. T and L.M. White. *The Tabula of Cebes*. Chico, CA.: Scholars Press, 1983.

Galinsky, Karl, *The Herakles theme: the adaptations of the hero in literature from Homer to the twentieth century*. Totowa, N.J.: Rowman and Littlefield, 1972.

Garin, Eugenio. "La 'dignitas hominis' e la letteratura patristica." *La Rinascita* 4,1 (1938): 102–146.

Gavigan, John J., trans. *Writings of St. Augustine, vol. 4*. New York: Catholic University of America, 1947.

Geiger, L. *Johann Reuchlin: Sein Leben und seine Werke*, (pp. 399, 404, 437, 450). Nieuwkoop: 1871 (repr. Leipzig: B. de Graaf, 1964).

Genequand, Charles. *Ibn Rushd's Metaphysics: A Translation with Introduction of Ibn Rushd's Commentary on Aristotle's Metaphysics*. Book Lam. Leiden: E.J. Brill, 1986.

Gilson, Etienne. *The Christian Philosophy of St Thomas Aquinas*. Translated by L.K. Shook. New York: New York: Octagon Books, 1983, c1956.

Gionta, Daniela. "Filosofi precristiani e Rivelazione: analogie e contrasti tra Ugolino da Orvieto e Egidio da Viterbo." In *Schwerpunkte und Wirkungen des Sentenzenkommentars Hugolins von Orvieto OESA*. Würzburg: Augustinus-Verlag, 1990, pp. 123–133.

———. "Scholastik und Platonismus im Prolog zum Sentenzenkommentar des Aegidius von Viterbo." *Augustiniana* 39 (1989): 132–153.

———. "'Augustinus Dux Meus': La Teologia poetica 'ad mentem Platonis' di Egidio da Viterbo O.S.A." In *Atti del Congresso Internazionale su S. Agostino nel XVI Centenario della Conversione (Rome,)* vol. 3 (1986), pp. 189–201.

Gregory of Rimini. *Lectura super Primum et Secundum Sententiarum*. 7 vols. Edited by *D. Trapp, V. Marcolino et al*. Berlin: W. de Gruyter, 1981.

Grendler, Paul F. *The Universities of the Italian Renaissance*. Baltimore: Johns Hopkins Univ. Press, 2002.

Gribomont, Jean. "Gilles de Viterbe, le moine Élie, et l'influence de la littérature maronite sur la Rome érudite de 1515." *Oriens Christianus* 54 (1970): 125–129.

Guennou, Jean. *Divinisation*. In: *Dictionnaire de Spiritualité*. Vol. 3, col. 1370–1459. Paris: G. Beauchesne et ses fils, 1957.

Hankins, James. *Plato in the Italian Renaissance*. 2 vols. Leiden: E.J. Brill, 1990.

Hartlaub, G.F. "Zu den Bildmotiven des Giorgone." *Zeitschrift der Kunstwissenschaft* 7 (1953): 57–84.

Isaac Israeli. *Liber de definitionibus*. Edited by J.T. Muckle. AHDLMA 11 (1937–1938).

Isidore of Seville. *Isidori Hispalensis Episcopi Etymologiarvm sive originvm libri XX*., 2 vols. Edited by W.M. Lindsay. Oxford, New York: Oxford Univ. Press, 1911.

Jedin, Hubert. *Girolamo Seripando*. 2 vols.; chap. 3, pp. 85–90: *Egidio von Viterbo und die Neapler Humanisten*. Würzburg: Rita-Verlag, 1937.

———. "Die römischen Augustiner-Quellen zu Luthers Frühzeit." *Archiv für Reformationsgeschichte* 25 (1928): 266–269.

Jürgen-Horn, Hans and Hermann Walter. *Die Allegorese des antiken Mythos*. Wiesbaden: Harrassowitz, 1997.

Kelly, J.N.D. *Golden Mouth: The Story of John Chrysostom, Ascetic, Preacher, Bishop*. Ithaca, N.Y.: Cornell University Press, 1995.

Kristeller, Paul Oskar. "The Scholar and His Public in the Late Middle Ages and the Renaissance." In *Medieval Aspects of Renaissance Learning: Three Essays*. Durham, NC.: Duke Univ. Press, 1974 (repr. New York: Columbia Univ. Press, 1992), pp. 3–25.

———. *Catalogus translationum et commentariorum: Mediaeval and Renaissance Latin translations and commentaries: annotated lists and guides*. Washington: Catholic Univ. of America Press, 1960–1992.

